



V
B
J
C

MEDITATIONES
SUPER
VERITATES CHRISTIANAS ET ECCLESIASTICAS

Desumptæ ex Epistolis & Evangelis Missarum totius anni, atque in singulos illius hebdamadarum dies, & principalia festa distributæ.

UNIVERSIS De CLERO.
Ut & se ipsos ad Celebrandum seu dignè Communicandum, nec non ad quævis Ecclesiastica munia Sancte obeunda disponere; & Populum suæ Curæ commissum debitè ac fructuosè instruere valeant.

OPUS UTILISSIMUM
AUTHORE M. *** PRESBYTERO CURATO DIŒCESIS LUGDUNENSIS
Gallicè editum, latinitate verò à quodam Canonico Regulari S. Augustini donatum. in quatuor partes divisum & pro Bono Cleri Germaniæ Typis impressum.
HUNC DEMUM.
AUTHORITATE & MANDATO
ILLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI DOMINI EPISCOPI CULMENSIS & POMESANIÆ
REIMPRESSUM

PARS AUTUMNALIS
à Dominica Decima Tertia usque ad Dominicam Vigesimã Quartã, seu ultimã post Pentecostes.

CULMÆ IN PRUSSIA
M. DCC. LX. III.



IGNIS IN ALTARI SEMPER ARDEBIT, QUEM NUTRIET SACERDOS SUBJICIENS LIGNA MANE PER SINGULOS DIES: Lev. 6. 12.







A DOMINICA DECIMA TERTIA USQUE AD DOMINICAM VIGESIMAM QUARTAM, SEU ULTIMAM POST PENTECOSTES.

Abrahæ dictæ ſunt promiſſiones, & ſemini ejus; non dicit, & ſeminibus, quaſi in multis, ſed quaſi in uno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Galat. 3. 16.

DE CHRISTO JESU.

1. Eſt objectum promiſſionum divinarum, & finis legis. 2. Omnia ad ipſum referre debemus.

PUNCTUM I. VUlt S. Paulus in hodierna epiſtola demonſtrare Galatis, à falſis doctoribus ſeductis, atque cæremoniis, & obſervantiis judaicis nimis ſerviliter addictis, quarum jugum iis erat impoſitum ab ejusmodi hominibus, juſtificationem ſeu juſtitiam nequaquā affixam eſſe legi, ſed fidei, ſeu ut humiliter credatur in JEſum Chriſtum, unicum objectum omnium promiſſionum, & finem totius legis; *Abrahæ factæ ſunt promiſſiones,* ait, *& ſemini ejus*; & ſcriptura non addit, ait Apoſtolus, *ſeminibus illius*, quaſi

plura essent semina, sed semini; *quasi in uno, & semini tuo, qui est Christus.* Nihil promisit DEUS, nisi JEsu Christo; hunc constituit hæredem omnium bonorum suorum; nulla est gratia, nulla hæreditas, nulla spes, nisi in Christo JEsu, in quo & per quem omnia completa, & consummata sunt. Per ipsum, ait Theodoretus in hunc locum omnes nationes sunt benedictæ; verum est, adjungit hic S. Pater, quòd Moyses, Samuel & Elias, & alii justi veteris testamenti, ab Abraham descenderint, & ad perfectionem virtutis pervenerint, *sed non sunt illud semen, quod attulit benedictionem gentibus.* A nullo alio gentes hanc habent, nisi à Christo JEsu, cui in persona Abrahami factæ sunt promissiones, & per quem omnes implentur in iis, qui crednnt in ipsum. Pariter Christus JEsus est finis legis, quia ad aliud non servivit lex, nisi ut nos ad JEsum Christum perduceret, *lex pædagogus noster fuit in Christo.* Lex per seipsam neminem justificare potuit; *in lege nemo justificatur apud DEum.* Gal. 3. Tota illius virtus in eo consistebat, ut homini peccatori ostenderet magnitudinem, & profunditatem vulnerum nostrorum, ut cognitâ per propriam experientiam & inutilitate conatûs sui, & violentiâ morbi, ardenter suspiraret, & expeteret auxilium

&

& gratiam cœlestis medici, in ipsumque crederet, qui eum solus curare & salvare posset; *finis enim legis Christus, ad justitiam omni credenti.* Rom. 10. 4. En veritates, quæ per totam epistolam suam repetuntur; sunt autem non minùs nobis, quàm Galatis necessariæ, quamvis haud versemur in perîculo cadendi in Judaismum, quia nonnisi ad nos humiliandos tendunt. Ad vivum ostendunt nobis miseriam nostram, debilitatem nostram, ac impotentiam; obligántque nos ad recurrendum in fide, ad divinum liberatorem nostrum. Hunc ex illis fructum trahere debemus; in quem effectum.

PUNCTUM II. Discamus referre omnia nostra in JEsum Christum, tanquam in finem nostrum, ponereque in eo omnem nostram fiduciam. Perierunt Judæi ideo, quia in propria sua justitia confidebant, neque Christum JEsum considerabant, tanquam finem legis. Pari modo etiam plurimi christiani, imò etiam Clerici ex hac ipsa causa pereunt. Nam quot sunt qui pro eo, ut omnia in JEsum Christum referant, pro fine suo aliud non habent, nisi res caducas? quot sunt, qui alium in finem non prædicant, nisi ut propriam vanitatem pascant? qui confessiones audiunt ut curiositati suæ satisfaciant? qui

functiones ministerii sui Ecclesiastici aliter non exercent, nisi ut suæ avaritiæ consulant? denique quot sunt, qui pro fine suo, cur hunc statū amplectantur, aliud sibi non præfigunt, quàm ut vitā commodiorē ac molliorem ducere queant? omnes isti & similes non considerant Christum tanquam finem suum. Habent pro fine suo res, quæ finem habent; & ipsi pariter cum illis; quia vita illorum finem habebit, & cum vita etiam vanitas, avaritia, curiositas, commoditates, voluptates, gaùdia, & ejusmodi transitoriæ deliciæ. Tristis sane est finis iste, sed dignus iis, qui cùm sint facti, seu destinati ad bonum infinitū consequendum, cor suum corrumpi ab ejusmodi rebus vilibus sinunt, à quibus falluntur & decipiuntur. Aspiciamus igitur JEsumChristum, ùt finem nostrum ultimum. Qui omnes actiones suas ad eum referunt; qui gloriam ejus in omnibus quærunt, qui eum sibi semper præsentem statuunt, ùt magistrum & Dominum suum; denique illi, qui sive prædicent, sive confessiones audiant, sive alia Sacramenta administrēt, sive alio quocunque exercitio, aut functione ministerii sui occupentur, eum tanquā principium & finem omnium, quæ faciunt, considerant & respiciunt, non decipientur,

neque fraudabuntur ſpe ſua; hi tales reſpexerunt JEſum Chriſtum, tanquam finem ſuum ultimum; ipſe eſt veritas via & vita; hi ibunt, & pervenient ad eum & talem vitam invenient, quæ finem non habebit, *JEſus Chriſtus heri & hodie, & in ſæcula.* Hebr. 13. 8. Erùntque cum ipſo hodie, cras & in æternum. Fac de hoc ipſo præparationem tuam ad Miſſam. Docet te S. Paulus, Chriſtum JEſum eſſe finem legis; dirige intentionem tuam ad hunc finem; *intentio dirigatur in finem, dirigatur in Chriſtum,* ait S. Auguſtinus, in Pſ. 54. quare autem appellatur Chriſtus finis noſter? quia omnia noſtra ad eum referre debemus. *& cùm ad eum perveniemus, ultra quod quæramus, non habebimus.* Ipſe dedit nobis exemplar vitæ, per quā ad eum pervenire valeamus; *ipſe ergo, & exemplum nobis vivendi propoſuit in hac vita, & præmium vivendi in futura vita.* O JEſu, ah! fiat hoc, eſto exemplar & finis noſter, in hac vita, ut te mereamur habere in præmium per totam æternitatem! *Amen, fiat, fiat!*

❊❊§❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊§❊❊

FERIA SECUNDA.

Concluſit ſcriptura omnia ſub peccato, ut promiſſio ex fide JEſu Chriſti daretur credentibus. Gal. 3. 22.

De peccato originali.

1. Status miserabilis, ad quem per peccatum Adami redacti sumus.

2. Superabundans bonitas JEsu Christi, qui ab illo nos deduxit.

PUNCTUM I. Conclusit S. Paulus epistolā, quā hìc meditamur, per stupenda verba, quæ omnes homines humiliare debent, sive vixerint ante legem, sivè post illā, sivè Judæi sint sive gentiles. Declarat, quòd omnes rei sint, & misericordiâ DEI egeāt, quia omnes sub peccato sunt, ut id, quod promisit Deus, adimpleretur per fidem Jesu Christi quo ad illos, qui credituri essent in eum, utque omniū ora clauderentur, & obmutescerent, qui propriam justitiam jactare vellent, & non aperirentur, nisi ad glorificandum, & exaltandum, infinitas divitias bonitatis, & charitatis divini nostri liberatoris & redēptoris; *conclusit scriptura omnia &c.* Chrysost. & Theodoretus ibi. Instituamus desuper meditationem nostram. Credamus absque disputatione aut hæsitatione veritatem istam de peccato originali. Superba & nimìs quàm audax est cogitatio, examinare velle quomodo fieri possit, ut omnes homines peccatores facti sint per inobedientiam unius solius hominis? lapsus Pelagianorum & Socinianorum, qui articulum hunc ad trutinam rationis examinare

nare voluêre amissa propterea fide, docere debet fideles omnes, ut se humiliter submittant huic decisivæ sententiæ apostolicæ; *per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. 5. 12. Verum est, nos haud intelligere, aut comprehendere posse, qua ratione peccatum ante tot sæcula præterita commissum ad nos usque devenerit; verùm si hoc mysterium peccati originalis non admittas, neqve teipsum comprehendere potes. Quidquid videmus, & in nobis experimur, corruptionē aliquam clarè indicat; non per naturam, ergo per peccatum. Igitur firmiter credamus hanc magni momenti veritatem, DEus eam clarè revelavit in scriptura; ecclesia eam semper docuit, & in ea fundatur tota œconomia religionis & fidei nostræ. *In causa duorum hominum, quorum per unum venundati sumus peccato, & alterum redimimur à peccatis, propriè fides christiana consistit*, ait S. Augustinus l, 2. de pecc. orig, c. 24. En! quid sufficere debeat, ut de hac veritate convincamur. Conjiciamus deinde oculos in mala illa, quæ peccatum istud in hunc mundum introduxit; *magno illo primi hominis peccato*, pergit S. Aug, de Nupt. & concup. l. 1. c.

 34.

34. natura noſtra in deterius commutata, *non ſolùm facta eſt peccatrix, ſed etiam genuit peccatores*, id eſt, quòd omnes filii Adam cum ipſa vita contrahant peccatum,& cum peccato ignorantiam in intellectu, malitiam in voluntate, rebellionem in corpore, & infelicem pruritum ad malum, ita ut omninò infelices naſcamur, ſubjecti omni generi infirmitatum, mortis, ignorantiæ concupiſcentiæ, mancipia peccati & diaboli, inimici DEI, filii iræ, digni inferno. O ſtatum deplorandum, qui juxta S, Ambroſium in Luc. l. 4. c. 4. cauſa fuit, cur maledixerit Job die nativitatis ſuæ; *pereat dies, in qua natus ſum.* Job. 3. 3. Super quo ipſe etiam David in Throno ſuo contremuit. *Ecce enim*, ait, Pſal. 50. *in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ob quem ingemuit S. Paulus & continuò ſuſpiravit, quouſque liberaretur ab hac infelicitate. *Infelix ego homo &c.* ! Rom. 7. 25. Ingemiſcamus etiam nos; una cum ſanctis, in conſideratione tot miſeriarum, quæ nos circumdant, & funeſtæ ſequelæ ſunt peccati originalis. Verùm ne conſideratio iſta ad deſperationem nos adigat,

PUNCTUM II. Admiremur infinitam Chriſti JEſu bonitatem, qui pro nobis, etſi pro tunc impiis, & declaratis inimicis Patris

tris sui, mori dignatus est, consideremus liberalitatem ipsius, quæ omnem excedit limitem, ac longè superat & numerum & malitiam peccatorum omnium hominum; nam, ùt Apostolus Rom. 5. 20. ait: *ubi abundavit delictum, superabundavit gratia,* id est, prout annotat S. Augustinus, haud cōtentum fuisse Christum JEsum, ut gratiam nobis faceret, remittendo nobis peccatum in nativitate nostra contractum, sed voluisse insuper nobis remittere omnia illa peccata, quæ huic nostro primo peccato propria voluntate & malitia superadderituri essemus; *non tantum ei peccato, in quo omnes peccaverunt, sed etiam iis, quæ addiderunt, gratia remissionis datur.* lib. 1. de peccat. meritis c. 13. Quocunque igitur peccato gravati simus, fiduciam nostram in Christo JEsu collocemus, gratia ipsius longè efficacior & potentior est ad nos salvandū, quàm peccatum, ad nos perdendum; diffidamus nobis ipsis, exemplum Adami & relapsûs nostri post lapsum ipsius & postquam per gratiam ipsius sanati fuimus, palam nobis ostendunt, non esse hominem ex se ipso ad aliud idoneum, quàm ut dona DEI perdere possit; solus DEus reparare potest damna nostra; peccatū in causa fuit, cur & Adam & omnes illius posteri, justitiam originalem amiserint, mortique

tique, ac omnibus miseriis illam praecedentibus & subsequentibus, subjaceant; verùm gratia JEsu Christi omnia ista mala sanat; destruit peccatum Adami, & infinita alia aliorum hominum, quae posteri illius superaddiderunt peccato primi parentis sui; utiles & proficuas nobis facit ærumnas, & miserias vitæ hujus; & liberat nos ab iis, quas in altera vita promeriti fuissemus; restaurat justitiam modô quôdam prorsus victoriosô; dat longè majorem & abundantiorem justitiã, quàm fuerit illa, quâ nos Adam privavit; facit, ut in illa, perseveremus; & denique nos reddit gloriosos & immortales in cœlo. Dignæ sunt veritates istæ quæ à Clericis & ab omnibus fidelibus considerentur, & expendantur; multùm conducere possunt ad excitandos in iis affectus admirationis, humilitatis & gratitudinis. Fac ô JEsu, ut in nobis hos producant effectus; ut non privemur ob nostrã superbiam & infidelitatem istâ superabundantiâ gratiæ, quam tanta liberalitate supra omnes homines effudisti; *ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per JEsum Christum Dominum nostrum.* Rom. 5. 21. Pro præparatione ad Missam & gratiarum actione post illam, sit gratiarum actio, laus & benedictio

ctio divino Redemptori tuo, quòd vitam gratiæ tibi contulerit, quam per peccatum perdidisti, roga illum, ut eandem conservare dignetur per sanctissimam Eucharistiam. Te ipsum in hunc finem totum ipsi consecra, illumque ex toto corde ama. O JEsu! vive in me, & ego non vivā nisi propter te. *Ecce DEus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem.* Is. 12. 2.

FERIA TERTIA.

Dum iret JEsus in Jerusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam; & cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc, 17. 11.

CLERICI DEBENT AD EXEMPLUM JESU CHRISTI.

1. Prædicare ubique.
2. Et omnibus hominibus benefacere.

PUNCTUM I. NOn transiliamus hæc prima verba Evangelii, quin in iis subjectum & materiam aliquam pro instructione nostra indagemus. Venit Filius DEI in hunc mundum, ut esset exemplar omnium christianorum. Erat, spatio triginta annorum perfectum exemplar solitariorum; & tribus ultimis annis vitæ suæ personarum publicarum. Et

sanè,

ſanè, à tempore, quo debebat ſeipſum manifeſtare mundo, quouſque iterum ad Patrem ſuum redire debebat, videmus eum in continua actione, ſeu laboribus; *circuibat JEſus omnes civitates & caſtella & docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem.* Matth. 9. 35. Hæc erat illius occupatio. Docebat in omni loco, & ſanabat omnes ægrotos. Si quæramus, quid fecerit in Jeruſalem, in Samaria, in Galilæa, ubique eum inveniemus ſucceſſivè occupatum in his duabus functionibus; quæ etiam eſt illa duplex occupatio, quā nobis imponit, prædicandi nimirū ubique, & omnibus benefaciendi; quia etſi Dei Filius exēplar ſit omniū, Chriſtianorū ſpecialiter tamen Clerici eum imitari debent, ita eſt, quilibet ſacerdos, quivis paſtor, ad exemplū hujus ſolis juſtitiæ debet eſſe in continuo motu; nunquam in quiete, expandendo lumen, & charitatē quaquaverſum, ità ut nemo ſit; qui de influentia ipſius non participet; *nec eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Pſ. 28. Hinc dixit JEſus ad Apoſtolos ſuos, Matth. 5. 14. *Vos eſtis lux mundi; nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſupra candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt.* Cenſetur lumen paſtoris ſub modio poſitum

tum & absconditum, & consequenter inutile, quando scientiam suam sibi soli reservat, nec aliis communicare vult lumina, quæ à DEO accepit, ait S. Gregorius M. *pastoral.* p. 1. c. 5. En! igitur primam obligationem illorum, quos DEus supra candelabrum Ecclesiæ suæ posuit; oportet, ut publicè prædicent & privatim; ut instruant ignorantes & confundant libertinos. Hinc est, cur Apostolus huic nomini *Pastorum* etiam hoc nomen *Doctorum* adjunxerit, ait S. Augustinus epist. 155. ad Maced. *alios autem Pastores & Doctores* Eph. 4. 11. ut intelligant Pastores, officium illorum esse prædicare, & docere alios. Sunt instar cujusdam speculatoris, quos DEus in sublimi loco constituit, ut super alios invigilent, & populum suum securum reddant, eumque, quid faciendũ sit, moneant; ita enim ait Dominus: *si, dicente me ad impium: morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris, ut avertatur à via sua impia, & vivat; ipse impius in iniquitate sua morietur; sanguinem autem ejus de manu tua requiram.* Ezech. 3. 18. An pluribus opus sit, ut timeamus, silentium adeò peccaminosum, sive ex negligentia, sive ex ignorantia, sive ex socordia originem trahat, siquidem cernimus, illud in causa esse, cur tot animæ æternùm pereant?

reant? *impius in iniquitate sua morietur*, de quibus tamen strictissima reddenda erit DEO ratio; *sanguinem ejus de manu tua requiram*?. Is. 6. 5. Fac super hoc reflexionem & attentionem aliquam; & si fortè in re tanti momenti ipse deliqueris, pete à DEO veniam, exclamando cum Propheta: *væ mihi, quia tacui*

PUNCTUM II. Considera, satis non esse, solutam esse linguam ministri Christi JEsu ad annuntiandum seu prædicandum Evangelium illius; oportet insuper applicare se ad benefaciendum omnibus hominibus, quicunque demum sint ad exemplum divini magistri sui, de quo scriptum est, *pertransiit, benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo*. Act. 10. 38. Nihil charitatem ipsorum effugiat, debent reducere peccatores ab errore viæ suæ; consolari viduas & pupillos; habere manus semper apertas, ad solatium pauperum & infirmorum; non possunt quidem eos sanare per miraculum, instar DEI Filii, verùm juvare debent eos, eosque inquirere, prout ipse quæsivit; debent esse oculus, qui eos indaget in locis secretis, quò pudor eos occultat, & manus, quæ eos à miseria, ad quam redacti sunt, educat; & quia redditus, & proventus Pastorum, quamvis benè eos impendant, haud

sufficere

sufficere possunt, ad succurrendum omnibus indigentiis suorum parochianorum, hortari debent fideles, ad contribuendum aliquid,& conjungendas vires suas, ut ambo satisfacere valeant primariæ, & maximè essentiali obligationi cujuslibet christiani, ad exemplum primorum fidelium, Act. 4. 34. qui vendebant possessiones suas, & pretium illarum ponebant ad pedes Apostolorum, ut distribueretur unicuique, *prout cuique opus erat*. Bone DEus! quandonam videbimus reflorescere hanc primævam charitatem? fiet hoc tunc, quando ipsi etiam Clerici populo suo præiverint suo proprio bono exemplo. *In sacerdote Christi, omnia debent esse vocalia*, est animadversio & instructio S. Hieronymi, dum rationem affert, & dat, cur summus Pontifex Judæorum in veste sua portaverit tintinabula, Exod. 28. 40..& S. Gregorius Papa, explicans verba ista Christi JEsu, Matth. 5. 13. *vos estis sal terræ*, ait, pastores debere esse respectu populi sui instar petræ salis. Si oves infirmantur, & morbo quodam laborant, neque manducare quidquam volunt, apponitur ipsis petra salis; lambere incipiunt animalia ista hanc petram; acquirunt sic novum gustum, & à morbo suo curantur. Ostendit comparatio ista, nostrûm esse, reaccendere fervorē

vorem fidelium & movere eos omni adhibito medio & conatu, ut exercitio bonorum operum se dedant, *si ergo sal sumus, condire fidelium mentes debemus.* Pro præparatione ad Missam roga Christum JEsum, ut hanc tibi gratiam concedat; erit hoc medium satisfaciendi huic tuæ grandi duplici obligationi, quam modò considerasti. *Curare namque sacerdotem necesse est, quæ singulis dicat, unumquemque qualiter admoneat; ut, quisquis sacerdoti jungitur, quasi ex salis tactu, æternæ vitæ sapore condiatur.* Greg. ibid. *Ut vitæ viam ipsa quoque opera sacerdotis clament.* idem l. 1. epist. 24.

FERIA QUARTA.

Ite, ostendite vos sacerdotibus, & factum est, dum irent, mundati sunt. Luc. 17. 14.

De utilitate confessionis.

1° Remittit peccata. 2dò. Restituit merita. 3tiò. Procurat gaudium, & quietem bonæ conscientiæ.

PUNCTUM I. PEccatum lepra est spiritualis, ut ab hac curemur, accedere debemus sacerdotes, quemadmodum leprosi, de quibus sermo est in hodierno Evangelio; est hoc mandatum Domini in Ecclesia statutum; sequamur illud fideliter; detegamus morbos nostros ministris JEsu Christi; *ite ostendite vos sacerdotibus;*

dotibus; si hoc faciamus, prout oportet, sanabimur; *& factum est, dum irent, mundati sunt.* Non est crimen adeò enorme, cujus absolutionem & remissionem in confessione non inveniamus, si hæc fiat humiliter, integrè, sincerè, & cum vera contritione. *Delictum meum cognitum tibi feci*, ait David Ps. 31. 5. *& tu remisisti impietatem peccati mei; dixi, confitebor adversùm me injustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Supra quem locum ait Origenes, hom. 3, in Levit. vide, quomodo confessio medium sit securū obtinendi remissionem peccatorum suorum? qui prævenit diabolum, accusando semetipsum, non poterit esse accusatus ab hoc inimico in die judicii. Oportet item detegere plagas nostras, ait, non solùm DEO, sed etiam medicis, qui in Ecclesia ad sanandum constituti sunt. Est aliquod peccatum, ait S. Augustinus in Ps. 58. quod DEus pro sua misericordia non possit condonare; si quæris, quale sit hoc? respondeo, est defensio peccatorum, quæ commisisti, si nimirum peccatorum ex superbia & obstinatione se reum fateri recusat; *est quædam iniquitas, quam, qui operatur, fieri non potest, ut misereatur ei DEus; quæritis fortè quænam sit illa? ipsa est defensio peccatorum.* Nā, *quo pacto DEus dignatur ignoscere*, ait idem

hom. 50. c. 9. *Quod homo dedignatur agnoſcere.* Qui ſeipſum in judiciis humanis accuſat, perdit cauſam ſuam; accuſare autem ſe coram DEO, & in tribunali pœnitentiæ, eſt ſalvari; *exomologeſis, cùm accuſat, excuſat; cùm condemnat, abſolvit,* Tertull. de pœnit. c. 6. amplectamur itaquè praxin tam facilem, & tam lucroſam; *ſi confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* 1. Joan. 1. 9. En primam utilitatem confeſſionis!

PUNCTUM II. Secunda eſt, quòd reddat animæ pulchritudinem ſuam. Peccatum ei abſtulit omnia merita, virtutes, & bona opera omnia, verùm per pœnitentiam hæc omnia iterum recuperat; *initium bonorum operum eſt confeſſio malorum operum,* ait S. Auguſtinus tr. 12. in Joan. Totus ſordidus & deformatus eras ob multitudinem & enormitatem peccatorum tuorum; confitere, ait S. D, explicans verba iſta Prophetæ, Pſ. 95. 6. *confeſſio & pulchritudo in conſpectu ejus,* ut ab hac fœditate libereris, & novam juſtitiæ pulchritudinem induas; *fœdus eras; confitere, ut ſis pulcher.* Aug. ibi. Aberraſti inſtar filii prodigi, & in cœnum impuritatis cecidiſti, ſi verò te laveris in hoc balneo pœnitentiæ; ſi ſincerè ad DEum revertaris cum vero ac intimo dolo-

re,

re, infinita ipsius misericordia te recipiet; amicitiam suam tibi iterum concedet; dabit qualitatem filii DEI, & jus ad hæreditatem æternam, quâ te indignum reddidisti, id, quod, ùt S. Pacianus parænes ad pœnit. ait, nobis indicatur per hæc verba Evangelii Luc. 15. 22. *citò proferte stolam primam, & induite illum; & date illi annulum in manu ejus, & calceamenta in pedes ejus.* O qualis consolatio pro peccatoribus! si ad hoc attenderent, anne integris annis absque confessione in peccatis suis permanerent? minimè, vide, ut eos de talibus moneas, & utere hoc motivo ad persuadendã eis pænitentiã, & ad invitandũ eos ad confessionem. In hunc effectum.

PUNCTUM III. Nota, confessionem etiam quamdam afferre utilitatem, nimirum procurat gaudium & quietem bonæ conscientiæ. Bellum erat peccatori cum Deo suo; sed per confessionem exactam & sinceram pacem stabilit, & quiete ac pace fruitur, qualis vix exprimi potest. Obtenta hac pace per sacram absolutionẽ, aliter laborandum non est, nisi ut cicatrices à peccatis relictæ in anima curentur. Si quis post diligens examen adhibitum, ad cognoscenda peccata sua, ad eáque sacerdoti aperienda, fortè alicujus oblitus fuerit, non propterea inquietari debet; con-

fessio non est tortura animarum, prout hæretici ajunt, sed potiùs à contrario inventa est, & introducta ad quietandam conscientiam, & extinguendos remorsus illius, prout Concilium Tridentinum sess. 15. de pœn. c. 9. docet. Scito, melius esse, memoriæ tuœ aliquid deesse, quàm contritioni, seu dolori de peccatis. Si quis ergo iterum recordetur peccati cujusdam obliti, debet illud simpliciter fateri; si verò illius recordari non potest, satis est, si veniam de illo petat à Christo JEsu, supremo sacerdote & Pontifice; quantò rigidior atque terribilior est contra peccatores, qui conversionem cordis sui negligunt, tantò majorem bonitatem & misericordiam ostendit erga eos, qui aliquid præcisè ex defectu memoriæ omittunt. Odium extremum concipe contra omnes defectus tuos; & sic omnes tibi condonabuntur; si ex oblivione de aliquo teipsum non accuses, quæ tibi voluntaria non est, contentus est DEus corde tuo; nec dici potest, quàm bonus sit erga eos, qui recto sunt corde, *quàm magna misericordia Domini, convertentibus ad se* Eccles, 17. 28. En! fructus & utilitates confessionis! explica eos populo tuo! sed esto primus ipse, qui ex hac doctrina proficias; roga in hunc finem DEum in præparatione tua ad Missam, ut

ut omnes illas dispositiones tibi concedere dignetur, quas Sacramentum istud ad quod toties accedis, exigit. Fac Domine, ut nonnisi potestatem illam considerem, & attendam, quam iis dedisti, quos judices & medicos animarum nostrarum constituisti, ut cum iis, tanquam tecumipso loquar, si eis peccata mea detego. Libenter me submitto, & subeo confusionem illam, quam merentur peccata mea; eámque tibi offero, ut incipiam sic expiare peccata mea; fac mihi gratiam istam, benè explicandi illa huic judici, qui alium in finem ea cognoscere non debet, nisi ut ab illis me absolvat, & me tibi reconciliet. O utinam me ita præsentare & sistere valerem in, & coram tribunali poenitentiæ & taliter intus constitutus forem, qualem teipsum Patri tuo præsentasti, dum totius mundi delicta in teipsum suscepisti! *DEus tu scis insipientiam meam, & delicta mea à te non sunt abscondita. Operuit confusio faciem meam.* Ps. 68.



FERIA QUINTA.

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum magna voce, magnificans DEum; & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens; & hic erat Samaritanus. Luc. 17. 15.

De gratitudine.

1. Recogitare debemus DEI beneficia.
2. DEO gratias pro illis agere. 3. Ex illis proficere.

PUNCTUM I. ASsumamus leprosum hunc pro duce nostro ad addiscendam gratitudinem, quam DEO debemus ob gratias ab illo acceptas. Tria fecit, in quibus consistit perfecta gratitudo juxta S. Thomam. 2. 2. q. 107. art. 2. in c. 1. imò quamprimum se sanatum vidit, de benefactore suo cogitat, ad eúmque revertitur; *ùt vidit, quia mundatus est, regressus est.* 2dò. Glorificat DEum alta voce; *cum magna voce magnificans DEum.* 3tiò adjicit se ad pedes JEsu, tanquam qui velit illi semper adhærere, & ab eodem nunquam separari. *Et cecidit in faciem, ante pedes JEsu.* Imitemur illum. Recogitemus beneficia à DEO accepta; studeamus nos gratos exhibere, & ex iis proficere. Persuasi, ac certi de hoc, nil boni in nobis esse, quod à DEO non sit, quamprimum memores simus misericordiarum suarum erga nos; ascendamus igitur usque ad primas gratias, quæ sunt, quasi primi annuli catenæ hujus, ex qua prædestinatio nostra constat. Creavit nos DEus paulò inferiores angelis, sed capaces ejusdem cum ipsis beatitudinis; dedit nobis animam immortalem; & nequaquam

in

in vanum recepimus animam istam; postquam enim amaverimus DEum, & servierimus ei super terram, possidebit hæc DEum in cælis æternum. Ex hoc progrediamur ad donum ineffabile, quod Pater æternus contulit nobis per Filium suum JEsum Christum in mysterio incarnationis, quod à nobis infinitam quamdam exigeret gratitudinem, si talis capaces essemus. Veniamus, deinde ad gratias illas, quas in Ecclesia, & sacramentalis invenimus, ubi peccata nostra in sanguine JEsu Christi abluuntur; cùm interim tot alii mortui sint in pœnitentia & sepulti in abysso desperationis, *Abyssi operuerunt eos; descenderunt in profundum quasi lapis.* Exod. 15. Computemus omnes has gratias; neque obliviscamur earum, quæ specialiter nobis út Clericis collatæ sunt; consideremus, quomodo separaverit nos DEus à communi plebe, ut essemus consecrati servitio illius; quomodo conservaverit nos in statu adeò sublimi, quot benedictionibus prævenerit nos in functionibus ministerii nostri; à quot periculis nos liberârit; omnia ista nobiscum expendamus & fateamur, quod totum debeamus misericordiæ divinæ. *Misericordia Domini, quia non sumus consumpti; quia non defecerunt miserationes ejus,* Thren. 3. 22. Verùm quia non sufficit talia recogitare tantùm.

PUNCTUM II. Curemus, taliter cor noſtrum iis affici, quemadmodum Samaritanus iſte, qui reverſus *cum magna voce magnificat DEum.* Anima, quæ intimè afficitur DEI erga ſe bonitate, ſatiari haud poteſt in rememorandis DEI erga ſe miſerationibus; lingua illius ſatisfacere haud valet cordi ſuo, vellet, ut omnis terra publicaret, & extolleret talia beneficia; *cantemus Domino; gloriosè enim magnificatus eſt, &c.* Exclamarunt Iſraelitæ poſt tranſitum maris rubri. Exod. 15. 1. Vide Pſalmos David, Epiſtolas S. Pauli, Confeſſiones S. Auguſtini, Opera S. Bernardi & S. Thereſiæ; quomodo reſonent hanc gratitudinem; quàm ardentia ſint verba illorum, & inflammata! an non videntur viſcera illorum, inſtar vocis cujusdam eſſe, quæ ſe in gratiarum actionem effundant? ſequamur illorum exemplum; neque ceſſemus laudare, & benedicere DEum ob beneficia ab illo accepta; *flumina ad locum revertuntur, unde venerunt, ut iterum fluant,* ait Eccleſiaſtes. cap, 1, 7. ita pariter fiat cum beneficiis, ait S. Bernard. in cant. ſer. 13. n. 1. *ad locum, unde exeunt, revertantur flumina gratiarum, ut iterum fluant. Remittatur ad ſuum principium cæleſte profluvium, quò uberius terris refundatur. Qualiter, inquis? qualiter dicit Apoſtolus, in omnibus*

bus

bus gratias agentes. Quidquid sapientiæ, quidquid te virtutis habere confidis, DEI virtuti, & DEI sapientiæ deputa Christo.

PUNCTUM III. Ultima obligatio gratitudinis est, ut studeamus proficere ex beneficiis acceptis, útque ea aliqua ratione compensemus, prout S. Thomas loquitur, per bonum usum illorum. Id, quod S. Prosper consuluit Demetriadi virgini in illa pulcherrima epistola, quam ad eam scripsit. Magnæ considerationis es, & à mundo suspicaris propter bona tua, quæ possides; ob virtutes tuas, ob nativitatem, seu natales tuas; verùm ob hæc ipsa magnam DEO debes gratiarum actionem, & magìs obligaris ad humiliandum teipsam *In omnibus bonis opulentiæ tuæ, & gratiam donatoris, & jus proprietatis agnoscas;* & quia omnia hæc, quæ habes, à DEO habes; *itaque utendum est tibi eis, quæ largitus est DEus; & ab eodem semper petendum, ut donis ejus fideliter, & scienter utaris.* An tali modo te gratum hucusque DEO exhibuisti? cogitastine sæpius de beneficiis ab eo acceptis? quales gratias ei egisti? ante omnia autem, qualiter his omnibus usus fuisti? servieruntne tibi gratiæ istæ ad gloriam illius propagandam? agnovistine, & contestatusne es illius liberalitatem per hoc, quòd ei & servìtio illius inviolabili-

ter ideo adhæſeris? recogita hæc acceſſurus ad altare; & tua gratiarum actio poſt Miſſam ſit, ut ſtudeas fidelius deinceps pendere divino Regi tuo hoc tributum gratitudinis, quod ei tot titulis debes. O Domine! ego adoro miſerationes tuas infinitas! ne permittas, ut earum unquam obliviſcar; aut tam infelix ſim, ut me tibi ingratum exhibeam; adhæreat lingua mea faucibus meis, ſi unquam te laudare & benedicere ceſſavero. Benedic anima mea Domino & omnia interiora mea benedicant ſanctum nomen ejus. *Benedic anima mea Domino & noli oblivisci omnes retributiones ejus; qui propitiatur omnibus iniquitatibus; qui ſanat, omnes infirmitates tuas: qui redimit de interitu vitam tuam; qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Pſ. 102. Repleatur memoria mea recordatione beneficiorum & gratiarum tuarum; ſit vita mea canticum continuum gratiarum actionis, & laudis; & ut nunc incipiam cantare in vita, quod in æternum me cantaturum ſpero; *miſericordias Domini in æternum cantabo.* Pſ. 88. 1.



FERIA SEXTA.

Nonne decem mundati ſunt, & novem ubi ſunt? non eſt inventus qui rediret, & daret gloriam DEO, niſi hic alienigena. Luc. 17. 18.

De

De ingratitudine.

1. Oblivíscimur beneficiorum DEI.
2. Ea nobis attribuimus.
3. Illis abutimur.

PUNCSUM I. SI consideremus, quòd ex decem leprosis à Christo sanatis nonnisi unus redierit, qui ei gratias egit, fateri cogimur ingratitudinem vitium esse commune & valdè ordinarium inter homines. Deberemus incessanter memores esse beneficiorum divinorum; gratias ei propterea referre & exinde proficere, prout in præcedenti meditatione diximus; verùm quid fit? pro eo, ut beneficia illius recolamus; oblivíscimur illorū; nobis ipsis ea attribuimus; pro eo, ut iis benè utamur, illis abutimur; quæ erit materia præsentis meditationis. Incipiamus à detestatione ingratitudinis horum novem judaicorum leprosorum, hoc est talis nationis, quæ DEO semper ingrata extitìt, adeò insensibilis est natio, & gens ista ob gratiam sibi à Christo JEsu factam, ut obliti beneficii curationis suæ, illius etiam obliti sint, à quo tantum beneficium acceperunt. *Obliti sunt DEum, qui salvavit eos.* Ps. 105. 22. Ut inde desumamus ingratitudinem illorum, quòd prius agnoverint cum stupore suam sanationem, quis credidisset, quòd unquam è memoria sua elabi passi fuissent

tan-

tantum beneficium, quod tam impensè optarunt, & desiderarunt, tam humiliter petierunt, tantâ fiduciâ expectarunt, tam viva agnitione miseriæ suæ implorarunt? verùm effectus minimè respondebat tam pio & devoto initio; usi sunt ex parte conditionibus illis, quas Apostolus assignat & requirit ad obtinendam aliquam à DEO gratiam; verùm neglexerunt illam, quæ priores coronat & disponit ad novas & majores accipiendas, volo dicere memoriam accepti beneficii, & reditum ad benefactorem suum; *non est inventus, qui rediret & daret gloriam DEO.* An non nostra hæc est imago? incessanter in momenta singula recipimus à DEO novas gratias; has autem vix accipimus, & statim eorum obliviscimur similes nempe sumus corvo illi ex arca emisso, ubi securè quiescebat tempore diluvii, qui tamen reversus non est, quando vidit diluvium cessasse. Divinæ providentiæ & misericordiæ sinus instar arcæ est, quæ nos portat & protegit in medio turbarum & tempestatum hujus sæculi, postquam naufragium evasimus; nequaquam cogitamus reverti ad arcam istam; & benefactoris & beneficii simul obliviscimur. *Non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.* Ps. 105. Quantum crimen!

PUNCTUM II. Nec solùm beneficiorum

rum DEI obliviscimur, sed tam insolentes sumus, ut eadem nobis attribuamus; *manus nostra excelsa & non Dominus fecit hæc omnia.* Deut. 32. 27, Nos ipsos consideramus ùt authores fortunæ nostræ & dignos, quibus gratiæ istæ obveniant; tanquam justa & digna compensatio, ac merces bonorum operum nostrorum, Pelagiani, si non oretenus, saltem cordetenus; volumus nimirum dona DEI ignorare, & nobis ipsis sufficere, pro eo, ut agnoscamus, & fateamur totum ab eo venire & gratiam & bonum usum illius, prout Ecclesia nos instruit in suis precibus; *DEus, de cujus munere venit, ut tibi à fidelibus tuis dignè ac laudabiliter serviatur.* Orat. Dom. 12. post Pent. Quot Clerici hoc errore tenentur, qui, postquam victores in multis tentationibus evaserunt, tentationi superbiæ & amoris proprii succumbunt. Videntur sapientes esse & zelosi, verùm quia sibimet ipsis attribuunt qualitates similes, quas habere videntur, stulti & insensati evadunt, quemadmodum philosophi illi, de quibus S. Paulus Rom. 1. ait, quòd cúm cognoverint DEum, illum tamen ùt DEum non glorificaverint. *Quia ergo fuerunt superbi & ingrati, digni habiti sunt, qui traderentur in concupiscentias cordis sui*, ùt S. Augustinus in Ps. 13. advertit, En abyssum, in

quam

quam deducit ingratitudo, quia non ſolum nobis ipſis attribuimus dona DEI, ſed inſuper

PUNCTUM II. Abutimur illis; ſervire nobis debet liberalitas divinæ bonitatis ad eum, majori cum ſcandalo, offendendum; id quod ipſemet DEus per Prophetam ſuum Iſ. 43. 22. nobis exprobrat; *non me invocaſti Jacob; nec laboraſti in me Iſrael, non mihi obtuliſti arietem holocauſti, tui & victimis non glorificaſti me.* Nec minimum conatum adhibuiſti, ut homagium mihi debitum exſolveres.. Tantùm abeſt, ut gratitudinem tuam mihi oſtendas, ut potiùs beneficiis meis abutaris, iisque tanquam inſtrumentis iniquitatũ tuarum utaris; *ſervire me feciſti in peccatis tuis; præbuiſti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* ibid. 24. An non hoc ipſum in ſingulos dies videmus? qualiter abutuntur peccatores bonìs, quæ à DEO acceperunt? ebrioſus iis utitur, ut exceſſus ſuos continuet; avarus; ut in uſuris ſuis pergat; impudicus pergit in ſuo infami comercio; ſuperbus exinde luxui & vanitati ſuæ ſatisfacit. Quot Clerici, etiam illi, qui contra ingratitudinem è Cathedra detonant, ab errore hoc exempti ſunt? examina teipſum deſuper, & invenies, quòd ſæpius abuſus fueris DEI donis; quæ non ad gloriam DEI applicaſti, ſed

sed talentis tuis, tam corporalibus quàm spiritualibus usus fuisti ad tuam propriam gloriam; scientia tua ad aliud tibi non profuit, nisi ad inflationem proprii cordis tui, & ad satisfaciendum ambitioni tuæ; nec melior fuit usus dignitatis tuæ & bonorũ tuorum, ac reddituum ecclesiasticorum, quibus prodigè usus fuisti in expensas superfluas, cùm in pauperes erogarì debuissent; & denique non vixisti prout decebat bonum clericum, longè remotus ab omni luxu, & pompa hujus sæculi. Salutarem itaque concipe confusionem in consideratione ingratitudinis tuæ præteritæ, & in futurum considera te ad exemplum Samaritani, tanquam alienigenam respectu Dei, agendo illi gratias, non solùm pro maximis favoribus, sed etiam pro minoribus; certò de hoc persuasus, non esse beneficia magìs indebita, & gratuita, quàm quæ alienigenæ ignoto, & ingrato exhibentur; *felix, qui se alienigenam reputans, etiam pro minimis quibusque beneficiis, non minimas refert gratias, gratuitum esse non dubitans, quo alieno impenditur, & ignoto.* S. Bern. de diversf. serm. 27. Pro præparatione ad Missam, propone tibi certos dies in anno (quales sunt, in quibus specialia beneficia à Deo accepisti v. g. dies baptismi, conversionis, ordinatio-

nis &c.) quos gratiarum actioni specialiter destines, & consecres. Offer in hunc finem communiones, elemosynas, aliaque bona opera horum dierum, tanquam hostias eucharisticas, adde huic sanctæ praxi textus quosdam à S. scriptura, qui ferventiores actus, & affectus continent, sintque tibi pro orationibus jaculatoriis, quibus frequenter utaris ad contestandã Deo gratitudinem tuam & quidem toties, quoties fieri potest. *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo; lauda anima mea Dominum,* Ps. 33. *Laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo, quamdiu fuero.* Ps. 145. *Exaltabo te Deus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum; & in sæculum sæculi.* Ps. 144. *Benedic. anima mea Domino, & noli oblivisci omnes retributiones ejus.* Psal. 102.

DIE SABBATHI,

Et ait illi, surge, vade, quia fides tua te salvum fecit. Luc. 17. 19.

QUALITER VERE PÆNITENS POST CONVERSIONEM SUAM VIVERE DEBEAT.

1. Lucrum & utilitatem ex suis lapsibus trahit.
2. Illos reparat, & resarcit, per fervorem pænitentiæ suæ.

PUNCTUM I. SI Dominus noster JEsus Christus à lepra peccati in sacramento pænitentiæ nos puri-

purificare, & liberare dignatur, jubet etiam nos, quemadmodũ Samaritanũ hunc *surgere, & abire, surge & abi. Surgimus,* ait quidam ex veteribus interpraetibus, *quando à peccatis resipiscimus, cùm malæ consuetudini insuetæ resistimus; cùm nobis ipsis, quòd tales fuerimus, displicemus; ambulamus verò, cùm virtutum studiis desuetum jam, & quasi ignavum animum exercemus,* Ericus. in hoc Evang. Hæc est ratio vivendi veri pænitentis; facit nimirum spiritus pænitentiæ eum in ipsis peccatis suis invenire magna lucra, & incrementa salutis suæ. Millenas gratias agamus Domino nostro JEsu Christo pro hac mirabili inventione, & videamus, quomodo pænitens ex lapsibus suis proficiat? 1mo. evadit exinde humilior. Consideratio peccatorum confusione illum replet tantâ, ut non audeat levare oculos suos in cœlum, neque os suum aperire ad loquendum; *miser factus. Sum & curratus sum usque in finem* Ps. 37. 7. Permittit Deus lapsus nostros, ut sanet radicem superbiæ in nobis, ait S. Augustinus de nat. & grat. l. 2. 27. facit instar sapientis chrigurgi, qui magnum malum minori malo curat; *ut dolor dolore tollatur.* Verus pænitens utilitatem capit ex hoc remedio, quod Deus adeò utiliter, & tam misericorditer ex

propria noſtra miſeria trahere ſcit; taliter deinceps vivit. ut lapſus præteriti illi ſerviant ad reddendum humiliorem, magis cautum, & ferventiorem; & tunc verum eſt, quod S. Bernardus in Pſ. Qui habitat. ſerm. 2. ait, lapſus noſtros cooperari in bonum noſtrum; *nonne cooperatur nobis ille caſus in bonum; unde & humiliores efficimur, & cautiores.* 2do. majori deinceps cuſtodia utitur, convictus de ſua fragilitate, & debilitate, cujus tam triſtem experientiam habuit. Fugit, & elongat ſe à præcipitio illo, in quod cecidit. Quia adeò infeliciter pane dæmonis, veneno infectus fuit, mavult deinceps jejunare, quàm manducare, ùt S. Cyprianus de lapſ. c. 20. loquitur, *poſt diaboli cibum, malle jejunium*, vult dicere, non vult amplius fidere creaturis, à quibus fuit deceptus; neque commercium aliquod habere cum mundo, à quo fuit corruptus. Similis videtur eſſe, ait Tertullianus, de pænit. c. 7. illis, qui è naufragio evaſerunt, nolunt amplius redire, & mari ſe committere, conteſtando Deo gratitudinem ſuam, per continuam memoriã periculi, ex quo eos liberavit; *plerique naufragio liberati, exinde repudium & navi & mari dicunt, beneficium ſalutis ſuæ, memoriâ periculi, honorantes.* 3tio magis deditus eſt orationi; exactior in recurrendo ad

Deum; in tempore tentationis fidelior, & ferventior in ſatisfaciendo obligationibus ſuis, *factus ad prœlium fortior per dolorem.* S. Cyprianus epiſt. 57. An ità profeciſti hucuſque ex lapſibus tuis? factúsne es humilior, ſapientior, vigilantior? cognito etiam aditu, per quem peccatum in cor tuum ingreſum eſt, habuíſtine curam, majori cautelâ ex hac parte deinceps utendi, ad exemplum gubernatoris urbis, qui non ceſſat fortificare illam magìs ex illa parte, ex qua jam ſemel hoſtis illam occupavit? fac, ut ſaltem impoſterū adhuc magìs attendas. Rarum eſt, ut quis non quandoque labatur, ſed valdè diverſi ſunt ejuſmodi lapſus, ait S. Bernardus, l. c. *homines enim aliquandò cadere neceſſe eſt, dum in hoc ſœculo detinentur, ſed alii non; quia Deus ſupponit manum ſuam.* Hi ultimi ſunt veri pænitentes, qui non ſolum lucrum & utilitatē trahunt ex lapſu ſuo, ſed eundem etiam reparant, & reſarciunt per pænitentiam, prout videbimus.

PUNCTUM II. Verus pænitens præ oculis ſuis habens peccata, quæ expiare, lapſus, quos reparare, juſtitiam divinam, cui ſatisfacere deſiderat, confuſionem in anima concipit, dolorem in corde excitat & omnibus pænis ac ærumnis libens ſe ſubmittit. En! quâ fidelitate hos a-

ctus & has dispositiones in se procuret tam sanctas & pænitentiæ tam necessarias! imo animatus spiritu pænitentiæ, continuò peccatum suum ante oculos suos habet; totam illius enormitatem secum expendit, & exinde ruborem & confusionem concipit; *tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me.* Ps. 43. 16. Non erubescit solùm comparere coram Deo, & in præsentia tam sublimis majestatis, sed quandoque etiam coram hominibus, postquam se ipsum tot sceleribus fædavit. Loca deserta & horrida non aliter considerat, nisi ùt talia, quò per totam reliquam vitam suam, relegari fuisset promeritus; *ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine.* Ps. 54. 8. 2do. nec minor est dolor ipsius, quàm confusio & erubescentia; *peccavi, & in amaritudinibus moratur oculus meus.* Job. 17. Tanto dolore tangitur, quòd Deum offenderit tā bonū, tā amabilē, ut non cesset offerri illi sacrificium cordis contriti & humiliati, de quo propheta loquitur, quòdque solum attrahere potest gratiosum divinæ misericordiæ obtutum supra peccatorem pænitentem; *cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Ps. 50. Non solùm summè detestatur peccata sua commissa, sed insuper ita resolutus est, ea deinceps non ampli-

us committendi, ut crucifigat carnem ſuam cum concupiſcentiis, & omnes contrarios, ac inordinatos in ſe ipſo exſurgentes motus, & affectus impugnet, & abominetur; *iniquitatem odio habui, & abominatus ſum.* Pſ. 118. 3tio exponit corpus ſuum paſſioni & humiliter ſe ſubmittit omnibus, quæ divina juſtitia in eum exercere vult. *Ego in flagella paratus ſum.* Pſ. 37. Similem zelum & indignationē cum Deo contra peccatum concipit, ut illud rigoroſâ pænitentiâ puniat, ac caſtiget, certus de hoc, ac perſuaſus, eò ſe miſericordem magìs Deum erga ſe experturum, quò minús indulgens erga ſe ipſum fuerit: *in quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet.* Tert. de pæn. c. 10. En diſpoſitiones veri pænitentis! ſùntne autē hæ etiam tuæ? non niſi valdè frequenter lapſus es, qualis eſt ergo ſolicitudo tua, reparandi lapſus tuos? oporteret decies magìs laborare pro procuranda gloria Dei, quám laboraveris ad illam deſtruendam; *ſicut fuit ſenſus veſter, ut erraretis à Deo, decies tantum iterum convertentes requiretis eum:* ait propheta Baruch. 4. 28. Facìſne hoc; ô quàm infirma eſt, & debilis pænitentia tua? igitur pro præparatione ad Miſſam roga Deum, ut renovet in te ſpiritum pænitentiæ, ſine quo dignè mā-

ducare haud poteris carnem Salvatoris, qui rex & caput eſt omnium pænitentiū. Domine Deus meus, qui per infinitā miſericordiam tuam nobis donas, ut proficere valeamus ex ipſis noſtris lapſibus eòſque per pænitentiam reparare, concede, quæſo, nobis hanc gratiam, amplectendi hanc praxin, quam modo conſideravimus. Debemus hoc facere, utpote peccatores, ut ſic peccata noſtra expiemus, & juſtitiæ divinæ ſatisfaciamus; debemus hoc facere tanquam chriſtiani, & membra Chriſti JEſu, ut ſic imitemur hunc Deum pænitentem & crucifixum; ſed adhuc magìs debet idipſum à nobis fieri, quia ſumus miniſtri Eccleſiæ tuæ, quia ût tales occupati eſſe debemus, ut peccata populi deploremus, & deſuper continuò ingemiſcamus. O Domine, concede nobis haſce cordis noſtri diſpoſitiones, & tunc dicere poterimus cum propheta tua: *defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus.* Pſ. 30.

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

Spiritu ambulate; deſideria carnìs non perficietis. Galat. 5. 16.

De Castitate.

1. Æſtimatio, quam de illa habere debemus.
2. Et ſolicitudo ſeu cura illam conſervandi.

PUN-

PUNCTUM I. PRima verba hujus epistolæ pulcherrimam materiam meditationis nobis præbent; siquidem eò nos hortantur, ut non amplius vitam ducamus animalem & carnalē, sed ex toto spiritualem, omninò puram & cælestem. *Spiritu ambulate*, ait Apostolus, *& desideria carnis non perficietis*. O quàm felices essemus nos, si taliter viveremus! non despondeamus animum, quamcunque debiles simus; possumus enim cum auxilio gratiæ, quia notandum cum S. Augustino, in expos. epist. ad Galat Apostolum non dicere, nos non amplius habituros desideria mala; cùm præsens vitæ hujus status hoc non permittat, & in potestate nostra haud sit, talia impedire, sed desideria *carnis non perficietis*, non implebitis; hoc enim est, à quo nos per auxilium gratiæ divinæ præservare possumus. Quid est ergo vivere secundum spiritum? est consentiri illi, ait hic S. P. *Quid est duci spiritu? Spiritui Dei consentire jubenti, non carni concupiscenti*. Idem serm. 15. de V. A. nov, edit. Et sic possumus implere, si volumus, quod S. Paulus hìc nobis dicit, modò fideliter insistamus orationi, & tantùm amemus virtutem hanc castitatis, quantum debemus. Roga cælestem sponsum animarum castarum, ut repleat

cor tuum amore, & æstimatione hujus pulcherrimæ virtutis; quæ juxta testimonium Spiritûs S. nil in toto mundo sibi in pretio æquale habet; *omnis autem ponderatio non est digna continentis animæ.* Eccles. 26. 20. Inter elogia, quæ SS. PP. huic virtuti dant, ait S. Joannes Climacus Gradu 15. aliquos eam nominasse, participationē naturæ Angelicæ, habitalū dignū JEsu Christo; scutū seu clypeū cordis, cœlum terrestre, tranquillitatem, seu quietem omnium passionum. *Quid castitate decorius,* exclamat S. Bernardus, tract. de mor. & offic. ep. c. 3. *quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, angelum denique de homine facit?* Ubique pulchra est, sed maximè in clerico & sacerdote, cujus principale est ornamentum. Hinc queadmodum obligatus est ratione functionum suarum, ut Deo appropinquet, ità etiam excellere debet in hac virtute, sine qua non meretur nomen sacerdotis; *soli, qui puram agunt vitam, verè sunt Dei sacerdotes.* Vide nunc, qualem æstimationem habeas de hac virtute? fecistíne reflexionem ad illam, dum sacros ordines recepisti, quòd totum vitæ tempus de cætero in castitate transigere debeas? quomodo loqueris de cœlibatu, quem Ecclesia ministris suis præcepit & impo-

imposuit? accepistíne hoc praeceptum bono animo? anne cum gaudio suscepisti statum talem, qui te à tot solicitudinibus eximit, quibus conjugio alligati implicati sunt? *qui sine uxore est, solicitus est, quae Domini sunt. quomodo placeat Deo; qui autem cum uxore est, solicitus est, quae sunt mundi, & divisus est.* 1. Cor. 7. 33. Si nullum aliud commodum ex cœlibatu traheretur, quàm haec libertas, quâ gaudent, qui ad hunc statum vocati sunt, quòd unicè se occupare valeant iis rebus, quae ad servitium divinum referuntur, haec sola praerogativa sufficere deberet, ut anima veré christiana contenta esse posset, ait S. Hieronymus advers. Jovinian. l. 1. *cùm nulla merces virginem amplior sequeretur, sufficeret haec sola praelatio, cogitare, quae Domini sunt.* Quia verò non sufficit, aestimationẽ habere castitatis;

PUNCTUM II. Cosidera, oportere, ut magnā curam adhibeas, eam conservandi. Nil pretiosius in toto mundo est istâ virtute; verùm nihil etiam tam facilè amitti, nil tam difficile reparari potest. Agnosce virtutem hanc, & hinc *teipsum castum custodi.* 1. Tim. 5. 22. Invigila sensibus tuis; nunquam oculos tuos conjice in talia objecta, quae animae tuae puritatem corrumpere possent; fuge ludos, periculosas conver-

versationes, spectacula, societates, & diversiones hujus mundi, quæ personas etiam sapientissimas, & vitæ licèt austerioris pervertere possunt; *inter tantas illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat*, ait S. Hieronymus Epist. 23. Evita teneras & sensuales amicitiæ conjunctiones cum altero sexu, quamcunque spirituales & sanctæ videantur esse; *nec in præterita castitate confidas*, ait S. Hieronymus, Epist. ad Nepot. *nec sanctior David, nec Samsone fortior, nec Salomone potes esse sapientior.* Familiaritas cum fœmis stravit hos magnos viros; pariter etiam te ad lapsum perducet, si eas non omni solicitudine evites. Evita convivia & omnem excessum in cibo & potu, otium, mensam opiparam &c. *Venter mero æstuans, citò despumat in libidines*, ait S. Hieronymus Epist. 82. ad Ocean. Ama mortificationem, jejunium, solitudinem, laborem, orationē; esto devotus erga beatìssimam Virginem & humilitatem continuò sectare profundam, ad illius exemplum, quæ à SS. PP. custos castitatis appellatur. *Per humilitatis custodiam servanda est mundicia castitatis.* Greg. M. in Job l. 26. c. 19. Sepè nimis bona de seipsis existimatio in causa est apud clericos, cur irāDei in se provocent, quæque meretur, ut cadere eos permittat Deus

us in vitium impuritatis, quod juxta Apostolum quasi ordinarie pœna est, & castigatio superborum; *evanuerunt in cogitationibus; propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Rom. 1. Examina te per hæc omnia signa, utrum solicitudinē illam hucusque adhibueris, quæ ad conservandam castitatem necessaria est. Seriò te, antequam ad altare accedas, supra hoc reflecte; recordare qualitatem sacerdotis, quam in S. altari exerces, exigere à te particularem ac singularem caracterem castitatis, & ut ita dicam, puritatis cujusdam sacerdotalis, prout S.Hieronymus coment. In 1. ad Tit. c. 6. loquitur; *castitas propria, & ut ità dixerim, pudicitia sacerdotalis.* Ità ut satìs haud sit, sacerdotem abstinere ab omni turpi actione, sed oportere, animam illam, quæ corpus JEsu Christi offerre debet, nec minimum quid admittere, per quod puritas illius vel in minimo offuscari posset; *ut non solùm ab opere se immundo abstineret, sed etiam à jactu oculi, & cogitationis errore, mens Christi corpus confectura, sit libera.* Ibid. O Domine, qui á ministris tuis castitatē adeò perfectam exigis, concede nobis, quæso, hanc virtutem, & quidem talem, qualem à nobis exigis, & expectas; *continentiam jubes; da, quod jubes, & jube, quod vis.* S. Aug. l. 10. conf. c. 29.

FE-

FERIA SECUNDA.

[*Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſùs carnem; hæc enim ſibi invicem adverſantur, ut non, quœcunque vultis, illa faciatis.* Galat. 5. 17.

De Rebellione Carnis Contra Spiritum.

1. Qualis ſit. 2. Quomodo nos in illa gerere debeamus:

PUNCTUM I. CAſſianus, cujus collationes adeò notæ ſunt hominibus pietatem profitentibus & colentibus, explicat verba hæc, ad meditandum hìc aſſumpta, tali modo, quē, utile ac proficuum fuerit, hìc referre. S. Paulus docet nos, ait collat. 4. c. quód habeamus bellum quoddam inteſtinum, *legem membrorum*, ab ipſo vocatum; caro enim concupiſcit adversùs ſpiritum, & ſpiritus habet deſideria alia, carni contraria. Militant continuò inter ſe, adeò, ut non facias id, quod velles. Diviſio iſta, & oppoſitio carnis cum ſpiritu facta in nobis eſt, quaſi connaturalis, poſt lapſum primi hominis; & Deus vult, ut nunquam ab iſto certamine deſiſtamus; nam ſi pugnare ceſſemus, in illam pacem pernicioſam & mortalē deveniemus, in qua caro victrix ſpiritui dominatur, quin hic illi reſiſtat. Jam verò per hoc nomen *caro* ait Caſſianus ibid. c. 11. haud oportet intelligere ipſum

ipsum hominem, hoc est, substantiam hominis, sed voluntatem carnis, & desideriorum inordinatorū. Quemadmodū per hoc nomen *spiritus* nequaquā substantiā intelligere debemus, sed bonas & sanctas animæ affectiones; & quia hæc differentia desideria, nimirū carnis & spirit9, continuò in nobis inveniuntur, sic constanter versamur etiam in bello isto dòmestico, & intestino. Quia ex una parte concupiscentia carnis, quæ semper in malum tendit, gaudium, & quietem suam invenit in deliciis, & voluptatibus terrenis; concupiscentia autem spiritûs carni resistentis, desiderat se applicare tā perfectè ad exercitia spiritualia, ut optaret sibi ipsi interdicere usū rerum etiam necessariarum, ad conversationem corporis, & taliter absorberi in visibilibus; & nec minimam solicitudinē vel curam illi impendere deberet, à qua continuò impugnatur. Vellet quidem anima in tali statu posita, ut ejusmodi carnalia desideria minimè tantâ violentiâ consurgerent; non vult tamen tolerare dolorem illum, qui ad acquirendas virtutes, & ad impulsum spiritûs sequendum, necessarius est; hinc vellet possidere castitatem curporis absque mortificatione carnis; obtinere puritatem cordis, quin seipsum per vigilias debilitet; conjungere ac

com-

componere divitias, & bona ſpiritualia animæ cum ſatisfactione proprii corporis; fundare ſe in patientia, abſque eo, quòd per afflictiones tranſeat; exercere humilitatem, quin aliquid ipſi de honore mundano decedat, unire ſimplicitatẽ christianam cum ambitione ſæculi, ſervire JEſu Chriſto, & laudari ab hominibus; denique taliter acquirere vellet bona futura, ut nil perdat de bonis præſentibus ibid. c. 12. Quia ergo caro eſt, quæ animam in hoc ſtatu teporis & ſocordiæ detinet, ideo oportet, ut fervore ſpiritûs adjuvetur, ac ad illum gradum perfectionis perveniat, de quo Apoſtolus loquitur, dum nimirum ſpiritus carne ſuperior effectus, nil amplius facit, quod hæc deſiderat. Felix ſe in hoc ſtatu poſitũ invenit. Quãquã caro adhuc illum quandoque impugnet; nequidẽ ſanctiſſimis, quandiu in hoc mundo ſunt, parcit, hæc tamen non niſi languidè, & abſque violentia aliqua fit. Modo finis non ſit bellandi, & reſiſtendi, facilè erit reportare triumphum; *exercete bellum*, ait S. Aug. ſerm. 128. de V. E. nov. edit talibus tentatis, *ſperate triumphum*. In quem effectũ.

PUNCTUM II. Videamus, quid nobis faciendum ſit in bello iſto carnis adverſùs ſpiritũ? 1mo. perſuaſi eſſe debemus, bellum hoc nullas omninò admittere inducias;

ducias; cùm concupiscentia in nobis ad mortē usque permaneat; prout docet Concilium Tridentinnm, Sess. 5. de pecc. orig. c. 4. debemus nos quoque per totam vitā, nostrā contra eam pugnare, nos humiliare, ingemiscere, suspirare destructionē illius, habere recursum ad orationem, sine intermissione petere à Christo JEsu auxilium gratiæ ipsius, in eoque ponere omnem fiduciā nostrā, inque consideratione miseriæ nostræ exclamare cum S. Paulo, Rom. 7. 24. & aliis sanctis; *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus: Gratia DEI per JEsum Christum Dominum nostrum.* 2dò crucifigere debemus carnem nostram cum passionibus, & desideriis illius inordinatis. Id quod fecerunt & quotidie adhuc faciunt omnes illi, qui verè sunt JEsu Christi, prout Apostolus ait: *In hac quidem cruce*, juxta S. Augustinum ser. 226. de quadr. nov. edit. *per totam illam vitam, quæ in mediis tentationibus ducitur, perpetuò debet pendere christianus.* Vita ista nequaquā tempus illud est, in quo somniare possimus, liberari nos posse, à clavis illis, de quibus Propheta Ps. 118. 220. ait, *confige timore tuo carnes meas:* Oportet hāc crucifixionem esse permanentem; *sic semper vive hic christiane; si terreno limo gressus non vis immergere, noli de ista cruce descendere* I-

dem ferm. 206. in quadr. 3tiò ultimum consilium, quod in particulari confessarios concernit, eósque, quibus cura animarū incumbit, est, ut taliter tentatos & afflictos instruant, eósque consolentur. Sunt aliqui, qui pro eo, ut ejusmodi infirmitatibus fratrum suorum compatiantur, eos à se crudè repellunt, & tanquam infames tradunt. Modus hic agendi infaustus post se trahere posset sequales, prout contingit in quodam juvene solitario, seu eremita, de quo Cassianus loquitur, qui continuis ejusmodi tentationibus impuris vexatus; ex veteribus anachoretis aliquem accessit, ut illi statum animæ suæ detegeret, sperans se remedium aliquod suo malo reperturum. Verùm hoc non invento, & nonnisi cruditatem, & immisericordiam experiendo, in hoc homine erga se, jamjam in eo erat, ut exequeretur id, ad quod à tentatione alliciebatur, nisi sanctus Abbas Apollonius, vir illuminatior, & majoris charitatis, quàm prædictus ille veteranus, eum cohibuisset, & consolatus fuisset. Ejusmodi directores imprudentes, & infirmitatibus fratrum suorum minimè condolentes, timere debent, ne in pœnam & castigationem superbiæ suæ, & duritiei idipsum experiri cogantur, quod vetus iste anachoreta, id est, ne primo insultui ten-

tationis eis superventuræ succumbant. Igitur, qui hujus generis tentationes nondum sunt experti, non extollāt seipsos, neque cum indignatione tractent eos, qui validè ab iis infestantur, sed potius pro iis orent, eósque charitativè consolentur: debent insuper seipsos eò magìs humiliare ex eo, quòd videant DEum adeò parcere infirmitati ac debilitati suæ, vel fortè, quòd ex illis sint, quos dæmon nequidem dignatur tam fortiter & violenter aggredi & tentare. *Tranquillitas tempestas est*, ait S. Hieronymus Epist. 1. ad Heliod. Reflecte te parumper supra hoc consilium & monitum. Pro præparatione ad Missam roga divinum hunc medicum animarū, ut dignetur te visitare hodie, háncque tibi misericordiam exhibeat, ut hac ipsa sua visitatione benè utaris. Potentissime protector DEus Israël conserva ac protege me in hac pugna carnis contra spiritum; doce, quæso, me artem vincendi, uti & instruendi alios in bello, & pugna tanti momenti, *sine quo nulla est salus, sicut præter crucem nulla redemptio est.* Abb. Guerr. serm. 2. in Dom. Palm. n. 5. inter opera S. Bernardi.

FERIA TERTIA.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. Gal. 5. 24.

De Passionibus.

1. Excessus illarũ· 2. Remedia contra hos Excessus.

PUNCTUM I. VEri discipuli Christi, JEsu, tantum abest, ut sequantur concupiscentias suas, & opera carnis perficiant, de quibus in epistola præsenti sermo est, quæ à regno DEI excludunt illos, qui talia faciunt, ut potiùs *carnem suam crucifigant cum vitiis & concupiscentiis suis*, ait S. Paulus, quia huc devenire oportet eum, qui cupit esse JEsu Christi. Examinemus modò passiones istas quas crucifigere oportet; assignabimus postea etiam media ad eas redimendas. S. Ambrosius l. 7. in Luc. 4. comparat illas cum febri; *febris nostra libido est; febris nostra luxuria est; febris nostra ambitio est; febris nostra iracundia est.* Solet ordinariè febris tres post se trahere excessus. Calefacit, seu accendit sanguinem, perturbat rationem, & sitim tantam causat, quæ vix extingui possit. Similes ferè, nec minores excessus post se trahunt passiones nostræ. Imò ardentes sunt. Quis exprimere valet, quàm impetuosè contra nos insurgant? ad quos excessus deveniat avarus, ambitiosus, vindicativus, impudicus, quæ tormenta patiantur de sua avaritia, superbia, vindicta, & passionibus carnalibus? *suis ardet*

det incendiis, ait S. Ambrosius l. de Joseph Patri: c. 4. *& peccati sui facibus exuritur.* Homo passionũ suarũ mancipium, nullã habet requiẽ. Ubique secũ ignẽ, & flam̃as suas defert, suũ. suppliciũ, suũ infernũ; non est necesse, ut justitia divina aliis eum poenis ac suppliciis castiget, quàm qualia in seipso experitur. *Jussisti Domine, & sic est,* ajebat S. Aug. l. 1. conf. c. 12. *ut pœna sibi sit omnis inordinatus affectus.* 2dò. cœcæ sunt. Personæ passionatæ seu immortificatæ nil capiunt, nil intelligunt, quæcunque illis dicantur, & proponantur. *Ambulabunt ùt cœci, quia Domino peccaverunt.* Soph. 1. 17. Tales sunt cœci voluntarii, qui malitiosè oculos suos claudunt lumini; cor ipsorũ mille diversis passionibus ardens & æstuans obscurat intellectũ, & taliter perturbat rationẽ, ut vix amplius capaces sint cognoscendi veritatem. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem,* ait Propheta Ps. 57. & S. Augustinus addit, ignẽ hunc, qui eos excœcat, aliũ non esse, nisi ignem concupiscentiæ, qui eos impedit, ne videre possint solem justitiæ; *supercecidit ignis concupiscentiæ, & non viderunt solem justitiæ.* Illi duo infames senes, qui castã Susannam adorti sunt, testimoniũ manifestũ huic veritati reddunt: *everterunt sensum suum,* ait scriptura Dan. 1*æ*. 9. *& declinaverunt ocu-*

los ſuos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum juſtorum. 3tiò ſūt inſatiabiles. Vindicativus omninò opprimere vult inimicū ſuū; avarus de novo coacervare pecunias; ambitioſus continuò altiùs aſcendere. Quo plus conceditur paſſionibus; eo plus exigunt, & extorquent. Sitis quæ extingui non poteſt, id, quod S. Auguſtinum l. 4. conf. c. 6. dicere compulit: *miſer eſt omnis animus, vinctus amicitia rerum mortalium.* Bone DEus! quis comprehendit, quanta ex paſſionibus ſequantur damna, & infelicitas; ubi ſunt chriſtiani illi, imò etiam Clerici, qui exceſſus illos videant, & ſecum expendant, quos in anima producunt! verùm, quia ſatis non eſt, eas ſolummodo cognoſcere, & agnoſcere,

PUNCTUM II. Veniamus ad remedia, quæ contra illas adhibere debeamus. 1mò ardentes ſunt, & inflammatæ; igitur promptè iis reſiſtendum. *Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Gen. 4. 7. Motibus iræ, invidiæ, vindictæ agitaris? ſtatim illos reprime, & fac per hanc tuam promptam reſiſtentiam, ut dicant impoſterū, non tam ſubitò exſurgere, & exardeſcere. Motus impuros experiris? noli multùm deliberare; noli diſputare cū illis; ſed ſtatim vix natos ſuffoca; *beatus, qui tenebit, & allidet parvulos ad petram; quia,*

qui

qui delicatè à pueritia nutrit servum suum, postea sentiet eum contumacem, ait Spiritus S. in proverbiis cap. 29. 22. 2dò cœcæ sunt. Igitur oportet eos ducere, & non sequi. Monitum hoc est Sapientis Eccles. 18. 30. *Post concupiscentias tuas non eas.* Haud dubiè melius & utilius tibi foret, tales non habere seu experiri, ait S. Augustinus ser. 45. de temp. si autem tales experiaris, noli iis obedire, dominari volunt; dominare tu illis. *Melius est eas non habere, sed quia sunt, noli post eas ire, nolunt post te ire, noli post eas ire; si velint post te ire, non erunt, quia contra mentem tuam, non rebellabunt; rebellant, rebella, pugnant, pugna, expugnant, expugna. Hoc solum videte, ne vincant.* 3tiò sunt insatiabiles. Oportet eas mortificare. Exerce virtutes illis contrarias, sine quibus quis placere DEO nequaquam potest. *Qui autem in carne sunt, DEO placere non possunt,* Rom. 8. Considerare debemus passiones nostras instar bestiarum ferociũ, quibus dominare debemus; indulgentiâ nunquam reguntur; solus timor eas coërcere, & frœnare potest. Tractandæ sunt ut inimici irreconciliabiles, quibuscũ non est permissum inire pacem sub quocunque demũ prætextu; quia si nos ipsos non destruent, & in interitum perducent nos. *Conculca hos bestiales motus, quia domari de-*

 bent,

bent, *ne dominari valeant;* ait S. Bernardus ferm. 4. de afcenf. n.12. *nifi enim calcati fuerint, conculcabunt nos ; nifi premantur, oppriment nos*. Nota interim, quôd, etfi æqualiter pugnare, & impugnare nos deceat omnes paffiones noftras, magìs tamen in particulari aggredi oporteat prædominantem, quæ reliquas omnes animat, & inftigat, & eft inftar originis, & fulcri illarū; *validioribus enim fuperatis*, ait Caffianus collat. 2. c. 24. *celerem de refiduis habebis, facilémque victoriam*. Intuliftine bellum tale paffionibus tuis? ah quoties ab iis victus fuifti per teporem & negligentiā tuā? efto deinceps ferventior in iis impugnandis. *Perfequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non convertar, donèc deficiant*. Pf. 17. 38. Fac hoc propofitū ad altare acceffurus, & inftanter implora auxilium illius, qui folus victoriam tibi dare poteft. Veni ô JEfu! veni, & vive in me! regna & dominare fupra paffiones meas, quæ non minus tui, quam noftri funt inimici; *dominare in medio inimicorum tuorum*. Pf. 109. 2. Conforta nos per gratiā tuā, & fideliter pugnare, & certare valeamus, quia fine hoc, nullô modô obtinebimus pacem cordis & quietē bonæ confcientiæ. *Refiftendo paffionibus, invenitur pax cordis*. de imit. Chrifti l. 2. c. 6.

FE-

FERIA QUARTA.

Nemo potest duobus dominis servire.
Matth. 9. 24.

DE PLURALITATE BENEFICIORUM.

1: In quem finem fundata sint beneficia.
2: Utrùm licitum sit plura possidere.

PUNCTUM I. INcipit Evangelium nostrum ab aliqua regula seu principio omninò summi momenti. Sed, ah! quàm malè observatur! Christus JEsus volens omniū corda ad DEum trahere, qui solus Dominus illorū est, hanc pronuntiat sententiam; *nemo potest duobus dominis servire.* Interim, quot dantur christiani, imò etiam Clerici, quorum cor divisū est inter bona cœlestia & terrena. O funestā divisionē! exclamat Propheta, Oseè 10. 2. *divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Poni possunt in numerū illorū, omnes isti, qui DEO & divitiis seu pecuniis simul servire prætendunt; illi Clerici, qui cùm Dominū elegerint in partem & hæreditatē suā, etiam avaritiæ suæ, ambitioni suæ satisfacere cupiunt, & student, accumulando beneficia ac plura possidendo. Et quia abusus iste nimis communis, & ordinarius est in Ecclesia, haud inutilē pro meditatione materiam præbebit. Examinemus ante omnia, quid sit beneficium, & in quē finē detur? beneficiū aliud non est, nisi jus ali-

quod, vel à Pontifice, vel ab Epiſcopo conſtitutū, percipiendi certa bona DEO conſecrata, collatū alicui Clerico, propter officium aliquod ſpirituale. Quia bona, ſeu redditus eccleſiaſtici non dantur, niſi ut DEO & Eccleſiæ ipſius ſerviatur, ſive celebrando Miſſam, ſive recitando horas canonicas, ſive adminiſtrando Sacramenta, ſive aliā ſimilē ſpiritualē functionē exercendo, prout loquitur Conciliū generale Conſtantienſe ſeſſ. 43. decret. de diſpenſ. Ex quo inferri oportet 1mò beneficiū haud legitimè conferri, niſi capaci, ſeu tali, qui dignè obire poſſit officiū, & miniſteriū illi annexū. *Beneficia eccleſiaſtica perſonis dignis & habilibus conferantur*, ait Conciliū Trident. ſeſſ. de reform. c. 3. quod non ſolùm intelligi debet de capacitate præcisè, quoad ſcientiā, ſed etiā quoad integritatē morū, & vitæ probitatē. Nam ùt dicit Clemens V. oportet aliquem eſſe *vitæ laudabilis, & converſationis honeſtæ*, in Clement. cùm &c. de conceſſ. præb. l. 3. tit. 3. A. 1585. tit. de Monaſt. cui beneficiū aliquod conferri poſſit. 2dò notandum eſt, redditus ſeu proventus eccleſiaſticos, pro ſuſtentatione Clericorū deſtinatos, & aſſignatos, bona eſſe à pietate fideliū Deo conſecrata. *Res Eccleſiæ vota ſunt fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*, ait

Conci-

Conciliū Aquense; itaque Clerici non sunt Domini proprietarii reddituū suorū, sed solummodo œconomi, & administratores obligati ad hoc, ut sanctè utantur eo, quod ipsis ultra propriam sustentationē superest. En paucis! naturā & finē, & institutionē beneficiorū. Attendisne autem ad similia? maxima pars Clericorū adeò non attendunt ad hæc in suo modo vivendi & agendi, ut potius beneficia sua considerent, tanquā occasionē quietè, & comodè vivendi & agendi, vel tanquā media, ditandi suos consanguineos; minima illorū cura est, ut intentioni Ecclesiæ quoad hoc satisfaciant, & ad mentē fundatorū laborent in suo ministerio. Hinc est, quòd non contenti eo, quod modò habent, semper nova indagent, & magnâ curâ & solicitudine acquirere studeant. Ingemisce super hoc & eorū cœcitatē, & miseriam deplora, dole, quod patrimonia pauperū tam injustè dissipentur; quia verò, qui ejusmodi sunt, non desunt, qui cupiditatem suam, & plura habendi desiderium, & injustos conatus excusent;

PUNCTUM II. Videmus, utrū licitū sit pluralitas beneficiorū? meliores authores defendunt, hanc esse contrariā 1mo jurî naturali, quod vult, ut quis laboret pro eo, cujus censu & stipendiis vivit. Beneficiū datur nonnisi ob officiū, prout constat ex comuni, & universaliter recepto axio-

mate. Si ergo ægrè satisfacere potes obligationibus unius solius beneficii, quomodo audes plura ad te attrahere, & adipisci? quid diceres de vinitore, qui se locâsset ad laborandū per unā septimanā in certa vinea, si pro eadē septimana operā suā alteri locaret, & idē salariū peteret, quamvis nonnisi pro cultura unius solummodo vineæ laborasset? injustitiæ eū accusares; & condemnares talē ad restitutionē salarii illi, in in cujus vinea non laborasset; & quidē justè. Idipsū tamē fit ab iis, qui plura beneficia simul possident, ait Guilielmus Episcopus Parisiensis, l. de plural. benef. habent tria beneficia, dicúntne, seu legunt quotidie tres Missas? recitántne tribus vicibus una die officiū divinū? utinā sæpius, quàm semel tantùm illud recitare omitterent; *cùm unum officium*, ajebat S. Gregorius, hom. 16. in Evang. *vix implere sufficiant, stipendia sibi vindicant plurimorum.* 2dò agunt tales contra jus divinū, & invertunt ordinē à Christo JEsu in Ecclesia sua stabilitū. Sunt in Ecclesia aliqui Apostoli, alii Prophetæ, alii Evangelistæ, alii Pastores & Doctores, ut simul in unū omnes laborent, ad perfectionē Sanctorū, ad opus ministerii, in ædificationē Corporis JEsu Christi, ùt Apostolus Eph. 4. 12, loquitur; an non igitur monstrosa res est, homines

mines

mines tales, qui neque zelum Apostolorū, neque lumen Prophetarū, neque scientiā doctorū, neque vigilantiā, & charitatē pastorū habent, ejusmodi loca occupare, & plura obtinere beneficia, dum interim alii longè capaciores & virtuosiores omninò ab iis exclusi, vitā miserè transigunt, in necessitate, & indigentia omniū rerū? 3tió denique pluralitas ista beneficiorum prohibita est à Jure ecclesiastico. Quia ordo Ecclesiæ subvertitur, ait Conciliū Trident. sess. 24. c. 17. de reform. si unus Clericus loca plurimorū obtineat. SS. canones sanctè ordinarunt, quòd nullus in duabus Ecclesiis debeat recipi; verùm quia plures cupiditate excoecati, seipsos decipientes, quin DEum fallere valeant, non erubescunt per diversas artes, tam sanctas ordinationes eludere, & simul possidere plura beneficia; sanctū Conciliū volens restituere disciplinā necessariā pro bono totius Ecclesiæ, præcipit per præsens decretū, quod observari omninò vult, & præcipit ab omnibus, quicunque demū ii sint, quocunque titulo gaudeant, etiam ipsis Cardinalibus non exceptis, ut deinceps unū solū beneficiū ecclesiasticū uni soli conferatur. Cui adjungit Concilium, quod si tamen beneficiū tale haud sufficiat ad honestam sustentationē illius, cui illud

colla-

collatum eſt, permittitur, ut ei aliud adhuc conferatur, quod ſimplex ſit, & ſufficiens, modò hæc duo beneficia non requirant reſidentiā perſonalē. Ergo poſſideri non poſſunt duo beneficia, ſi unū ſolū ſufficiat pro congrua ſuſtentatione, quin contraveniatur decreto tam ſalubri, per quod nonniſi antiqua Eccleſiæ decreta confirmantur. Poteſt autē obtineri diſpenſatio? verùm eſt, quòd diſpenſatio ex legitima cauſa cōſcientiā, prout S. Thomas quodlib. 9. a 15. docet; verùm ſi cauſa non ſit legitima, quid judicandū de tali diſpenſatione? quænam autē cauſa legitima ſit, S. Bernardus, l. 3. de conſid. c. 4. reſpondet, *ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio; ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt; utilitas dico communis, non propria; nam cùm nihil horum eſt, non planè fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio.* An non pluribus defactò idipsū dici poſſet, quod Albertus M. olim cuidā Canonico Colonienſi dixit, qui valdè contentus Româ reverſus eſt, obtentâ licentiâ poſſidendi ſimul plura beneficia? *poteras ire in infernum ſine licentia; nunc ibis cum diſpenſatione.* Speculū Cleri. ſeq. 7. Deteſtare hanc poligamiā ſpiritualē; noli ſeduci vanîs quibusdam prætextibus, quibûs aliqui utuntur ad eā colorandā. Si Conſeſſarius es, inſpira pœnitentibus tuis Cle-

ricis

ricis horrorē de illa; ſtude paulatim eos reducere in viā rectā, qui ab ea aberrarunt; ante omnia autē ora pro iis in præparatione tua ad Miſſam; ut DEI Filius, qui omnia pro nobis DEO Patri ſuo ſacrificat, corda eorum abſtrahere ab his terrenis dignetur; quia, ut S. Hieronymus epiſt. 1. ad Heliod. ait *affatim dives eſt, qui cum Chriſto pauper eſt.*

FERIA QUINTA.

Non poteſtis DEO ſervire, & mammonæ. Matth. 6. 24.

DE AVARITIA.

1. Plures Clerici huic vitio ſubjecti ſunt.
2. Pauci ſe emendant.

PUNCTUM I. AUdiat avarus, ait S. Hieronymus; audiat, qui hoc nomine chriſtiani gloriatur, quod hic Chriſtus dicit; *non poteſtis DEO ſervire & mammonæ.* Non ait Salvator, non poteſtis habere pecunias, ſed dicit, non poteſtis pecuniæ ſervire. Eſtote Domini, non mancipia divitiarū. Qui Dominus eſt, diſtribuit illas, & facilè ſe illis privat; verùm qui illarū mancipiū eſt, cuſtodit eas iisque alligatus eſt. Et hanc adhæſionē timere debemus; hanc adeò damnat Chriſtus JEſus in Evangelio ſuo. *Videte & cavete ab omni avaritia,* ait ad diſcipulos ſuos Luc. 12. 15.

O quàm

O quàm necessariò ità monendi eramus! proficiamus ex hac monitione, ait S. Augustinus ferm. 107. de V. E. nov. edit. *Audiamus, timeamus, caveamus.* Omnes christianos contingit hoc monitū, verùm particulariter Clericos, quorū vita non solùm exempta esse debet ab avaritia, sed insuper ab omni suspicione hujus vitii. Elegerunt sibi DEum pro parte, & hæreditate, sed ipse solus cor eorū possidere debet, ipse eis promisit centuplū, quod eis sæpe in hac vita concedit, eoquòd plures talia bona possideant ùt Clerici, quia non haberent, si in sæculo mansissent. *Nonnulli enim sunt*, ait hìc S. Hieronymus epist. ad Nepot. *qui possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habebant.* Et tamen ad confusionē plurimorū dicere oportet, vitā illorū minimè exemptā esse ab avaritia. Verùm dices, ubi ergo sunt isti avari, & pecuniis inhiantes Ministri sacri? omnes illi sunt, respondent SS. PP. qui statū ecclesiasticū amplectuntur ex fine & intentione ditescendi, & ut ibi comodius vivere valeant, quàm in mundo vixissent, *ut suspiret Ecclesia divites, quos mundus tenuit antea mendicos.* ibid. Illi sunt, ait S. Greg. Nazianz. qui sacros Ordines ùt occasionē, vel mediū considerant, & arripiunt lucrandi vitæ ne-

tæ necessaria, *victûs parandi occasionem, & subsidium, hunc ordinem esse judicantes.* apolog. 1. Illi sunt, ait Gregorius Papa, pastor. 1. p. c. 1. qui ex solo instinctu cupiditatis seipsos ingerunt in hunc statum, & curam animarum, *sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt.* Illi sunt, qui beneficia beneficiis accumulant; qui Missam non legũt, officio divino non intersunt, nisi ob retributionem; quî non prædicant, nec Sacramenta administrant, nisi ex fine lucrandi, qui sæpius etiam indignis absolutionẽ impertiunt, sub spe donarii, vel lucri cujusdam, *docentes, quæ non oportet, turpis lucri gratia,* ad Tit. 1, 11. Denique omnes illi sunt, qui contra præceptum Christî JEsu, DEO & mammonæ servire volunt, vel quod pejus adhuc est, qui DEO serviunt, ut pecuniæ & divitiis serviant, existimantes, ùt S. Paulus 1. Tim. 6. 5. aît, *quæstum esse pietatem.* Adorant DEum apparenter, & ex hypocrisi; pecunias autem in veritate, & sine fictione. Infelices isti; ut verbîs S. Bernardi utar, *Christi opprobria, sputa, flagella, clavos, lanceam, crucem & mortem, hæc omnia, in fornace avaritiæ, conflant, & profligunt, in acquisitione turpis quæstus, & pretium universitatis suis marsupiis includere festinant.* serm. 10. in cant. Quiescant in amore falsorum (si tamen solicitudo, hæc

conſervandi, & augmentandi, eis requiem quamdam permittit) & nec min imùm vel ſalutem, vel perditionem animarum curant; *harum in amore quieſcunt animarum, nec caſus reputatur, nec ſalus* S. Bern. ibid. O ſtatum deplorandum! examina nunc, an non teipſum etiam reum avaritiæ invenias? vel omninó etiam Simoniæ? & ut majorem horrorem de ejusmodi vitiis concipias,

PUNCTUM II. Conſidera, quòd rarum quid ſit, ſi quis ex avaris ſe convertat. S. Paulus 1. Tim. 6. 9. hanc dat rationē: qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in diverſa deſideria inutilia, & pernitioſa, quæ præcipitant homines in abyſſum perditionis, & damnationis. Reliqua vitia cum ætate decreſcunt, ſola avaritia adeò non diminuitur, ut potiùs non obſtante infirmitate virium creſcat; *omnia vitia ſeneſcunt ſeneſcente homine, ſola avaritia non ſeneſcit*, ait S. Gregorius M. moral. l. 15. c. 11. videmus hoc quotidie non ſolùm in divitibus hujus ſæculi, ſed etiam apud ipſosmet clericos. Quàm rarum eſt, ſacerdotem, qui huic vitio ſemel ingreſſum in cor ſuum conceſſit, ſeipſum corrigere, & pœnitentiam deſuper agere? plurimi quoad hoc Judæ ſimiles ſunt, ſcimus, quòd, prout Ori-

genes

genes comment. in cant. hom. 4. notavit, Christus Dominus illi curam temporaliū, & pecunias suas modicas commiserit, ut talia ad suam voluntariam dispositionem habens, quibus cor ipsius tanta aviditate inhiabat, sensim de sua hac passione aliquid remitteret; sed pro eo, ut ex hoc excessu bonitatis proficeret, docet nos scriptura, à sua avaritia illum eousque impulsū, & coactum fuisse, ut magistrum suum prodere, & pro pretio eum vendere constituerit. An non idipsum etiam faciunt clerici? bonis eos replet Christus Dominus, & quidem majoribus quandoque, quàm in sæculo habere potuissent; fiúntne exinde meliores? minuítne hoc cupiditatem eorū? non, potiùs crescit illa indies, & sæpe haud minor est, quàm illa Judæ, siquidem ea furantur Christo, quæ pauperibus non dant; neque verentur pretium redemptionis generis humani vendere populo suo, dando iis sacramenta, & quidquid in religione nostra sanctum est, pro pecuniis. Judas mortuus est in peccato suo, & objectum execrationis factus est post mortem suam; finis horum clericorum sæpissimè similis est; postquam in tota vita sua ad omne bonum inutiles fuêre, ordinariè post mortē suam evadunt objectum murmurationum, & indignationis aliorum. Ministri Domini!

ni! deteſtamini igitur vitium hoc tam infame, tam indignū ſtatûs veſtri ſanctitate; *tu autem o homo DEI, hæc fuge.* 1. Tim. 6. 11. Amate eleemoſynam; *non ſolùm avarus eſt, qui rapit aliena, ſed & ille avarus eſt, qui cupidè ſervat ſua.* S. Aug. ſerm. 28. de diverſ. Evitate hanc parſimoniam, quæ potiùs laqueus eſt, quem diabolus vobis tendit ſub prætextu futurarum neceſſitatum; *multa, qui recondit, videat cætera, cui remaneant, nè fortè, cùm ſervas, unde vivas, colligas, unde moriaris,* ait S. Auguſtinus. ibid. Et quia tentatio poſſidendi hæc bona terrena tam periculoſa eſt, ut hac occaſione etiam ſapientiores quique lapſi ſint, roga Chriſtum Dominum, ut hanc tibi miſericordiam exhibere dignetur, ne illi ſuccumbas; hanc gratiam hodie in Miſſa petere debes. O JEſu, qui nobis tantopere contemptum divitiarum commendâſti, ne permittas, obſecro, ut fiduciam meam in iis ponam; ut affectiones cordis mei iis non addicam; fac quæſo, ut avaritiam fugiam tanquam rem clericis omninò perniciosiſſimam, & tanquam originem & radicem venenatam, quæ maximorum in clero exceſſuum cauſa exiſtit. *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus; ipſe enim dixit: non te deſeram, neque derelinquam.* Hebr. 13. 5.

FERIA

FERIA SEXTA.

Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini. Math. 6. 25.

QUOD ANIMUM NOSTRUM AB HIS TERRENIS ABSTRAHERE DEBEAMUS.

1. Quàm hoc sit necessarium.
2. Et quàm rarum inter Clericos.

PUNCTUM I. PRincipalis finis, quem sibi in Evangelio îsto, quod hîc explicamus, proposuit Christus, est, abstrahere corda nostra ab his terrenis bonis. Conformemus nos cum omni reverentia, huic intentioni divini magistri; non damnat justam, & rationabilem solicitudinem circa nostram subsistentiam, seu sustentationem decentem, & convenientem; esset hoc tentare DEum, si media illa negligeremus, quæ divina providentia in manibus nostris posuit, ut nobis procuremus necessaria vitæ, id, quod prohibet, est hæc inquietudo, anxietas illa, curæ superfluæ, quas nobis ipsis facimus, ordinariè circa illas res, quæ nobis minimè deerunt, si fideliter DEO servierimus. *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus, quærens panem.* Ps. 36. 25. Discamus itaque hodie abstrahere animum nostrum à bonis hujus mundi; simus dociles huic divini magistri voci, & sermoni, qui Luc. 14. 13.

ait; *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Dicamus similiter cum Apostolis : *ecce reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Hæc erat illa sancta dispositio, quâ, & per quam primi isti ministri JEsu Christi, quorum modò tenemus locum, totum mundum converterunt, & in corde paganorum avaritiam destruxerunt, quæ erat magnum illud mundi idolum. Ut de hoc simus persuasi, alio non opus est, nisi ut audiamus id, quod S. Paulus ad presbyteros ecclesiæ Ephesinæ Act. 20. 33. ait: *argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicuti ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ; omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini JEsu, quoniam ipse dixit; beatius est, magis dare, quàm accipere.* Si omnes, qui se Apostolatûs officio immiscent, tam puras manus ostendere possent, ùt S. Paulus, omnino alium fructum apostolatûs ipsorum videre esset. Non apportabat hic Apostolus ad prædicationem Evangelii, juxta S. Chrysostomum hom. 6. in 3. ep. ad Ephes. magnum apparatum. seu commeatum, non mensam magnificam, non pretiosam suppellectilem, *sed doctrinam sanam, vitam irreprehensibilem; & mentem ad*

omnia paratam pro Christo. Venite pastores divites, & opulenti, venite, & videte parsimoniam hujus S. Apostoli? quídque divitiarum ex prædicatione Evangelii collegerit? proximus morti, erat, quam indies exspectabat, quando secundam suam epistolam ad suum charissimum Timotheum scripsit; *penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros; maximè autem membranas.* 2. Tim. 4. 13. Ah! pallium istud pauperrimum S. Pauli, tot conversionum causa, plus valet, quám omnes thesauri pastorum, qui, nescio, quàm magnificè vivunt! ô quàm benè ostendit omnibus Evangelii ministris, quàm necessaria illis sit, ita abstrahere animum suum ab hisce terrenis rebus, ut expeditius laborare valeant pro salute animarum, prout oportet; interim

PUNCTUM II. Rarissimum hoc est inter clericos; & reflexio illa S. Bernardi, supra hæc verba S. Pauli 1. Tim. 6. 8. *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, nunquam minùs locum invenit, quàm moderno tempore. Non est quidem honorifica respectu plurium Clericorum, necessaria tamen ipsis est, ut horrorem de statu suo miserabili, in quo vivunt concipere discant. Nunquam, ait hic S. P. in præfat. vit. Malach. minor e-

rat numerus bonorum, quàm in præsenti; nullum sæculum adeò denudatum fuit, quàm nostrum; silentio involvo vulgarem, & viliorem multitudinem filiorum hujus sæculi; oculos meos conjicio in eos, quos ùt columnas Ecclesiæ respicimus; *quem mihi ostendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem gentium, non magis de sublimi fumantem, quàm flammantem?* ubi inveniemus hæc luminaria, & ardentes faculas, nisi eos numerare, & producere velis, qui sibimetipsis tales esse videntur? qui putant, pietatem ipsis servire debere pro medio ditescendi; quærendi non gloriam Christi, sed proprium interesse & lucrum; quid dico? pro sanctis haberentur, si contenti forent iis, quæ sua sunt, & non aliena, injustè desiderarent, vel quærerent. Meminerint tamen tales, qui ad hunc gradum imaginarium sanctitatis pervenerunt, qui contenti vivunt, eo quòd ad ipsos justè pertinet, nec aliena peccaminosè appetunt, idipsum vel à paganis etiam requiri; an non petimus à militibus, ut suo solario contenti vivant, si salvi esse velint? sitnè igitur laus aliqua pro clerico, si perfectior haud sit milite? Domine! ubi sumus? *quàm rarus tamen iste ipse in clero!* ubi inveniendus igitur clericus talis, qui necessariis contentus vivat, &

res

res superfluas spernat? hoc tamen omnibus Clericis, qui successores Apostolorum esse volunt, imposuit Apostolus; *habentes alimenta, & quibus tegamur, his contenti simus*, ait. Ubi hic ordo, hæc regula observatur? legimus ista in libris, sed quis est, qui talia observet? *Ubi forma hæc? in libris cernimus eam, sed non viris; habes verò de justo, quia lex est in corde ipsius, & non in codice.* Et tamen si observares hanc ordinationem apostolicam, nondum propterea ad perfectionem pervenisses; nam qui perfectus est, semper paratus est etiam necessariis carendi, sed in vanum ista illis proponuntur; *utinam superfluis ponatur modus! utinam non cupiamus in infinitum!* si ita est, dicet quis, tum nulli amplius darentur sancti Clerici, & pastores sancti in ecclesia? absit, ut in talem cogitationem deveniamus, vel consentiamus. Suscitavit DEus temporibus S. Bernardi multos sanctos Episcopos, & inter illos admirabilem illum virum, sanctum Malachiam, ex cujus occasione illa protulit, quæ primùm attulimus; plures similiter suscitavit sequentibus sæculis, qui absolutissimum exemplum fuêre non solùm talis perfectæ renuntiationis, sed etiam omnium aliarum virtutum. Non est dubium, quin aliquos pariter sibi eti-

am noſtra ætate reſervârit, qui veſtigia horum magnorum ſanctorum ſequuntur. Verùm hoc non obſtante valdè modicus eſt numerus iſte reſpectu tot aliorum, qui volentes divites fieri, ſcandalizant Eccleſiam avaritia & ambitione ſua, & in abyſſum damnationis ſeipſos præcipitant; ſuper quo meritò cum S. Bernardo ingemiſcere debemus. Ora Dominum in præparatione tua ad Miſſam, ut hanc perfectam abnegationem in te operari dignetur, quò in ſtatu ſis, eum imitandi, ſerviendique eccleſiæ ipſius deinceps majori cum fructu; *quaſi ſacerdos & levita, nudus nudam crucem ſequar.* S. Hier. epiſt. ad Nepot.



DIE SABBATHI.

Quærite ergo primùm regnum DEI, & juſtitiam ejus; & hæc omnia adjicicientur vobis. Matth. 6. 33.

De salute animæ.

1. Obligatio laborandi pro ea.
2. Quomodo laborandum ſit?

PUNCTUM I. EN concluſionem Evangelii noſtri, & urgentem illam rationem, quam DEI Filius nobis affert, ut non anxiè nos affligamus, quoad ea, quæ vitæ noſtræ neceſ-

saria sunt! nimirum primariam curam & solicitudinem nostram versari debere, in quærendo primùm regno DEI; in laborando pro æternitate, vivendo in justitia & innocentia. Hoc principale est; bona hujus mundi non nisi accessoria, & accidentalia sunt. Igitur cura salutis nostræ grande illud, imò unicum nostrum negotium esse debet, & illud *unum* necessarium, de quo alibi Christus ait: *porrò unum est necessarium.* Ut hanc obligationem capiamus, haud aliter negotium salutis nostræ considerare debemus, quâm imò ùt negotium tale, quod maximè ac præ reliquis nos tangit; quod personam nostram concernit, & quod nulli alteri committere possumus, sed nos ipsi de eo rationem reddituri sumus, *Unusquisque onus suum portabit*, ait S. Paulus Galt 6. 5. *quæ seminaverit homo, hæc & metet.* ibid. v. 8. *Unusquisque nostrûm pro se rationem reddet DEO.* Rom. 14. 12. Si coram divino tribunali comparebimus, contra nosmetipsos statuemur, & non contra alios; & quilibet tunc recipiet juxta opera sua. Igitur attende tibi ipsi; cogita de te ipso, exclamat hîc S. Ambrosius Hexam. l. 6. ministri Domini, qui pro salute aliorum laboratis, nolite vos ipsos oblivisci; *attende tibi, ô homo! attende tibi.* Tibi,

& non pecuniis tuis! tibi & non redditibus tuis, vel tuo beneficio, tibi, non corpori tuo, quod non niſi cinis & pulvis eſt; animæ tuæ, utpote nobiliſſimæ parti tuæ; *in qua totus es; in qua melior tui portio eſt.* Noli ergo alteri committere, quod tuæ ſaluti conducere poteſt; quia non ſolùm noſtrum eſt hoc negotium; ſed inſuper 2dò. negotium maximi momenti; negotium magni momenti eſt illud, ubi lucrū vel damnum magnum quoddam poſt ſe bonum, vel malum trahere poteſt. De quo autem agitur in negotio ſalutis? de corpore, de anima, pro tempore, pro æternitate; ſi ſalutem tuam aſſequaris; en te beatum pro ſemper; ſi eam negligas, perditus es pro tota æternitate, & nil in toto mundo damnum hoc tibi reſarcire poteſt; *quid enim prodeſt homini, ſi mundum univerſum lucretur; animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?* ait JEſus Chriſtus Matth. 16. 26. *aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?* quid interim facimus pro ſalute noſtra, de mane uſque ad veſperam à principio anni uſque ad finem illius? datur æternitas, de qua ipſe DEus cogitat; & nos nec per aliqua momenta de illa cogitare volumus; ſalus noſtra cauſa fuit incarnationis D. N. J. C. prout ſæpius id in Miſſa repetimus,

&re-

& recolimus; *qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* Consideramúsne autem salutē nostrā tanquā negotiū sumi negotii? & ut adhuc plus dicam, 3tiò tanquam unicum negotium nostrum? quia hoc demum est, ad quod omnia nostra referre debemus; *DEum time, & mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo*, ait Sapiens Ecclesiastis 12. 23. *si hoc est omnis homo*, glossatur S. Bernardus, *absque hoc nihil est omnis homo.* Propone veritatem istam populo tuo, qui magna ex parte ignorat obligationem, quam habet, laborandi pro salute sua; dic ei sæpiùs cum Apostolo: *tempus breve est*, 1. Cor. 7. 29. & quidem longè brevius, quàm cogitemus ipsi. Multum de illo frustra ætati permisisti; vide, ut imposterum melius illô utaris. *Reliquum est, qui habent uxores, tanquam non habentes sint; & qui emunt tanquam non possidentes; & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur.* ibid. v. 30. & 31. Tempus est, ut cor tuum abstrahas à voluptatibus & bonis hujus sæculi; *præterit enim figura hujus mundi.* Verùm ut in negotio tanti momenti utiliter labores,

PUNCTUM II. Videmus, quomodo hoc fieri oporteat? negotium nostrum est; debe-

debemus ergo quamprimum in eo laborare. Negotium eſt magni momenti; oportet hoc facere ſtudiosè; eſt unicum negotium noſtrum; ergo continuò in eo, & pro eo laborandum eſt. 1mò quamprimùm laborandum eſt pro eo; neque exſpectanda ſenectus, ut primùm tunc de ea cogites. *Memento creatoris tui, in diebus juventutis tuæ*, ait Sapiens Eccleſiaſtis 12. 1. *antequam veniat afflictionis tempus, & appropinquent anni, de quibus dicas: non mihi placent.* Non habes tempus, quod perdas; religioſa parcitate illud conſervare ſtude, quia omnia momenta pretioſa ſunt; in quibus promereri poſſumus æternitatem gloriæ; & ſi hucuſque non niſi nimium exſpectâſti; feſtina nunc, mi frater, ait S. Hieronymus, in Eccleſ. c. 9. petere à DEO veniam, quamdiu janua miſericordiæ tibi patet; *dum in iſto ſæculo es, feſtina agere pænitentiam.* Quia non invenies in altera vita alias gratias, quales hic in vita contempſiſti, vel neglexiſti, id quod te hortatur Salomon, quando Eccleſiaſtis 9. 10. ait: *quodcunque facere poteſt manus tua; inſtanter operare. Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos, quò tu properas.* 2dò oportet magna ſolicitudine laborare pro ſalute noſtra.

stra. *Custodite solicitè animas vestras.* Consilium est à Moyse datum Israëlitis Deut. 4. 15. Non minus nobis necessarium in hoc mundo, ubi tot sunt peccandi occasiones, ut quolibet gressu, quem in via ista facimus, in periculo versemur perdendi totam felicem æternitatem, prout loquitur Tertullianus: *nos verò in periculo æternitatis versamur.* Periculosissimi sunt inimici salutis nostræ, aliúdque non quærunt, nisi perditionem animæ nostræ; *fortes quæsierunt animam.* Ps. 53. 3. Via, quæ ad æternitatem ducit, arcta est; pauci sunt, qui eam inveniunt, ait Christus Matth. 7. 14. & S. Chrysostomus addit, adhuc pauciores esse, qui eam aggrediuntur; paucissimos, qui usque in finem in ea permaneant. O quot ex reprobis seipsos deceperunt! quia, ùt Sapiens Prov. 14. 12. ait, *est via, quæ videtur homini recta, novissima autem ejus deducunt ad mortem.* Totum hoc obligare nos debet ad vigilandum magna solicitudine supra nos ipsos, & exequendi consilium hoc apostolicum: *cum metu & tremore vestram salutem operamini.* Philip. 2. 12. 3tiò oportet continuò in hoc negotio laborare, ne, si paululum remittamus, & intepescamus, alius nobis coronam nostram auferat. Hoc DEus ipse minabatur cuidam Episcopo

ſcopo in apocalypſi: *ecce venio citò; tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. 3. 11. Vide, quid in mundo quotidie fiat pro rebus nihili? vir, qui vitæ neceſſaria lucrari debet piſcatione ſua, intentos habet oculos ſuos continuò in retia ſua; paſtor ovium continuò vigilat, ne illo dormiente lupus gregem invadat; mercator continuò negotium ſuum ſecum ipſo tractat. Dignum igitur eſt, ut & nos quoque continuo negotio ſalutis noſtræ occupemur. Dicamus cum Propheta regio Pſ. 118. *anima mea in manibus meis ſemper; & ſicut*, juxta animadverſionem S. Bernardi in vigil. Nat. Dom. ſerm. 3. n. 5. *quod in manibus tenemus, non facilè obliviſcimur; ſic nunquam obliviſcamur negotium animarum noſtrarum; & illa cura principaliter vigeat in cordibus noſtris.* Anne ita laboráſti hucuſque pro ſalute tua? humilia teipſum in conſideratione temporis tui, & negligentiæ commiſſæ; & pro præparatione ad Miſſam, vel communionem excita in teipſo novum fervorem, conjice in hunc finem oculos tuos in ſanctos, & DEI amicos. Servierunt DEO in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus, vigiliis, jejuniis, orationibus, perſecutionibus, opprobriis; pauperes coram mundo; divites in gra-

tia & virtutibus; peregrini super terram, non nisi ad patriam cœlestem anhelantes. Horum semitam ingredi, & sequi debes, si salutem tuam operari velis, *quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum DEI.* Act. 14. 21.

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

Non efficiamur inanis gloriæ cupidi. Galat. 5. 26.

De vana gloria.

1. Facilè in illam labimur.
2. Media præservativa contra illam.

PUNCTUM I. Clerici & alii, qui devotionem profitentur, & piè vivere volunt, non debent juxta S. Hieronymum in hunc locum monitum istud Apostoli, leviter quasi pertransire, & transilire, *non efficiamur inanis gloriæ cupidi.* A longo jam tempore, ait hic S. P. desideravi mentem meam super hoc aperire; timeo autem hoc facere; verùm puto, obligationis meæ esse, ut hoc faciam, dicam ergo, & non verebor fateri, vanam gloriam esse infirmitatem meam; & timendum est, ne non sit generalis passio, seu malum omnium piè viventium, qui cæteris, ac aliis malis, seu passionibus renuntiârunt; *teneor ti-*

more dicendi; dicam tamen: nec tacebo passionem meam, passionem communem. Quia impuritas, avaritia, ambitio, & alia similia vitia, seipsa, qualia sunt, produnt, & manifestant, id est, opera carnis facilè evitantur, verùm non ita res se habet circa hoc vitium. Abscondit, & occultat se sub sanctissimis etiam virtutibus; quia dari potest elemosyna ex vanitate; fieri potest longa oratio ex vanitate; & quòd vix credi posset, si Apostolus id non assereret, etiam sanguis profundi potest ex vana gloria. Adhuc plus, adjungit S. Hieronymus, idemet Apostolus ait, loquendo de semetipso, postquam raptus fuit ad tertium usque cœlum, ubi audivit verba, quæ non licet homini loqui, postquam plus aliis Apostolis laboravit; ne magnitudo revelationum eum extolleret, datum sibi esse stimulum carnis, seu Angelum quemdam malum, [& ministrum sathanæ, ad colaphizandum *Paulo datus est ad premendam superbiam, uti in cursu triumphali triumphanti datur monitor suggerens, hominem te esse memento.* idem epist. ad Paulam 25. Quod Apostolus ipse nobis indicat, quando ait, se totum ter rogâsse, ut aufferratur ab eo Angelus iste sathanæ; Dominum autem respondisse, sufficit tibi gratia mea;
nam

nam virtus in infirmitate perficitur. Adeò nimirùm verum est, vanitatem vitium esse omninò periculosum, quod se etiam apud homines magnæ & eximiæ pietatis facillimè insinuat. Nulli sunt ex ministris Ecclesiæ, etiam diligentissimis, & qui jam multùm profecerunt in via perfectionis, quibus ejusmodi assultus vanæ gloriæ non timendi sint, prout desumi hoc potest, & judicari ex eo, quod primum nominavit, ut ab eo esset. Possetne quis se sanctiùs occupare, quàm in publica explicatione sacræ scripturæ? vel prædicatione verbi divini? vel in aliis functionibus sacerdotalibus, ac DEI ministro propriis? & tamen, ùt S. Hieronymus in Epist. ad Galat. 5. ait; *& hæc, nisi aliquis omni diligentia cor suum custodierit, de cupiditate laudis oriuntur.* Ministri Domini! qui forté de vitiis majoribus triumphâstis, videte, utrum exempti sitis etiam ab hoc? multi sunt, qui postquam inceperunt laborare pro salute animarum, ac satisfacere obligationibus suis, taliter se tandem abduci permittunt ab applausu, quem exinde reportant, ut vix amplius se ad talia aliter applicent, nisi ut vanam hominum laudem exinde reportent, prout advertit S. Greg. M. in Ezech. hom. 21. *Postmodum pro*

acquirendis laudibus laborant, & qui in verbis DEI quærebant priùs lucra ſpiritualia, temporales poſtmodùm favores ſequuntur. An non ex numero iſtorum es ? etiam ſanctiſſimi timuerunt, ne venenum mortiferum vanæ gloriæ in cor ipſorum irreperet ; & tu, qui tam longè abes ab illorum virtute, quàm juſtè timere debes ? vide igitur, quid tibi faciendum ſit, ut te à vana gloria præſerves, & contra illam te munias?

PUNCTUM II. 1mò conſidera, nil eſſe magìs contrarium, & oppoſitum Chriſto JEſu, quàm vanam gloriam, deſiderium propriæ laudis, & ſpiritum ſuperbiæ, qui eſt propriè ſpiritus diaboli. Nunquam ceſſavit Salvator noſter prædicare nobis humilitatem ; dedit illius nobis exemplum totâ vitâ ſuâ, maximè autem tempore paſſionis ſuæ, ubi tot ignominiìs affectus fuerat & opprobriìs. *Pudeat igitur,* ait S. Bernardus, in feſto SS. omnium. ſerm. 9. n. 9. *ſectari gloriam, membra, quibus caput ſuum tam inglorium exhibetur, non habens ſpeciem, aut decorem, vel aliquid ejusmodi &c. Pudeat ſub ſpinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis interim purpura non tam honoris ſit, quàm irriſionis.* 2dò quòd inhærere, ac fidere minimè debeamus exiſtimationi homi-

hominum, sed testimonio potiùs propriæ conscientiæ. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ,* ajebat magnus Apostolus 2. Cor. 2. 12. Falluntur homines in suis judiciis; & dum nos laudant, plerumque hoc fit ex adulatione vel ad proprium ipsorum interesse, *verumtamen vani filii hominum, mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Ps. 61. 10. Stultitia est, illorum laudes exquirere tam anxiè ac solicitè; imò exponimus nos sic periculo, nullam unquam à DEO consequendi, quam obtinuissemus tunc, quando quilibet electorum suorum talem ab eo obtinebit coram Angelis DEI; *tunc laus erit unicuique à DEO.* Cor. 4. 5. 3tiò oportet continuò ante oculos mentis nostræ habere nihilum nostrum, miseriam nostram, ac peccata nostra; & dum DEO placet, uti ministerio nostro, ad præcellens aliquod opus, ipsi soli propterea gloriam dare debemus, nobis autem non nisi imperfectiones & defectus attribuere, quorum non nisi peccata nostra causa esse possunt; hoc ipsum monitum dat nobis DEus ipse per Prophetam suum Ezech. 16. 61. & 63. *& recordaberis viarum tuarum, & confunderis, ut non sit ultra aperire os præ confusione tua, cùm placatus*

 catus

catus tibi fuero in omnibus, quæ fecisti, ait Dominus DEus. An sæpius recordatus es hujus praxis, quando supplantare te voluit tentatio aliqua vanæ gloriæ? vide, in quo hucusque deliqueris; & cura imposterum magis esse deditus humilitati. Habes grande exemplum ante oculos tuos, humiliatum vides JEsum Christum in sacro altari, tanta demissione, ac humiliatione, quæ omninò omnes homines confundere deberet, eorúmque superbiam destruere, si vel parum fidei, vel pietatis haberent. O JEsu, per hanc ipsam tuam profundissimam demissionem, rogo te, abstrahe cor meum ab omni vana gloria; intelligo enim nunc, & capio hoc: *vanitas vanitatum*, dixit Ecclesiastes, Ecclesiastis 1. 3. *vanitas vanitatum, & omnia vanitas, præter amare DEum, & illi soli servire.* Imit. Christi l. 1. c. 1.



FERIA SECUNDA.

Invicem provocantes, invicem invidentes. Gal. 5. 26.

De altercatione, et contentione.

1. Solicitudo talia evitandi.
2. Quibus mediis utendum.

PUNCTUM I. STatuamus nos ipsos in præsentia, seu conspectu

ſpectu DEI; bonum eſt, ut ſæpius hoc nobis ſuggeratur; quia ab hac imaginatione præſentiæ DEI incipere debemus orationem noſtram. Agnoſcamus Apoſtolum hìc loqui in nomine illius, quando nobis prohibet ejusmodi contentiones, altercationes, pungentia, & provocantia verba, à quibus charitas proximi læditur. DEus noſter, DEus charìtatis eſt; Chriſtus JEſus Filius DEI venit in hunc mundum, ſecum apportare hunc ignem divinum; intentio ac finis illius erat, ut corda noſtra hoc igne arderent. Magiſter eſt, qui vult diſcipulos ſuos non niſi unum cor & animam unam habere; rex eſt, qui in ſtatu ſeu regno ſuo nequaquam pati vult turbas, turbationes, partialitates. Paterfamilias eſt, qui pacem & concordiam in domo ſua inter ſuos exigit; *qui inhabitare facit unius moris in domo.* Pſ. 67. 7. Caput eſt, quod nullam omnino inter membra ſua diviſionem vult. Accomodemus igitur nos voluntati ipſius; fideliter illi obediamus; conſervemus ſolicitè inter fratres unionem & pacem, quam à nobis petit, & exſpectat; ac omne illud ſtudiosè evitemus, quod fratribus noſtris grave & moleſtum accidere poſſet; *nolite lædere invicem, non facto, non verbo, non ſigno*

qualicunque ait S. Bernardus ferm. 39. in Cant. n. 4. Erratur in hoc puncto ideo, quia plerumque nos invicem tantùm quoad exteriora, & quæ in fenfus noftros cadunt, confideramus; quia verò aditus ifte valdè infirmus ac invalidus eft, neque folicitudinem adhibemus confortandi nos ex hac parte per fidem, hinc facilè devenimus ad contemptus, ad rixas, ad vexationes: & unus alterum pungit, ac provocat dicteriis. *Invicem provocantes, invicem invidentes.* Parum ad hoc attendimus, aut curamus; habentur talia pro innocenti recreatione, pro lufu quodam, & re nihili; verùm longè aliter de hoc judicant fancti; magnum propterea fcrupulum fuis religiofis faciebat S. Bernardus ibid. *Væ homini illi, per quem unitatis vinculum jucundum turbatur! judicium profectò portabit, quicunque eft ille; nec cavendum à gravioribus tantùm offenfis, fed à clandeftino quoque & venenato fufurro:* Nefcis, quale malum commiferis? vulnus eidem intulifti, quod fortè nunquam amplius fanare valebis; *ità uritur ille, & moritur claufo & lethali vulnere, intra femetipfum gemens. Dum totus in ira & difceptatione pofitus nihil aliud filens in mente verfare poffet, nifi injuriam, quam accepit. Non poteft orare, non poteft legere,*

non

non sanctum, aut spirituale quid meditari. Et ita intercepto vitali spiritu, dum suis destituta alimentis vadit ad mortem anima, pro qua Christus mortuus est. Quid tu interim, quæso, animi habes? quid oratio tua, aut opus, quodcunque feceris, sapit tibi? contra quem nimirum Christus anxiè clamat de pectore fratris tui, quem contristâsti; filius matris meæ pugnat contra me, qui simul mecum dulces capiebat cibos, replebit me amaritudine. Ostendunt hæ reflexiones S. Bernardi, quàm solicitè cavere debeamus omne id, quod proximum nostrum quoquo modo lædere seu offendere posset; quia tamen nihilominus sæpius etiam inter Clericos aliqui inveniuntur, qui in similes defectus prolabuntur.

PUNCTUM II. Videamus, qualia sint præservativa, & cautelæ, ejusmodi defectus evitandi? 1mum est, ut valdè invigiles supra tuum modum agendi, ut nil tibi elabatur, quod proximum tuum offendere posset; magnæ diffidentiæ homo est, ais, quem omnia statim cruciant; vel levi ex causa tantùm aliquid pro injuria sua interpretatur. Respondeo tibi cum S. Bernardo ibid. quò minor est res, eò faciliùs tibi erit illâ abstinere; noli injuriam pro injuria reddere, nec contemptum pro contemptu; sed

quamprimum reprime ejusdmodi inclinationem, quæ in te exurgit, alium censurandi, humiliandi, deprimendi. *Sanè commotio tua ibi moriatur, ubi oritur. Nec permittatur exire, quæ mortem portat, ne perimat; ut dicere possis & tu cum Propheta, turbatus sum, & non sum locutus.* 2dum est, ut magnam considerationem facias infirmitatis fratrum tuorum. Fac, ut eorum defectus non attendas, sed non nisi Christum JEsum in iis consideres; fiet sic, ut cum ipsis reverenter loquaris; ut iis cedas in disputando, & ut eorum opinioni, & sententiæ deferas, quantùm salva veritate & charitate fieri potest; *idem sapiatis*, ait Apostolus, *eandem charitatem habentes unanimes idipsum sentientes; nihil per contentionem, neque per inanem gloriam; sed in humilitate, superiores invicem arbitrantes; non quæ sua sunt singuli considerantes, sed ea, quæ aliorum.* 3tium, agendum, in omni loco, & occasione ex Spiritu Christi quod consilium nobis dat Apostolus ad initium hujus epistolæ, *si spiritu vivimus, spiritu & ambulemus.* Oportet in & ex omni actione nostra elucere aliquid de bonitate, charitate, mansuetudine, modestia, & sapientia, qualem Christus in suo modo agendi ubique ostendit, & ut
fine

sine intermissione consideremus id, quod DEO Patri suo gratum esse noverimus, qui est primus gradus contemplationis juxta S. Bernardum serm. 5. de divers. n. 5. cui addere possumus, esse etiam præ aliis necessarium, & minus subjectum illusionibus. *Primus contemplationis gradus est, ut incessanter consideremus, quid velit Dominus, quid placeat ei, quid acceptum sit coram ipso* Præparatio tua ad Missam bona erit, si hæc media in praxin deducas, roga DEum, ut hanc tibi gratiam concedat. O Domine; quia non possumus amare te, quin & proximum amemus; neque offendere, quin teipsum etiam offendamus, fac nos tam benè vìvere in pace cum fratribus nostris, ut mereamur DEum pacis semper habere nobiscum. *Pacem habete, & DEus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* 2. Cor. 13. 11.

FERIA TERTIA.

Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Gal. 6. 1.

De correctione.

1. Quomodo fieri.
2. Quomodo admitti, seu accipi debeat?

PUN-

PUNCTUM I. S. Paulus dat nobis has admirabiles regulas pro correctione fraterna, quæ est punctum quoddam maximi momenti in doctrina morali christiana. 1mò docet, spirituales esse debere, si corrigere velimus alios peccantes; *vos, qui spirituales estis hujusmodi instruite.* Qualitas ista plures alias in se includit; ut aliquis verè spiritualis sit, oportet, ut ipsemet exemptus sit ab iisdem defectibus, quos in alio reprehendit, aliàs sibi ipsi hanc exprobrationem attraheret; *medice cura teipsum &c.* Luc. 4. 23. *Hypocrita, ejice primùm trabem de oculo tuo, & tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui.* Ut verè spiritualis sis, oportet habere debitam scientiam, & sufficiens lumen; sine hoc, nonnisi zelum cœcum, & indiscretum quis sequitur; vocatur bonum malum & malum bonum; id reprehenditur, quod reprehendi non debet, & quod reprehendi deberet, non reprehenditur. *Ignorantes enim justitiam DEI, & suam quærentes statuere, justitiæ DEI non sunt subjecti.* Rom. 10. 3. Ut quis verè spiritualis sit, oportet habere directionem, prudentiam, & sapientiam, ut sciat se conformare tempori, loco, & aliis circumstantiis, & dispositionibus personæ, quam quis reprehen-

prehendere vult; quia non possumus eâdem ipsâ regulâ semper & ubique & respectu omnium uti. *Non una eademque cunctis exhortatio congruit,* ait S. Gregorius 3. p. pastoral. c. 1. Aliter reprehendere oportet viros, & aliter foeminas; aliter juvenes, & aliter senes; aliter pauperes, quàm divites; hæc est regula, quam S. Paulus ipse suo Timotheo dat; *seniorem, ne increpaveris, sed obsecra ùt patrem, juvenes ùt fratres; anus ùt matres, juvenculas ùt sorores, in omni castitate,* 1. Tim. 5. 1. Secutúsne es regulas istas? non nisi has observando pro spirituali censeri poteris. *Nihil sic probat spiritualem virum, quàm peccati alieni tractatio,* ait S. Augustinus in epist. ad Galat. *cùm liberationem ejus potiùs, quàm insultationem, potiusque auxilia, quàm convitia meditatur.* 2dò vult S. Paulus, qui alium corrigere velit, debere hoc facere *in spiritu lenitatis.* Dura increpatio ad aliud ordinariè non servit, nisi ut malum exasperet, & infirmum irrîtet; dulcorari igitur debent correctiones magna quadam modestia, & grandi moderatione; siquidem per seipsas satis jam aliquid de severitate habent; *grave quiddam est ac molestum, argui,* ait S. Chrysostomus in Timoth. 5. *oportet molestiam rei mansuetudinis temperamento leni-*

re.

re. Diſtinctio etiam fieri debet inter eos, qui ex ignorantia, vel malitia delinquunt. Priores multa cum charitate, poſteriores cum magna firmitate tractari debent, ut ſic dometur ſuperbia, & præſumptio rebellium, ac indocilium iſtarum animarum, qui jugum Chriſti JEſu excutiant cum inſolentia & obſtinatione. Idipſum iterum præſcribit Paulus Tito quoad incolas inſulæ Cretenſis; *increpa illos durè, ut ſani ſint in fide.* ad Tit. 1, 23. 3tiò exigit Apoſtolus ab iis, qui correctionem aliquam facere volunt, ut conſiderent ſuam propriam infirmitatem, *conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris.* Imaginari ſibi ipſis debent, eſſe ſe capaces, totum illud malum perpetrandi, quod alius quìs patravit; *homo ſum, humani nihil alienum à me puto.* Terentius. Quò fortior eſt homo, eò magìs ſibi timere, & ſuæ fragilitati diffidere debet; *qui ſtat; videat, ne cadat.* 1. Cor. 10. 12. Quia non eſt peccatum, in quod alius cadit, in quod non etiam ipſi cadere poſſimus, ait S. Auguſtinus, ſerm. 39. nov. edit. c, 6. n. 6. ſi DEus gratiâ ſuâ nos non ſuſtineat; paſtores, miniſtri Domini, quicunque demum ſitis, qui alios corrigere tentatis, en regulas, quas ſequi debetis, ſi correctionem cum fructu facere velitis! conſiderate, & expendite

pendite eas vobiscum ut in praxi iisdem vos conformare possitis. Tu verò, qui correctionem aliquam promeritus es, disce in secundo puncto, quomodo eam acceptare & pati debeas.

PUNCTUM II. Oportet eam suscipere imò cum docilitate. Grandis error & defectus est, si quis aversionem & contemptum contra alios concipiat, à quibus corrigitur. Indignari medico suo, exurgere in & contra eum, qui vitam nostram conservare vult, qualis, quantàque cœcitas! quid? *ergo inimicus factus sum vobis, verum dicens vobis?* dìcebat Paulus ad Galatas cap. 4. 16. Sic etiam videbimus in Proverbio, quòd Spiritus sanctus nil magis, ac tanti juvenibus commendet, quàm hanc ipsam docilitatem; *audiens sapiens, sapientior erit*. Prov. 1. 5. Econtrario, *qui increpationes relinquit, errat.* Prov. 10. 17. Contemptus iste correctionis, origo est & causa omnium excessuum; id quod ipse DEus peccatoribus minatur in hora mortis iis eventurum; *despexisti omne consilium meum, & increpationes meas neglexisti, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Prov. 1. 25. 2dò cum humilitate, ita ut quis seipsum non excuset, sed errorem suum fateatur. *Justus prior est accusator sui.* Prov. 18. Impuden-

pudentiam peccato suo addere, est, effrontem esse, committitque talis crimen idololatriæ proximum. Ipse Spiritus sanctus eos in numerum ponit. Dum Saul suam inobedientiam excusare, & justificare voluit, atque pro actu religionis vendere, dicebat illi Samuel, speciem hanc esse cujusdam idololatriæ, si quis se excusare, & nequaquam submittere velit. *Quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere.* 1. Reg. 15. 23. Pro eo, ut talis veritatem adoret, ejúsque illustrationi se dedat, non nisi phantasiam propriam consulit, dæmonem pro consilio adhibet, passionem suam prædominantem sequitur, cœcáque obedientia exequitur, quod ipsa exigit. Quid exinde? malum fit incurabile, & ille, qui curam nostri habet, cogitur, ut nos deserat; *insanabilis fractura tua; pessima plaga tua; curationum utilitas non est tibi.* Jerem. 30. 12. 3tiò oportet correctionem acceptare cum patientia absque murmuratione, contra eum, qui nos reprehendit, imò neque conqueri debemus contra modum correctionis. Neque dicas, si aliter mecum ageretur, & honestius ac moderatius tractarer, darem meipsum, & cederem; verùm hoc fit nimis crudè; nullam video observari discretionem vel men-

suram;

suram; hinc impossibile mihi est, ferre talem correctionem. Ridicula sanè mollities! oculos claudere debes quoad defectus illius, qui te corrigit, vel reprehendit, neque aperire alium in finem, nisi ut bonum consilium & monitionem illius videas, utpote signum amicitiæ illius erga te suæ. *Argue sapientem, & diliget te*, ait Salomon Prov. 9. 8. En! quid te oporteat facere. Sed quàm rarum est, invenire talē sapientem, qui se corrigentem diligat! roga DEum, ut talem te efficiat. Nam sive ille sis, qui correctionem facere, vel qui accipere debeat, haud quaquam ita te gerere valebis, absque auxilio gratiæ ipsius; pete hoc in præparatione tua ad Missam. Domine DEus meus! qui nos constituisti in ecclesia tua, ut fideles tuos in spiritu dirigamus, adquè hoc ipsum nos terribilibus pœnis obligas, & sub interminatione indignationis tuæ, nisi eos pro tempore instruamus, & corrigamus in omni patientia; 2. Tim. 4. tu solus, Domine, scis quot errores committamus, sive in danda, sive in acceptanda correctione, sive malè, & ægrè eam ferendo, miserere mei; suscita mihi amicum fidelem, & illuminatum, qui me meorum defectuum admoneat, quin defatigetur ex modico fructu, quem correctiones ipsius

in me afferunt ; da mihi cor docile , & humile , ut eas acceptem , & ſi ille fortè erret ; ut ipſe , ô Domine , corrige me ; ſed fiat hoc à te ; *in virga virorum, & in plagis filiorum hominum ; miſericordiam autem tuam ne auferas à me.* 2. Reg. 7. 14.

FERIA QUARTA.

Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Galat. 6. 2.

De obligatione supportandi aliorum defectus.

1. In quo fundatur hæc obligatio.
2. Examen , utrum huic noſtræ obligationi ſatisfaciamus.

PUNCTUM I. ADoremus Chriſtum JEſum , Dominum noſtrum ſupportantem ſumma manſuetudine & patientia infatigabili defectus, imperfectiones, & cruditates eorum, quibuscum converſatus fuerat. Admiremur , quomodo adhuc quotidie noſtros toleret tali bonitate, quæ nos ſanè abundè doceat, quomodo & nos ſupportare debeamus fratres noſtros ; *ſi ſic DEus dilexit nos , & nos debemus alterutrum diligere.* 1. Joan. 5. 11. Quia verò tantam difficultatem facimus , ut ad hoc nos reſolvamus, videamus, in quo fundata ſit hæc obliga-

obligatio? fundatur imò in lege Christi; JEsu, quam à nobis fideliter impleri vult; *sic adimplebitis legem Christi*, ait Aposto. lus; & S. Augustinus serm. 164. de V. A. nov. edit. ait, nos illam nunquam impleturos; quidquid aliud facimus, si aliorū onera non portamus. *Quæ non implebitur, nisi invicem onera nostra portemus.* Grande præceptum, quod dedit nobis Salvator, est, ut nos invicem diligamus, sicut ipse dilexit nos; *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Joan. 15. 12. Non potuit retardari Christus defectibus nostris, ergo neque nos absterreri debemus. Si non nisi eos diligamus, erga quos sympathiam aliquam in nobis advertimus; si non nisi eorum voluntati, & *genio* obsequimur, & cedimus, qui nostro arrident, quale meritum exinde habebimus? an non & pagani hoc ipsum faciunt? charitas christiana amplius ac longius se extendit, nullam personam excipit; non dependet à malo, vel bono humore, vel genio proximi: *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Joan. 13. 35. En signum! ex quo ut veri discipuli Christi agnosci valeamus! sic primi christiani ab aliis dignoscebantur; non solùm parati erant supportare defectus pro-

ximi, ſed etiam prompti, ut unus pro altero moreretur, id, quod ſtupebant gentiles, prout Tertullianus apolog. c. 30. refert; *videte, inquiunt, ut invicem diligunt, & ut pro alterutro mori ſint parati.* Eſto charitatis illorum imitator, & difficultatem minimè ſenties, ſupportandi aliorum defectus. 2dò fundatur hoc tolerantiâ defectuum aliorum in vinculo & arcta unione, quam inter nos ipſos habemus. Membra ſumus unius, ejusdémque corporis; nonniſi unam ſocietatem, & unam rempublicam prorſus divinam conſtituimus, ut nos invicem ſuſtineamus; *ſi quid ergo patiatur unum membrum, compatiuntur omnia membra.* 1. Cor. 12. 26. Qui miſeriis fratrum ſuorum non compatitur, neque ille meretur, ut quis ipſi compatiatur; qui eos durè tractat, dum errant, eadem duritie tractari meretur, dum ipſe errat, qui ſupportare non valet infirmitates aliorum, neque ſuos ab aliis ſupportari ſciat, & indignum ſe hujus tam præclari corporis membrum aliquod eſſe. Huic generali ſocietati adde particularia vincula, quæ habere potes. Fortè vivis in communitate, in una domo, familia &c. Totum hoc obligare te debet, ut vos invicem ſupportetis; *quod ſi invicem mordetis, & comeditis, videte,*


dete, ne ab invicem consummamini. Gal. 5. 15. 3tiò ipsæ infirmitates fratrum nostrorum ad illos supportandos nos obligant. *Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*; ait S. Paulus Rom. 15. 1. attende ad hæc verba: *debemus*; adeoque non facimus illis gratiam aliquam, sed debitum aliquod indispensabile est, quod ipsis solvere debemus; *debemus; non donamus.* S. Chrysost. in h. l. Debemus horum infirmorum infirmitates tolerare, & illis indulgere, ut idem nobiscum fiat, quia neque nos exempti sumus à defectibus, & fortè plures adhuc, & majores illis habemus; si autem fortiores essemus, *debemus sustinere*, ait Apostolus, *& non nobis placere.* Non debemus propterea gloriari, sed DEO gratias agere, qui tales nos fecit, & gratitudinem nostram illi in eo ostendere, quòd infirmitatibus fratrum nostrorum compatiamur per prudentem quādam condescendentiam, quæ ipsa correctio aliqua pro ipsis erit; *repende Deo mercedem, qui talem te fecit*, ait S. Chrysostomus, ibid. *tunc autem rependes, quando infirmitates ægroti correxeris.* Expende benè omnes istas rationes; debent te sanè convincere de obligatione tua, quam habes, supportandi defectus pro-

ximorum tuorum; verùm quia hæc tolerantia rara eſt,

PUNCTUM II. Examina te ſuper hoc puncto tanti momenti. Supportaſtine defectus, & imperfectiones fratrum tuorum; hâc ipsâ patientiâ, & manſuetudine quam tibi ipſi ab aliis exhiberi vis, memor hujus regulæ, quam Salvator omnibus præſcribit, *in qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Matth. 7. 2. Conſideraſtine, DEum tibi toties condonaſſe, & quidem tot defectus? ergo neque ipſe defatigari debes, in condonando defectus illos, quos alii contra te committere poſſunt; *ſupportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adversùs aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos.* Coloſſ. 3. 13. Adhibuiſtine diligentiam vincendi in teipſo oppoſitionem, & repugnantiam illam, quam in teipſo advertis, contra humorem, vel modum agendi aliorum? excuſandi illorum defectus? cooperiendo imperfectiones illorum, quantum fieri poteſt? itaque cum illis agendo, ac ſi non adverteres talia? perſuaſus de hoc, non eſſe ullum hominem ſine ſuis defectibus? & ſi nos habeamus, quod patimur à nobis? *cum omni humilitate, & manſuetudine cum patientia; ſupportantes invicem in charitate.* Epheſ.

phes. 4. c. 2. An non liberius locutus de infirmitatibus corporalibus, & spiritualibus proximi? usque ad confusionem illius, coram aliis, & pro tua recreatione? an non ipsi insultâsti, quando defectum aliquem commisit? imitando eum irrisoriè in sua pronuntiatione, in gestibus, & modo incedendi, ac similibus, ut aliis risum moveres? denique an non judicâsti, onus esse nimis grave, audire confessiones rudium, & ignorantium? percipere planctus afflictorum? experiri impatientiam ægrotorum? supportare importunitatem scrupulosorum, & aliorum similium, tibi valdè incommodorum? ô si benè feceris hoc examen, invenies certè occasiones multas, ubi defeceris in charitate erga proximum. Pete veniam á Deo de his, antequam ad altare accedas; & propositum fac imitandi bonitatem magni DEI tui, qui se nobis dare vult, non obstantibus omnibus nostris miseriis; *estote ergo misericordes, sicut & Pater vester misericors est.* O Domine, qui me tanto tempore toleras, ut meritò timere debeam, ne te tandem defatigent miseriæ meæ, siquidem tam facilè defatigari me permitto miseriis aliorum, condona, ac remitte mihi, quæso, meam modicam charitatem! patientiam habe in me; gra-

tiâ tuâ suffultus, propono, quòd velim supportare defectus proximi mei, quamcunque reluctantiam intra meipsum experiar; & præferre pacem, & charitatem omnibus aliis rebus juxta consilium Apostoli tui, quod mihi his verbis dat; *super omnia autem charitatem habete, quod est vinculum perfectionis; & pax Christi exultet in cordibus vestris.*



FERIA QUINTA.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Gal. 6. 6.

Reciproca obligatio Clericorum et Sæcularium.

1. Clerici instruere debent populum.
2. Populus debet ipsis necessaria subministrare.

PUNCTUM I. QUod S. Paulus hic ait, ostendit simul, quid Clerici populo, quid populus Clericis debeat. Incipiamus à primis. Clerici, præsertim illi, quibus cura animarum incumbit, obligati sunt, docere populum mysteria fidei, & veritates illas, quæ ad salutem necessariæ sunt. Non possunt secum quoad hoc dispensare, quin alicui essentiali suæ obligationi desint; jus, quod habent, petendi à populo christiano subsi-

subsidia vitæ, non fundatur, nisi in labore, & cura instruendi, & catechizandi illos. Christus JEsus Luc. 10. 7. ait, *dignus est operarius mercede sua*, qui ergo laborare recusat, indignus est salario suo, ait S. Paulus; *comunicet is, qui catechizatur verbo, ei, qui se catechizat*; qui ergo catechizare non vult, non meretur id accipere, quod destinatum & consecratum est, pro sustentatione ministrorum verbi DEI. Alibi ait: qui altari servit, de altari vivat 1. Cor. 9. 13. qui ergo altari non servit, de altari nec vivere debet, neque panem auferre ei, qui hoc magis meretur, quàm ille; *si quis operari non vult, non manducet.* 2. Thessal. 3. 10. Nescio, quid opponere valeant Clerici, laboris inimici, argumentis tam stringentibus, & concludentibus; sed quid respondebunt in extremo judicio, his fulminantibus verbis judicis supremi? *lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis.* Ezech. 34. 3. *Pensemus* itaque fratres, ait S. Gregorius, hom. 17. in Eccl. *pensemus, cujus damnationis sit, sine labore hìc percipere mercedem laboris? ecce, ex oblatione fidelium vivimus; sed nunquid pro animabus fidelium laboramus? illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis*

suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ùt dignum est, insudamus. Expende bene textum istum, & locum S. Gregorii; vide, utrum benè servias Ecclesiæ juxta obligationem tuam, per orationes, prædicationem, per exemplum sanctæ vitæ, & per omnia illa media, quibus Ecclesiam ædificare posses? si ita est; gratias DEO age; & ut magìs adhuc animeris ad satisfaciendum obligationi tuæ;

PUNCTUM II. Hanc fac reflexionem Sacerdotes, qui suæ obligationi, & ministerio suo ritè satisfacere student, duplici honore dignos esse; maximè illos, qui laborant in concionando, & populo instruendo; *qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur,* ait S. Paulus *maximè qui laborant in verbo, & doctrina.* 1. Tim. 5. 17. Per duplicem hunc honorem intelligit Apostolus, fideles haud contentos esse debere, si pastores suos, & eos, qui illis Evangelium annuntiant, cum respectu & submissione audiant, sed oportere, ut iis etiam de ipsorum sustentatione provideant. Debitores enim illorum sunt ob beneficium longè majoris considerationis, siquidem per hoc medium participes effecti sunt spiritualium divitia-

rum

rum divinæ gratiæ; majori igitur ratione, & jure illis ſuccurrere debent ſuis divitiis temporalibus; *ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* ait Apoſtolus ad Corinthios 1. ep. c. 11. Rationes, quas ad ſtabiliendum hoc jus affert, omninò convincunt; *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* v. 7. nec ſola ratio, decentia, uſus, & conſuetudo omnium populorum hoc exigunt, ut quis vivat de ſuo labore; ſed hoc ipſum etiam lex divina præcipit; ſcriptum eſt enim in lege Moyſis *non alligabis os bovi trituranti.* v. 9. Si ergo miniſter Chriſti laborat; ſi in Eccleſia facit id, quod bos in area dum triturat; ſi manum ad aratrum mittit, ut agrum dominicū colat, an non meretur, ut pro ſuſtentatione illius cura habeatur? *neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quæ in ſacrario ſunt, edunt: & qui altari deſerviunt, cum altari participant?* v. 13. Ita pariter voluit, & præcepit Dominus, eſt concluſio S. Pauli, ut cum iis, qui Evangelium annuntiant, procedatur *ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere,* v. 14. Popule chriſtiane! qui audis Apoſtolum ab omni prorſus

ſus

ſus intereſſe proprio alienum ita loquentem, ſatisfac huic tuæ obligationi, tam rationabili, & tam juſtæ! noli eſſe ingratus erga paſtores tuos! tribue illis bona voluntate, & ex corde, quod illis debes! ſi in hoc deficias, teipſum damnas, & in numerum arborum ſterilium venis, ait S. Hieronymus in epiſt. ad Tit. 3. v. 14. *Apoſtolicis viris, & evangelizatoribus Chriſti in neceſſariis uſibus nolle tribuere, ſterilitatis ſeipſum eſt condemnare.* Et vos miniſtri altaris! contenti eſtote paucis; nolite exigere nimis rigidè, quæ vobis debentur! curam gerite pauperum! memores eſtote, nil magis nocere progreſſui Evangelii, quàm aviditatem bonorum temporalium. *Victus, & veſtitus ſunt divitiæ chriſtianorum*; & S. Chryſoſtomus epiſt. 105. ad Paulin. non timet dicere, paſtores aliud habere non debere, niſi victum & veſtitum; *audacter dixerim, nihil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſideria.* in c. 51. ad Tim. Roga DEum in præparatione tuâ ad Miſſam, ut hæc obſervare valeas; ſic enim utilis evades Eccleſiæ; *tolle ſuperflua; & ſalubria ſurgunt. Utilitati accedit, quidquid cupiditati demis.* S. Bern. ſerm. 58. in Cant. n. 10.

FERiA

FERIA SEXTA.

Cùm appropinquaret portæ civitatis; ecce defunctus efferebatur filius unicus matris ſuæ. Luc. 7. 12.

Dd COGITATIONE MORTIS.

1. Quid ſit hora, ſeu momentum mortis?
2. Utilitas hujus cogitationis.

PUNCTUM I. EN exemplum, quod nobis Eccleſia bina vice per annum proponit, ſemel in Quadrageſima, & iterum Dominica decima quinta poſt Pentecoſten, ſine dubio judicavit, & credidit hæc ſancta mater, exemplum hominis juvenis, quem mors in flore ætatis ſuæ rapuit, ſpectaculum fore, ſufficiens ad inſtructionem noſtram, & ad revocandum nobis in memoriam, cogitationem & reflexionem ſupra mortem, quam tam facilè nobis è memoria elabi ſinimus, etſi quotidie quaſi, ante oculos noſtros cernamus exempla valdè frequentia, ac inſuper familiaria. Huic igitur ſanctæ illius intentioni correſpondemus, & aperiamus oculos noſtros huic ſpectaculo, videamúſque hoc momentum, ſeu inſtans mortis. Quid ergo eſt hoc inſtans mortis, ſeu momentum? inſtans eſt, quod quoad ſuam durationem modi-

modicum, & nobis parùm cognitum eſt, nihilominus ſufficiens ad faciendum longiſſimum illum tranſitum ex hoc mundo in alium. Momentum ſanè formidabile in ſeipſo, ubi totum illud, quod eſt in mundo, homini tali moritur, & ipſe homo omnibus quæ ſunt ſuper terram moritur; momentum terribile! ubi anima, non obſtante intima unione, quam cum corpore ſuo habet, ab hoc violenter abſtrahitur, poſt grave certamen; ubi homo omnibus denudatus, ab omnibus ſeparatus, oculis ſpectatorum nil aliud videndum relinquit, niſi corpus aliquod deformatum, quod incipit corrumpi. Momentum immiſericors! ubi dives omnes theſauros ſuos amittit, & pro tota hæreditate ſua nil reliquum habet, & acquirit, niſi pulverem ſepulchri; *cùm interierit, non ſumet omnia, neque deſcendet cum eo gloria ejus*. Pſ. 48. 18. Momentum, ubi monarcha cum ſubdito, nobilis cum plebeio, ſapiens cum ignorante, ſervus cum domino omnia omninò inter ſe confunduntur. *Parvus & magnus ibi ſunt, & ſervus liber à domino ſuo.* Job. 3. 19. Momentum millies adhuc terribilius propter ſuas ſequelas, quàm per ſemetipſum, ſunt enim irreparabiles, ſunt æternæ. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Eccleſiaſtis

12.

12. 5. Breve momentum, sed decisivum, & decretorium, post quod peccatori nulla amplius speranda est misericordia; neque justus quidquam amplius mereri potest, momentum, cujus vel sola cogitatio, & recordatio timorem incutit principi in throno suo, judici in tribunali, cujus justissimus pavor, & tremor monasteria religiosis replevit, cavernas poenitentibus, deserta solitariis; momentum, in quo Ecclesia putavit, & judicavît, omni possibili modo succurrendum filiis suis, eósque juvandos. Vult, & ordinat, ut sacerdos, in medio aliorum supplicandorum, & in præsentía moribundi existens, manus suas in cœlum levet pro salute animæ illius imploret; *subvenite sancti DEI, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus.* commend. animæ. Ut animam illius in conspectu DEI præsentet, quatenus agnoscere dignetur creaturam suam, ut invitet illum ad exhibendam ei misericordiam suam; *agnosce Domine creaturam tuam.* Vult, ut ægrotum accedat, animum illi faciat, exhortetur, & quasi ipse in manus DEI ipsum consignet; quasi portet ipsum ante conspectum ipsius DEI, & creatoris sui, *commendo te, charissime frater, omnipotenti DEO, te ei, cujus es creatura, committo,*

Anne

Anne unquam ſeriam ſupra hoc momentum mortis reflexionem feciſti ? quâ curâ uſus fuiſti, ut tibi momentum hoc propitium redderes ? tantum abeſt, ut hac cogitatione nos occupemus, ut potiùs omninò eam è memoria noſtra eliminemus; oblivifcimur illius, & benè nobis eſt cum hac oblivione. Videmus quotidie magnos & parvos, juvenes & ſenes ad ſepulchrum deferri; & aſpicimus talia, quaſi unquam morituri; *non eſt reſpectus morti eorum.* Pſ. 72. 4. Conſideremus igitur in ſecundo puncto utilitatem hujus cogitationis.

PUNCTUM II. Quemadmodum ex omnîbusalimentis panis omnibus prævalet, ita idem de meditatione mortis ſentire debemus, ait S. Joannes Climacus Gradu 6. n. 3. éſtque hoc ex omnibus ſpiritualibus exercitiis utiliſſimum. Hæc meditatio facit religioſos, qui in communitate vivunt, amplecti labores & exercitia pœnitentiæ, humiliationes, & contemptus, ſolitarios, ſeu eremitas, elongationem; ſeu fugam omnium negotiorum ſæcularium; oratîonem continuam, vigilantiam perpetuam, ſupra omnes actiones, & cogitationes ſuas. Et in clericis cauſat exactam obſervantiam omnium ſuarum obligationum, ardentem amorem

morem in JEsum Christum, & desiderium sincerum, seipsos applicandi, & consumendi in servitio Ecclesiæ. Verùm generaliter dicere possumus, cogitationē seu memoriam mortis hos tres sequentes effectus post se trahere. 1mò elongat à nobis peccatum. Non morimur, nisi propter peccatum; *stipendium peccati, mors;* sed amplius non peccandum satis esset, si seriò cogitaremus, nos aliquando morituros, id, quod sacra scriptura asserit, & nos docet; *in omnibus operibus tuis memorare novissima, & in æternum non peccabis.* Eccles. 7. 40. Statuamus nobis in omnibus actionibus nostris ante oculos nostros, ultimam horam nostram, & brevi dissipabuntur inimici salutis nostræ, superbia, avaritia, impuritas, & cætera vitia aculeum suum amittent, si fideliter iis opponamus miseriam, pulverem, putredinemque sepulchri; alio haud opus erit, ut illa vincamus, quàm ut sæpius nobiscum illud Jobi repetamus; *ecce nunc in pulvere dormiam, & si manè me quæsieris, non subsistam.* Job. 7. 31. 2dò mortis cogitatio, abstrahit nos à mundo; qui ordinariè se illâ occupat, brevi renuntiabit his perituris rebus; omnia transeunt, dicit apud semetipsum: *præterit figura hujus mundi.* Vita hæc præsens, *fugit ve-*

lut somnium avolans, imò, *fugit velut umbra. Torrens rapidus est*, Job .20. 8. qui secum omnes res tempori subjectas aufert, & in nihilum rapit; *momentis transvolantibus cuncta rapiuntur*, dicebat S. Augustin. in Ps. 38. *torrens rerum fluit*. Cogitemus igitur de morte nostra, quamdiu hoc utiliter à nobis fieri potest; *modò fructuosè dicamus, transeunt*, ait hic S. P. in Ps. 23. *nè tunc infructuosè dicamus, transierunt*. Dicamus hoc ad omne illud, quod nobis placet, ut ea contemnamus; dicamus ad omne id, quod nobis durum videtur, & terribile, ut illud non timeamus. Totum, quod disparet ante oculos nostros, omnes mutationes & perturbationes, quarum nos testes sumus, omnes ætates, per quas transimus, omnes partes vitæ nostræ, quæ continuo fluunt, & se invicem protrudunt, renovant in nobis incessanter cogitationem hanc, quod omnia finem habeant, & quod alia vera bona, & mala vera, non dentur, nisi in æternitate; quòdque huic tam propè simus, ut meritò pro nihilo haberi debeat intervallum istud, quod nos ab ea separat; *omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur*. 2. Reg. 14. 14. 3tiò. Cogitatio mortis ad bonam mortem nos perducit, dum nos vitam sanctam

ctam ducere facit. Clericus, qui hanc cogitationem mente sua versatur, omnes actiones suas ideo facit, ut DEO placeat; principium hoc S. Pauli constanter præ oculis habet; *nemo nostrûm sibi vivit, & nemo sibi moritur; sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur; sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Rom. 14. 7. Talis erat ratio agendi S. Anselmi, Archiepiscopi Cantuariensis, dum sibi regem Angliæ indignatum audiit, ac prævidit, quæ ab ira hujus principis mala & suæ personæ, & religiosis suis timenda forent, ad hoc principium recursum suum habuit, tum ut seipsum erigeret in negotio tam difficili. Scripsi ad regem, ajebat ipsis; quācunque ergo de me resolutionem capiat, hoc minimè vos turbare debet, memores hujus dicti Paulini: *sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.* epist. lib. 3. epist. 82. Vivite ergo tam sanctè, ut verum sit dicere, quòd DEO vivatis, & post mortem ad ipsum ituri sitis. Proficiamus ex hoc consilio S. Anselmi, & ex hac illius doctrina consistat nostra hodierna præparatio ad Missam. Proponamus nobis sæpiùs deinceps de morte cogitandi, talitérque vivendi, ut nonnisi propter DEUM vivamus, ut post mortem uniri cum

ipſo mereamur per totam æternitatem. *Mementote, quia ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſumus, ſic igitur vivite, ut illi vivatis, & cùm moriemini, ad illum tranſeatis.* Anſelm. ibid.

DIE SABBATHI.

Quam cùm vidiſſet Dominus, miſericordiâ motus ſuper eam, dixit illi: noli flere.

De sanctis desideriis mortis.

1. Optare debemus mortem, & non affligi ex ea.
2. Quomodo licitum ſit, eam ſibi optare.

PUNCTUM I. Adoremus hìc compaſſivam iſtam charitatem Salvatoris noſtri, qui tanta cum benignitate conſolatur hanc miſeram viduam, quæ filium ſuum deplorat; neque leviter pertranſeamus verba hæc, quæ ad eam dixit: *noli flere.* Mors nequaquam pro nobis eſſe debet ſubjectum, ſeu cauſa lacrymarum; neque enim ſpes noſtra, quam habemus de meliori vita, permittit nobis, ut dolori indulgeamus, prout infideles facere ſolent in morte ſuorum; *ut non contriſtemini*, ait S. Paulus 1. Theſſal. 4. 12. *ſicut & cæteri, qui ſpem non habent.* Quod tu mortem appellas, nonniſi ſpecies alicujus ſomni eſt, poſt quem reſurrectio ſequatur. Non eſt, niſi iter quoddam, ait Tertullianus de patientia c. 9.

ergo

ergo lugere non debemus eum, qui ante nos abiit, sed eum sequi posse, desiderare debemus; *profectio est, quam putas mortem; nou est lugendus, qui antecedit, sed planè desiderandus.* Si considero felicitatem, quam proximi nostri adepti sunt moriendo; & illud parum, quod amittendo hanc vitam perdiderunt, ait S. Greg. Nazianzenus, orat. 10. in laud. Cassens. frat. adeo me non affligit mors illorum, ut potiùs gaudio me affici fentiam, dicamque ad DEum: quando erit hoc, Domine, ut me pariter ab hac terra peregrina extrahas, ut ipsos sequar, & ad patriam illam perveniam, ubi eos inveniam, qui ante me illuc pervenêre? quando fiet, ut mors ponat nos in statu, communicandi cum ipsis iisdem paradysi deliciis, & vivendi simul vitam æternam beatam? certè, fratres mei, pergit hic S. P., quid exspectare possumus hoc modico tempore, quod nobis ad vivendum restat, quàm ut de die in diem majores miserias cernamus; plura mala patiamur, pluraque peccata committamus, quàm hucusque commisimus? hæc ergo consideratio, & non amissio amicorum nostrorum; periculum offendendi DEum, cui expositi sumus in vita nostra, non verò dolor de morte illorum, subjectum esse debet, & ratio ve-

ra lacrymarum nostrarum; ploremus fratres, sed ploremus prout David, quod incolatus noster prolongetur; affligamus nosmetipsos, quod exilium nostrum finem non habeat; ploremus, quòd vitam diligamus tot miseriis subjectam, quæque nos continuo periculo exponit, perdendi gratiam divinam. Hæc est justa causa, & ratio lacrymarum, & gemituum nostrorum. Ingemiscamus supra nosmetipsos cum S. Apostolo, & dicamus, quando tandem destruetur hoc vile tabernaculum, quod modò inhabitamus? an non brevi perveniemus ad illam domum, quæ non est constructa manibus hominum, & in æternum durabit? quousque tandem trahemus nobiscum continuò in omni loco sepulchrum quoddam vivum, in quo anima nostra quasi sepulta est in carne; quæ longè magis & deterius infecta est, quàm ipsamet vera sepulchra? studeamus idem sentire cum hoc S, Doctore! inardescamus sancto quodam desiderio mortis; quæramus ardenter, & suscipiamus cum gaudio mortem, quæ finem imponere debet miseriis nostris, & initium dare felicitati nostræ, à rebus hujus mundi prorsus abstracti; nam ùt alius Gregorius ait, hom. in Evang. *terrena substantia supernæ felicitati comparata,*

rata, pondus est, non subsidium; temporalis vita æternæ comparata, mors est potiùs dicenda, quàm vita. Sed ut hæc devotio nostra solida sit,


PUNCTUM II. Examinemus, quomodo liceat sibi ipsi optare mortem? ille verè virtuosus est, qui quotidie mortem exspectat, ait S. Joannes Climacus, Gradu 6. a. 7. verùm ille sanctus est, qui eam in singulas horas desiderat; interim tamen non omne desiderium mortis semper bonum est. Sunt, qui mortem sibi optant ex impatientia, ex indignatione, & quandoque ex desperatione, quia gravari se vident morbis, afflictionibus; tale desiderium laudabile haud est, imò quandoque peccaminosum; ut ergo sanctè mortem desideres, oportet illam optare, quia liberat nos à servitute peccati. Etiam innocentissimus inter homines, quamdiu hìc vivit, peccator est, ait S. Ambrosius, L. de bono mortis. c. 3. oportet eum mori, ut sic amplius non peccet; morsque illius non tam vitæ ipsius, quàm peccatis finem facit? *mors finis peccatorum.* Optemus igitur mortem ut peccatum nostri amplius non dominetur, non cessemus dicere cum Apostolo, Rom. 7. 24. *infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* desidere-

mus mortem, ut concupiſcentia deſtruatur, & ut amplius in nobis non ſentiamus legem peccati, & infelicem illam propenſionem, quæ nos ad peccandum impellit; *ut deſtruatur corpus peccati, & ultra non ſerviamus peccato*; hinc ait Sapiens: *melior eſt mors, quàm vita amara*, Eccleſ. 30. 17. ſeu miſeriis plena; & S. Auguſtinus in Ep. 1. Joan. tract. 7. ait: vitam hanc aliud non eſſe pro omnibus, qui ſanctè vivunt, quam exercitium patientiæ; ſancti enim *non amant vitam, ſed tolerant*. Aliud motivum adhuc perfectius, quod ad deſiderandam mortem nos moveat, eſt deſiderium, quod habere debemus, ut Chriſto per omnem æternitatem uniamur; taliter erat diſpoſitus S. Paulus, *mihi vivere Chriſtus eſt, & mori lucrum*. Philip. 1. 11. Duplici ex parte coarctor, ajebat hic Apoſtolus; nimirùm deſiderio immortalitatis, & vitæ beatæ; & zelo procurandi gloriam DEI, ac ſalutem animarum; *coarctor è duobus; deſiderium habens diſſolvi; & eſſe cum Chriſto, multò magis melius; permanere autem in carne, neceſſarium propter vos*. ibid. v. 23. & 24. En perfectionem, ad quam tendere debet bonus Clericus; deſiderare debet mortem, & continuò ſuſpirare, ac optare illud feliciſſimum momentum,

quod

quod eum inseparabiliter cum Christo conjunget; *sitivit anima mea ad DEum fontem vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem DEI.* Ps. LI. 3. Interim desideria hæc, & vota semper conjuncta esse debent cum submissione, & conformitate ad divinam voluntatem, adeò ut quis cum S. Martino dicere possit: *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, fiat voluntas tua.* Ecce, quomodo se gerere, & loqui debeant veri ministri JEsu Christi! tales nempe, qui obligati sunt, vivere in continuo spiritu mortis, & sacrificii, ut sic se conforment statui, illius victimæ divinæ, quam quotidie in altari immolant; tales qui tam urgentia motiva habent, desiderandi adventum regni gloriosi & triumphalis JEsu Christi, ubi absolutè destruet peccatum, præcipitabit mortem in sempiternum, & omnia in ordinem suum reducet. Examina te modò, utrum ita dispositus sis? quid sentis de morte? sancti eam consideràrunt ùt transitum est ex hac vita ad DEum; *discessus ad DEum,* ùt complementum desideriorum suorum, vel *desiderii cumulus,* ùt solutionem vinculorum captivitatis nostræ; *vel vinculorum solutio, vel oneris excussio appellanda est,* ait S. Greg. Nazianz. orat. & tu,

quomodo conſideras illam ? ah ſi vel parum te ſupra te ipſum reflectas, invenies te adhuc mundo, vitæ huic, ac creaturis adhærere. Pro præparatione ad Miſſam roga Chriſtum Dominum, ut vincula illa disrumpat, quæ te impediunt, ne ad eum ire poſſis. O JEſu, rogo te per tuam pretioſiſſimam mortem; inſpira mihi ſancta mortis deſideria! ah! derelictus ſum ùt pauper, & ùt exul in regione inimica; ubi continua pugna, & mala infinita & innumera inveniuntur. Solare me in exilio meo, Domine; mitiga dolorem meum, quia omnia mea deſideria ad te tendunt. Totum, quod mihi mundus offert pro ſolatio, grave mihi eſt, & diſplicens bone DEus! ardenter deſidero te frui, fac mihi hanc gratiam, ut ità vivam patienter in hoc mundo, ut talî cum gaudio tranſire valeam ex illo, quale experiuntur amici tui in morte; *qui perfectus eſt, patienter vivit, delectabiliter moritur.* S. Auguſt. expoſ. in epiſt. 1. Joan. tract. 9.



DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Obſecro vos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ eſt gloria veſtra. Eph. 3. 13.

TOLE-

TOLERANTIA PRO ECCLESIA.

1. Gloriosum erat Paulo, pati pro Ecclesia.
2. Nostra gloria esse debet, ut illum in hoc imitemur.

PUNCTUM I. PUlchram hic materiam meditandi habemus, si proficere sciamus ex eo, quod Apostolus ad Ephesios scripsit: obsecro vos, ut animum non despondeatis ex eo, quòd me tot, ac tanta pati videatis pro vobis, quia hoc gloriosum vobis est. O quàm admiranda sunt verba ista Apostoli, & zelo illius omninò digna; docent nimirùm fideles, ut nunquam scandalizentur ob ea, quæ ministri ecclesiæ propter illos tolerant; Clerici autem, ut sibi continuò ante oculos ponant constantiam & fortitudinem S. Pauli, qui tanta passus fuit pro Ecclesia, & tanto cum gaudio, ut id gloriæ sibi duxerit, & etiam filiis gloriosum esse putaverit; *quæ est gloria vestra*; illum nempe Apostolum, quem Spiritus S. consecravit, ut esset columna immobilis, à qua sustentanda esset Ecclesia; qui erat Doctor gentium, hoc est, totius mundi, quem semine evangelii replevit; qui ipsemet 1. Cor. 9. 16. dixit: *væ mihi, si non prædicavero*, ita ut visus fuerit majorem fiduciam posuisse in passionibus quàm prædicationibus suis. Fuit Ecclesia in ortu

suo,

suo, totis viribus Romani Imperii impugnata, & magnus iste Apostolus tam formidabili potentiæ aliud non opponit, nisi onus & pondus catenarum, & vinculorum suorum, quando Ecclesiam armat ad tam fortibus inimicis vâlidè resistendum, alia ipsis arma non subministrat, nisi patientiam; *in hoc positi sumus,* 1. Thessal. 3. 3. quando de iis loquitur, quæ pro fidelibus fecerit, ut suo exemplo eos animaret, nonnisi de laboribus & tribulationibus mentionem facit; *ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis;* quando narrat extraordinarium successum prædicationis suæ, id annotat, se multa prius passum fuisse; *scitis introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi multa, & contumeliis affecti.* 1. Thessal. 2. 1. Dum testatur, spem se habere copiosæ messis, & colligendi magni fructûs, addit statim, quòd etiam multa sibi patienda restent, & plures habiturus sit inimicos, qui talia impedire velint, & hoc Ecclesiæ in bonum proveaturum, judicando, & desumendo hoc ex ex magnitudine laborum suorum; *ostium mihi apertum est magnum, & evidens, & adversarii multi.* 1. Cor. 16. 9. Dum vult, ut epistolæ suæ efficaciter moverent

verent illos, ad quos scriptæ erant, ait, scriptas esse in maximis angustiis, & pressuris; *ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis; per multas lacrymas.* 2. 2. 4. Dum seipsum excusat, & justificat apud Ephesios, ostendítque quanta cum innocentia & sanctitate inter eos vixerit, non omittit dicere, factum hoc fuisse *cum omni humilitate, lachrimis, & tentationibus.* Act. 20. 16. Dum de sua conditione, & statu loquitur, ac titulo aliquo uti vult, ad vincula sua provocat; *vinctus Christi &c. ego vinctus in Domino.* Adeò æstimat hæc sua vincula, & tanto in honore ac veneratione habet, ut putârit, novum honorem exinde accrescere senectuti suæ; *Paulus senex, nunc autem & vinctus JEsu Christi*, Ephes. 3. 1. & 4. 1, quando in aliquo gloriandum putabat, hoc faciebat adducendo tribulationes suas; *gloriamur in tribulationibus.* Dum quemdam in particulari comendare vult, summa, quam ei attribuit, laus erat, quòd in vinculis eum genuerit, *quem genui in vinculis.* ad Philem, Denique dum ea refert pro instructione nostra, quæ pro Ecclesia, quæ est corpus Christi JEsu, fecit, ait Coloss. 1. 24. se pro illa pati; *adimpleo ea, quæ desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quòd est ec-*

clesia.

cleſia. En! quænam fuerit gloria S. Pauli! Theſaurus crucis Chriſti tam abundans erat in ipſo, ut totam Eccleſiam laboribus & tribulationibus ſuis divitem effecerit. Ah! quàm longè abſumus ab ipſius virtute; & eccleſia omnia ſuffert pro nobis, ingemiſcendo, quòd cernere nos debeat, & experiri tam ſocordes, laboris adeò inimicos quódque tantopere tribulationes fugiamus, nec reſolvere nos poſſimus, vel minimum quid amore JEſu patiendi, & pro evangelio, dum interim totam gloriam ſuam in hoc ipſo poſuit S. Paulus.

PUNCTUM II. Meminerimus igitur gloriam noſtram, in hoc debere conſiſtere, ut illum imitemur, volo dicere, quòd pati debeamus cum ſancto quodam gaudio omnes adverſitates, quæ nobis in ſervitio eccleſiæ occurrunt. Non permittit amor ſanctæ hujus matris, quem nobis in eo oſtendit, quòd nos in ordinem miniſtrorum ſuorum admiſerit, ut inter labores, & ærumnas, quæ miniſterium noſtrum comitantur, conqueramur. Quæſo, quomodo conqueri audeamus, quòd aliquid pro eccleſia toleremus, ſiquidem tota noſtra felicitas in eo eſt, ut nos ipſos ſacrificemus pro ipsa ad exemplum tot ſanctorum ſacerdotum,

dotum, & pastorum sanctorum, quorum vitia in continua patientia transit! quid non suffert bonus aliquis pastor, si talis est, qualem Christus JEsus habere vult? oportet, ut incessanter gregi suo invigilet; ut semper præstò sit, instruere, corrigere, & administrare sacramenta; quod reliquum habet temporis, etiam pars aliqua ipsius noctis transit in dolore & gemitibus, modò ob duritiem peccatorum, modò super relationem, vel lapsus etiam ipsorum justorum; modò ob præcipitatam & improvisam mortem suorum parochianorum; modò ob decessum infantium, antequam baptismum susceperint, modò propter illos, qui veritati resistunt; quia semper aderunt Joannes & Mambres, id est, homines corrupti in intellectu, & perversi in fide, qui veritati resistent, prout isti præstigiatores sese opposuerunt Moysi. Quid non oportet tolerare Episcopum, si supra dioecesim suam solicitè invigilet? 2. Tim. 3. 8. audiamus desuper S. Chrysostomum hom. 44. in Acta Apostol. de seipso loquentem; in quem statum redactus sum, dicebat ad populum Constantinopolitanum? scitis, quòd per gratiam DEI jam tres anni sint, quòd curam vestri in me susceperim. Verùm est, quòd non exhortemur, seu prædicemus vobis

die ac nocte, quemadmodum S. Paulus; prædico tamen vobis tribus vicibus in septimana, & quandoque per integram hebdomadam. Quid feci hucusque? reprehendo vos, corrigo vos, ploro, dolori meo indulgeo, & si afflictio mea mundo non est visibilis, nihilominus cor meum illâ omninò repletur. Patientiâ igitur opus est, siquis servire velit ecclesiæ, prout oportet; *in labore, & ærumna.* Non deerunt nobis occasiones; tantummodo studeamus illis benè uti. Fiet hoc, si ecclesiam amemus, sit ergo tessera nostra, qualem S. Paulus divino nostro magistro attribuit; *dilexit ecclesiam, & tradidit seipsum pro ea.* Ephes. 5. 25. Diligamus sponsam JEsu Christi, & sponsum ecclesiæ, neque fugiamus occasionem laborandi, & tolerandi aliquid pro illis! pete hanc á DEO gratiam ad altare accessurus. O JEsu, qui nobis toties calicem sanguinis tui in manus nostras consignas, & simul etiam calicem passionis, ac adversitatum nobis gratiam concede, ut unum æquè ac alterum eadem fidelitate suscipiamus. Pro nulla re totius mundi vel minimum quid de sanctissimo sanguine effundere vellemus; igitur nec quidquam negligamus etiam, quod pro te pati possimus, ut dicere possimus cum Prophe-

ta,

ta, ex vero devotionis sensu & affectu; *calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Psal. 115.

FERIA SECUNDA.

Hujus rei gratiâ, flecto genua mea ad Patrem Domini nostri JEsu Christi, ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, ut det vobis, secundùm divitias gloriæ suæ, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem. Ephes. 3. 14.

DE VITA INTERNA CLERICO NECESSARIA.

1. Clerici debent esse homines interni & spirituales.

2. Plurimi tamen vivunt vitam animalem & carnalem.

PUNCTUM I. FAc pro te ipso eandem orationem, quam S. Paulus hìc ad DEum dirigit pro Ephesiis, quò eos confortare velit per suum Spiritum in interiorem hominem; eandem tu quoque pete gratiam; sed fiat hoc eadem devotione & fervore; *hujus rei gratiâ flecto genua, ad Patrem Domini mei JEsu Christi,* Roga cœlestem Patrem, ut sua fortitudine te repleat, donétque tibi Spiritum vitæ alicujus internæ & spiritualis, sine qua neque ùt bonus christianus, neque ùt bonus Clericus vivere potes; *ut det vobis secundùm divitias gloriæ suæ,*

virtute corroborari, per Spiritum ejus in interiorem hominem. Christianus internus, & spiritualis est ille, qui liber ab inordinatis passionibus, & affectionibus, nullam difficultatem habet, se totum DEO, ac saluti suæ consecrandi & applicandi; *absconditus est homo cordis.* 1. Petr. 3. Homo est, qui ex fide vivit; qui se cogitatione æternitatis pascit; qui continuò ante oculos suos habet mortem, & judicia DEI; qui timet peccatum & magnam sollicitudinem adhibet illud evitandi; qui exteriora negligit; interiora verò colit, & incessanter se ad hoc applicat, ut cor suum purificet, ad serviendum DEO in Spiritu & veritate; *nos enim externam quidem speciem, ac velut picturam, parum admodum curamus; in interno autem homine multò plus operæ, studiique ponimus,* ait S. Greg. Nazianz. orat. 3. advers. Julianum. Estne hoc ipsum, quod etiam tu facis? Clericus internus & spiritualis est homo orationis, assuetus conversari cum DEO, qui ab ipso desumit regulam vivendi; attentus obligationibus suis; exactus in iis adimplendis; qui intelligit, quid sit beneficium; qui sentit onera officii, & ministerii ecclesiastici; qui statum hunc nonnisi cum horrore considerat, de quo mundani homines, modo
pror-

prorsus indigno, quandoque loquuntur; *animalis homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs DEI; stultitia enim est illi, & non potest intelligere; spiritualis autem judicat omnia.* 1. Cor. 2. 14. Est homo sapiens, mansuetus, humilis, patiens, mortificatus, qui à longo tempore, & ex propria experientia scit seipsum vincere; & aptus etiam est, alios docendi artem reprimendi suas passiones, & resistendi diversis tentationibus, quibus in vita expositi sumus. Talis esse debet Clericus, qui pro sua & aliorum salute laborare vult; *ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis passionibus moriens, jam spiritualiter vivit; qui prospera mundi postponit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat &c. Qui orationis usu, & experimento didicit, quod obtinere à Domino, quæ poposcerit, possit,* ait S. Greg. pastoral. p. 1. c. 10. Quàm rara est hæc qualitas, seu constitutio hominis interni & spiritualis apud Clericos! ut autem clarè hoc cernas,


PUNCTUM II. Oportet advertere cū S. Hieronymo, commentar. in c. 5. ad Galat. quòd homo carnalis sit ille, qui se totum delitiis & voluptatibus dat; spiritualis verò ille, qui gustat, & sequitur motus, seu inspirationes sancti Spi-

ritûs. Qui illum audit, illi obedit tanquam magiſtro ſuo; *carnales dicimur, quando totos nos voluptatibus damus; ſpirituales, quando Spiritum ſanctum prævium ſequimur, id eſt, cum ipſo ſapimus inſtruente, ipſo docemur authore. Animales reos eſſe,* pergit hic S. D. *philoſophos, qui proprios cogitatus putant eſſe ſapientiam.* Porrò quia multi omninò Clericorum, qui delicias amant & voluptates; iisque prorſus ſe immergunt; qui non niſi rationem à peccato corruptam ſequuntur, qui ſe ipſis ſeu proprio amore pleni ſunt, qui non guſtant res ſupernas & divinas, hinc fateri oportet, quòd pauci ſpirituales ſint, plures è contrario, qui vitam prorſus animalem & carnalem vivunt. Experientia id ipſum nimis clarè, & ad oculum oſtendit. Quot ſunt e. g. in ſeminariis, cum quibus tota die ſermo habetur de rebus divinis, in quibus tamen nullũ guſtũ inveniunt? quot ſunt prædicatores & paſtores, qui alios docent, & inſtruunt, quin ſeipſos doceant? audiunt ipſi veritates clariſſimas, eáſque populo etiã proponunt, & de terribilibus, ac maximi momenti rebus, & myſteriis fidei noſtræ, è cathedra loquuntur, ſed fit hoc ab ipſis modo aliquo præcisè hiſtorico, & quia ipſi talibus non tanguntur, nec moventur, hinc neque in auditoribus ſuis

ullum motum, vel sensum alicujus devotionis, compunctionis, gratitudinis, adorationis, multò minùs praxin aliquam, seu exercitium virtutum, & bonorum operum causant, & efficiunt. Status hic adeò defactò cōmunis & ordinarius, magísque horrendus est, quàm nobis imaginemur; quia ordinaria via, seu modus ab illo evadendi, est, ut ita dicam, occlusus, & obturatus; alia enim via evadendi non patet, nisi verbum divinum, isti autem homines carnales fugiunt illud, nullum gustum exinde habent, imò etiam contemnunt; quis non contremiscat, & timeat pro illis? *porro illa tuarum clausula litterarum graviter me turbavit*, ajebat Petrus Blesensis epist. 76, ad quemdam Clericum, ejusdem secum nominis, & ex eadem civitate, sed talem, qui ex numero illorum erat, de quibus modò locuti sumus, nempe spiritualis ad hominem carnalem & animalem scribebat; *turbavit me, in qua sermonem evangelicum vocas durum, insipidum, infantilem.* Respondeo tibi breviter: *non est durus sermo Domini; sed tu durus es, terrenus homo, carnalis, animalis.* Homo terrenus, carnalis & animalis est coecus; nam juxta Apostolum talis homo non est capax, seu aptus ad illa, quae Spiritus DEI docet: stultitia e-

nim illi esse videntur, nec illa capere potest; *dum sermonem Domini durum vocas, istorum apostasiæ deformiter te conformas;* addis, sermonem DEI tibi videri *insipidum*; valdè distas per hoc à sancta dispositione Prophetæ regii, qui præ gustu & gaudio exclamavit; *quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel & favum.* Ps. 118. 103. Denique *simplex* tibi videtur sermo evangelicus, infantilia, & simplìcia non inficior; *nam semper amica est veritati simplicitas.* Igitur renova, mi charìssime amice, concludit Petrus Blessensis, renova interiora animæ tuæ, ut quemadmodum portâsti imaginem hominis terrestris, ita portes deinceps imaginem hominis cœlestis. Stude proficere ex hoc consilio hujus sapientissimi Archidiaconi, quod dedit huic Clerico; renuntia huic vîtæ animali, & carnali filiorum hujus sæculi; allabora, ut tandem evadas in virum verè internum & spiritualem; & pro præparatione ad Missam, aspice exemplũ, quod tibi dat Salvator tuus sub velo specierum sacramentalium absconditus, tanquam sub sigillo humilitatis, perpetuò in hoc intentus, ut suum æternum Patrem ac DEum adoret. Potésne cogitare de hac divina recollectione, & de hac interna vita Christi JEsu in S. altari, & interim tibi

tibi ipsi placere in tali vita prorsus mundana & saeculari? disce igitur te non amplius ita effundere in exteriora, dum magistrum ac Dominum tuum vitam vivere consideras adeò secretam & internam; *posuit tenebras latibulum suum, in circuitu ejus tabernaculum ejus.* Ps. 17. 12.



FERIA TERTIA.

Ut det Christum habitare per fidem in cordibus vestris. Ephes. 3. 17.

De vita fidei.

1. Quaedam sit vita fidei.
2. Quam nobis sit necessaria.

PUNCTUM I. POstquam S. Paulus DEum rogavit, ut cōfortaret Ephesios in homine interno per suum Spiritum sanctum, rogat insuper, ut faciat Christum JEsum habitare in cordibus eorum per fidem. Adjungit vitae aeternae, de qua heri egimus, vitam fidei, de qua hodie tractabimus. Incipiamus statim à praestando homagio adorationis, gratitudinis, & amoris erga Dominum nostrum JEsum Christum, qui per fidem in cordibus nostris habitare dignatur; vult nos esse sanctos; vult ut insistamus vestigiis suis; & in hunc finem desiderat, ut per fidem vivamus, quae est participatio quaedam vitae divinae, qua ipse vivit, quémque

que è ſinu Patris ſui haurit. O quàm pretioſa eſt hæc vita fidei; æquum eſt, & juſtum, ut benè de illa inſtruamur. Quid ergo eſt vita fidei? ſcriptura docet nos, eſſe vitam juſti in hoc exilio; *juſtus autem meus ex fide vivit.* Hebr. 10. 38. Vivere itaque vitâ fidei, eſt vitam ducere juxta regulas juſtitiæ, eámque totam referre in DEum, abnegando naturam, & ſenſus noſtros per quos à DEO abſtrahimur; quia vera juſtitia conſiſtit in eo, quòd quis in omnibus prorſus rebus ſe DEO ſubjiciat; hinc dictum eſt, juſtum, ſi ſe DEO ſubtraxerit, eidem haud placiturum, *quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.* ibid. Vivere vitâ fidei, eſt, elevare ſeipſum ſupra res præſentes, neque alligare ſe rebus tranſitoriis, ſed unicè æternis adhærere; *non contemplantibus nobis, quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æternæ.* 2. Cor. 4. 18. Vivere vitâ fidei, eſt renuntiare ſpiritui veteris hominis, ut quis nonniſi ſpiritum novi hominis ſequatur; eſt locò opinionum & principiorum, quæ nobis natura & ſenſus noſtri inhibent, ſubſtituere principia, & regulas evangelii; denique eſt renuntiare mundo, & ſemetipsū abnegare, ut DEum vocantem ſequamur, illíque ex toto corde uniamur. Si ergo

cogita-

cogitationes noſtræ objectis præſentibus non adhærent, neque ſive bona, ſive mala hujus mundi ampliùs nos diſtrahunt, ſeu impediunt ab attentione illa, quam DEO debemus; ſi nihil ex his rebus viſibilibus deſideramus, quod erat principìum S. Ignatii, Epîſt. ad Rom. *nihil de his, quæ videntur, deſiderans;* ſi gaudium noſtrum, & triſtitia noſtra originem non trahunt ab iis; quæ videntur, ſed quæ credimus; ſi denique omnes affectus cordis noſtri nullatenùs terram ſed cœlum petant, tunc dici poteſt, vivere nos vitâ fidei, quæ nonniſi objecta inviſibilia, quæ ſperamus, ùt Apoſtolus Hebr. 11. 1. ait, habet; *ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Vide nunc utrum vitâ fidei vîvas? eſtne hæc regula opinionum tuarum, & actionum, totiúsque vitæ tuæ ratio? judicásne ſecundùm lumina, ſeu principia iſtarum rerum terrenarum, bonorum, divitiarum, officiorum, beneficiorum? an non ſequeris falſas illas ideas, quas mundus de rebus ejusmodi format? conſulísne fidem in dubiis, difficultatibus, & negotiis tuis? ſúntne inſtructiones & deciſiones tuæ doctrinæ morali Evangelii conformes potésne denique dicere cum Apoſtolo Galat. 2. 20. *in fide vivo Filii DEI?* ah, ſi te

ſuper hoc reflectas, invenies ex propria tua experientia, quàm hæc vita fidei rara ſit; interim

PUNCTUM II. Nil magìs neceſſariū, quàm hæc ipſa vita fidei; nam quia ex omni parte circumdati ſumus iſtis rebus viſibilibus, & noſtra concupiſcentia continuò nos talibus adhærere facit, hinc nullus eſt locus, nullum tempus, nulla occaſio, ubi neceſſe non ſit, ut per fidem vivamus, ut ſic nos conſervemus in juſtitia & exercitio bonorum operum. *Fomes operum fides*, ait S. Paulinus Epiſt. ad Severum. Magna hæc virtus alios limites neſcit, niſi illos quos vita noſtra habet, debétque exerceri in omnibus prorſus occaſionibus, ſi curæ nobis eſt ſalus noſtra, nec paſſum ullum ſeu greſſum facere poſſumus quin præ oculis noſtris habeamus has duas diverſas vias, vitæ nimirum, & libertatis; quæ eſt vita fidei; & captivitatis ac mortis, quæ eſt vita naturæ. Semper nobis ipſis invigilare cogimur, ut non ſupplantemur, ſed benè eligamus; id quod anſam dedit S. Cyrillo Jeroſolimitano dicēdi, debere nos continuò in manibus noſtris habere lampadem fidei accenſam & lucentem; *fidei lampades non extinctas, manu tenendo, cuſtodite.* Catecheſi. 1. Neceſſaria nobis eſt lux iſta, ut ſanum judicium formare va-

leamus

leamus de vocatione nostra, illíque fideliter correspondamus; ut agnoscamus obligationem nostram; illique satisfaciaciamus; ut gloriam DEI, ac animarum salutem procurare, ac promovere valeamus; uno verbo; per hanc evadere possumus homines DEI, ùt ait S. Clemens Alexandrinus, stromat. l. 6. *per fidem fiunt homines DEI.* Si autem ullum unquam tempus sit, quô vitâ fidei opus habeamus, specialiter tempore adversitatis, & afflictionis illâ opus habemus; tunc vel maximè recursum ad illam habere debemus, & auxilium ab illa quærere, id est, ab ipso DEO, prout S. Augustinus in Ps. 90. n. 10. ait; *fides sit tecum, & tecum est DEus in tribulatione.* Mare fluctus suos commovet; navis tua agitatur, quia Christus JEsus dormit; dormiebat olim in navicula quâ vehebatur; & ii, qui in illa erant cum ipso, in periculo pereundi versabantur. *Si fides tua dormit in corde tuo, tanquam in navi tua dormit Christus; quia Christus per fidem in te habitat; cum turbari ceperis, excita Christum dormientem; erige fidem tuam, & noveris, quia non te deserit.* ibid. Nequaquam dormiebat JEsus Christus in corde S. Eusebii, Episcopi Samosateni, qui se ambabus manibus offerebat, Legato ab Imperatore Valente ad se misso, dixit posse

quidem

quidem eas amputari ſibi, minime verò ſe cogi, ut extradat acta ab Epiſcopis Catholicis ſibi tradita, & concredita, in quibus malitia Arrianorum clarè continebatur. Theodoret L. 2. hiſt. Eccleſ. c. 31. Non dormiebat Chriſtus JEſus in corde S. Baſilii, quando officialis quidam ejusdem Imperatoris poſt intentatas mĩnas exilii & ipſius mortis, ſed inutiliter, ſubitaneâ irâ correptus, & abreptus, furore plenus eidem minatus fuit, ſe violenter jecur ex corpore ipſius extrahi mandaturum, abſque ulla alteratione, non niſi frigidè ei reſpondit, hoc ſibi omninò gratum fore, futurúmque medium ſanitatis ſuæ, cùm ex hac parte maximas pati debeat infirmitates. Grandes hi viri & ſancti vivebant planè ex fide, de qua nos tantum̃odò loquimur. Roga Dominum JEſum inſtanter, ut per hoc ſanctiſſimum Sacramentũ, ad quod toties accedis, fidem tuam accendere, vivaciorémque, & magis activam reddere dignetur; *Domine, adauge nobis fidem.* Luc. 17. 5. O JEſu, ah! vive in nobis per fidem, ut firmi & immobiles ſimus in tuo ſervitio; pleníque zelo ardenti in exercitio bonorum operum; *ut inveniamur in fide ſtabiles, & in opere efficaces.* Oratio Eccleſiæ.

FERIA

FERIA QUARTA.

Ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientiæ charitatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem DEI. Ephes. 3.

De charitate Christi erga homines.

Debent Clerici in eo esse 1. Ut eam comprehendant.

2. Et imitentur.

PUNCTUM I. QUod S. Paulus Ephesis optat, totum id est, & omne, quod quilibet bonus christianus & Clericus desiderare debet in hac vita, nempe, ut comprehendere valeret latitudinem, longitudinem, sublimitatem, & profunditatem mysterii DEI incarnati, & illam im̃ensam extensionem charitatis JEsu Christi erga homines, quam crux illa, cui pro peccatis nostris affixus erat, longè clariús nobis ob oculos ponit, & efficacius prædicat, quàm quidquid aliud, quod nobis de illa dici posset. Longitudo illius, ait quidam interpres, (Estius in hunc locũ) denotat tempus, latitudo loca illius, sublimitas gloriam, profunditas discretionem, seu separationem electorum à reprobis. Ille comprehendit longitudinẽ crucis, qui agnoscit & intelligit, à principio mundi

mundi ad finem usque sæculorum neque fuisse, neque futurum ullum hominem, qui aliter salvus factus sit, vel fieri possit, nisi per merita passionis D. N. J. C. latitudo dignoscitur ex eo, quod sciamus Ecclesiam ex latere ipsius lanceâ aperto ortam, diffundi per totum orbem terrarum, quemadmodum Eva desumpta fuit ex latere, seu costa Adam sponsi illius; elevamur ad cognoscendam illius sublimitatem, quãdo lumine fidei illustrati, & convicti agnoscimus, ex vilitate & humilitate crucis provenire, quòd ad sublimitatem gloriæ nos perveniamus; denique comprehenditur profunditas, si considerando consilia misericordiæ divinæ super nos è massa corruptionis, & quàm modicus sit numerus, quibus talia possint, exclamemus cum Apostolo; *ó altitudo divitiarum, sapientiæ & scientiæ DEI, quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus.* Rom. 11. 33. Verùm hoc longè melius adhuc comprehenditur corde, quàm intellectu; adeò ut quod in hac meditatione facere possimus, hoc sit, ut permaneamus in silentio & admiratione mysterii adeò ineffabilis charitatis Christi JEsu erga homines, quæ omnem captum nostrum, omnes ideas nostras, & quascunque possibiles expressiones, longè transcendit. Vel si aliquid

quid dicere, & loqui volumus, sufficiant nobis hæc verba S. Pauli: *in fide vivo Filii DEI, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Galat. 2. 20. O Domine DEus omnipotens! ô rex sanctorum omnium, quis te non laudet? quis tibi non benedicat? non possum capere, quæ pro salute mea fecisti; factus es homo; elegisti naturam nostram præ natura angelica, voluisti transire per omnes ætates hominum; cum ipsis conversari; omnia pati, & tolerare, quæ ipsi patiuntur; tentari ut illi; mori illorum instar; non possum exprimere excessum bonitatis tuæ; contentus igitur ero, ut dicam cum Apostolo tuo: *in fide vivo Filii DEI, qui dilexit me &c.* l. c. Dicam hoc per singulas horas, singulis momentis, ut ita per continuam gratiarum actionem gratitudinem meam tibi exhibeam; *beatus, multúmque felix,* ait S. Hieronymus, in hunc locum Epist. ad Galat. *qui vivente in se Christo, per singulas cogitationes & opera potest dicere: in fide vivo Filii DEI, qui dilexit &c.* Sed quia Clerici obligati sunt laborare pro salute animarum, non sufficit illis, ut studeant cognoscere, & comprehendere charitatem JEsu Christi erga homines,

PUNCTUM II. Debent insuper solliciti esse, ut eam imitentur. In societatē

assum-

assumpti sunt divini illius sacerdotii, hinc debent fidelibus in seipsis exhibere imaginem quamdam sensibilem vitæ illius qualem ille duxit; debent comparere vestiti ipso JEsu Christo; *Christus magna sacerdotum tunica*, dicebat quidam ex veteribus PP. debent exprimere admirabiles dispositiones summi hujus sacerdotis, specialiter hanc im̃ensam illius charitatem, quam pro salute hominum habuit, quæ eum eò adegit, ut voluerit esse similis nobis, ut esset talis ad Patrem suum pro nobis Pontifex, qui posset compati infirmitatibus nostris, & orare pro populo, ût S. Paulus Hebr. 2. 17. loquitur; *unde debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad DEum, ut repropitiaret delicta populi.* Ut igitur eum in hoc puncto imitemur, debemus ad exemplū illius necessitatibus populi nostri communicare, & partem aliquam eorum, quæ patiuntur, in nos assumere; & in tentationibus eorum eos solari, si hoc non facimus, nunquam in statu, seu capaces erimus, ut debitam iis assistentiam exhibeamus; consequenter obligationibus ministerii nostrì nunquam satisfaciemus. S. Cyprianus hanc veritatem optimè sibi persuasam habebat dū compassionem gerendo cum pluribus ex grege suo infeliciter

lapsis,

lapsis, quos furor persecutionis dejecerat, planè paterno affectu, & charitate plenus, ut eos Christo JEsu denuò lucraretur, iis dixit: ego vobiscum doleo, & nequaquam exinde consolationem cupio, quòd ego solus relictus sim sanus, & integer; siquidē verus pâstor longè vivacius sentit plagas & vulnera gregis sui, quàm ipse grex; *quantò plus pastor in gregis sui vulnere vulneratur.* Cypr. de Lap. Pariter vobiscum contristor, & pondus tristitiæ vestræ etiam ego sentio; *cum plangentibus plango, cum deflentibus defleo; cum jacentibus jacere me credo.* Idem gladius, qui vos vulneravit, viscera quoque mea pertransivit; adeò ut dicere haud possim, fuisse me tutum, seu exemptum à violentia persecutionis, siquidem affectus ille, quem erga fratres meos gero, omnes illos ictus me sentire quoque fecit, quos illi exceperunt: *in prostratis fratribus, & me prostravit affectus.* O JEsu, ah! fac quæso, ut omnes pastores, & ministri Evangelii tui eum imitentur, quemadmodum magnus hìc Episcopus te fuit imitatus; ut cor habeant compassione plenum erga mîserias & necessitates populorum suorum. Dona eis ad hunc effectum gratiam tuam, quæ illis auferat cor lapideum & det illis cor carneū erga fratres suos, ut omnibus eorū uecessitatibus ad exemplum

tui cōmunicent Fac de hoc præparationē tuā ad Miſſam; & ut ad praxin deveniamus, conſidera unum ex excellentioribus mediis, acquirendi cor verè compaſſivum ſuper miſeriis proximorū noſtrorū, eſſe, ut ſæpius te reflectas ſupra tuas proprias miſerias;nā,ùt S.Bernardus de grad.humil.c. 3. ait, *ut ob alienam miſeriam cor miſerum habeas, oportet, ut tuam prius agnoſcas,ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris, qualiter illi ſubvenias; ſicut enim pura veritas nonniſi puro corde videtur, ſic miſeria fratris verius miſero corde ſentitur.*

FERIA QUINTA.

Cùm intraret JEſus in domum cujusdam principis phariſœorum, ſabbatho manducare panem, & ipſi obſervabant eum. Luc. 14. 1.

De invidia.

1. Nihil odioſius. 2. Nil tamen communius.

PUNCTUM I. O Quàm maligni, & perturbati ſunt oculi invidorū, ut aliquid vel in ipſa ſanctitate reprehenſibile inveniant! quis ſibi promittere poſſit, ſe ab iis ſecurū futurū, ſiquidē vel ipſe Salvator perſecutionem eorū non evaſit? *& ipſi obſervabant eum.* Nunquam deſiſtebant phariſæi ab invidia ſua contra eū, quouſque non à paſſione ſua hac eò impulſi fuêre ad inveniendū mediū, quomodo eū perderent. Ipſe judex, qui eum ad

mortē condemnavit, agnovit clarè, quòd nonniſi invidiâ ſtimulante, manibus ſuis fuiſſet conſignatus: *ſciebat enim, quòd per invidiam tradidiſſent eum.* Matth. 27. 18. Ah! quis non deteſtetur ſcelus illud, quod vel ipſimet authorē vitæ neci tradidit! ſed ut melius adhuc inſtruamur, & majorē horrorē contra hoc crimen concipiamus, examinemus, quid ſit invidia? triſtari de bono proximi, gaudere de illius malo. En! hæc eſt propriè invidia. *Nequam eſt oculus lividi.* Eccleſ. 14. 8. Si tolerare, & ferre non potes proſperitatē proximi tui; ſi ſecretū & occultū odiū erga illū concipis, eoquòd feliciòr plura bona poſſideat majoris authoritatis & famæ, majoris induſtriæ, perſpicacioris intellectûs ſit, pluráque forte talenta, & virtutes poſſideat, quàm tu, tunc planè invidus ei es; ſi gaudes, dum audis, demū aliquod illi accidiſſe infortuniū paſſū, ab aliis humiliatū & contemptū fuiſſe, invidus es. Porrò nil odioſius eſt, quàm hoc vitiū. imò deſtruit charitatē. Propriū hujus virtutis eſt, omnibus hominibus omninò optare, ut illis benè ſit; propriū è contrario invidiæ eſt, habere animi dolorē, ac impatientiā ex bono illo, quod alii poſſident, quódque illis eripere vellet, ſi poſſet, & vires ſufficientes ad hoc haberet. Invidi nullū rivalē, ſeu comparē tolerare

poſſunt; ſoli vellent æſtimari; ſoli honorari; & adeò non vivunt cum ſuis fratribus in pace & unione, quã ipſis ſocietas inſpirare deberet, ut potiùs ex invidia ſe ab iis ſeparent, & monſtra privata eſſe velint; & dum hac paſſione abripiuntur, neque illis parcere poſſunt, quibuscum eandẽ naturã participant; ait quidam Pater; *parcere nequeunt iis, quorum ſe genus eſſe cognoſcunt.* Caſſiodor l. 2. variorũ. 2dò hominem diaboli ſimilem reddit. *Invidiâ diaboli mors introivit in orbem terrarum; imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius.* Sap. 2. 14. S. Chryſoſtomus nullã difficultatẽ habet appellandi hominẽ invidũ diabolũ; imò, quod in aliquo ſenſu pejor ſit ipſo diabolo; nam invidus amat malum ùt malum queẽadmodũ diabolus; *nec tam ſuis malis, quàm alienis bonis infelix eſt.* En! quid iuvidũ diabolo ſimilẽ faciat; verùm in quo malitia ipſius major eſſe videtur, hoc eſt, quòd invidia dæmonũ non ſe extendat adversùs alios dæmones; hominũ autẽ invidia eouſque procedit, ut unus alterũ ſupplantare, & deſtruere fatagat; *invidi dæmonibus pares ſunt, & fortè deteriores, ſiquidem dæmones conſortibus non inſidiantur.* S. Chryſoſt. hom. 44. ad pop. 3tiò vitiũ hoc ad omne genus exceſſuum perducit; non eſt minus fœcundũ, quàm pernicioſũ, ait S. Cyprianus, de ze-

lo & livore, *latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies, radix est malorum omnium, fons cladium; seminarium delictorum, materia culparum.* Visné cognoscere damna,& clades,quas invidia causat,aperi libros sacros, & invenies, quòd sit causa calumniarum, proditionũ, injustitiarũ, latrociniorum, & aliorũ pluriũ, maximè enormiũ scelerum. *Abelem occidit invidia; fratres contra Joseph animavit, Danielem in lacum leonum misit,caput nostrum cruci affixit,*ait S. August. serm. 18. de tẽp. quis ergo horrorẽ nõ concipiat contra hoc vitiũ? quãquã autẽ hoc vitio nil sit odiosius,videbimus tamẽ in secũdo puncto, quod nil comunius illo sit in mundo, & quòd peccatum sit infinitorum hominum.

PUNCTUM II. Invidia contagiosum est malum, ait S. Chrysostomus, quod se ubique diffundit. Intrat in palatia magnatũ, & totidẽ ibidẽ invidiosos facit, quot ibi inveniuntur, qui principi famulantur. Si ex aula transeamus ad plebejos, ferè totidẽ iterũ inveniemus,cùm omnia plena sint invidiâ. Maledictũ hoc peccatũ etiam in tabernas mercatorũ se insinuat; usque in sumã curiã, inter senatores;& quod adhuc magìs molestum ac grave accidit etiam in ipsam Ecclesiã & monasteria. Clerici non magìs exempti sunt ab hoc vitio,quàm sæculares. Claustrales, quàm homines mun-

dani, tam qui in cōmunitate vivunt, quàm qui vitā privatā ducunt, invidiâ laborant. Quid ſentis de hoc, magne Apoſtole, qui ſæpiſſimè te expoſitū vidiſti moleſtiſſimis invidorū aculeis? *quidam propter invidiam, & contentionem &c. Chriſtum annuntiant non ſincere, exiſtimantes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis.* Philip. 1. 15. Quidam prædicant Chriſtum; éſtne hoc malū quid? abſque dubio; non faciunt idipsū, quod ego; ſed ex invidia illū prædicant, & ut mihi moleſti ac graves ſint; & hoc malè ab eis fit. Laboriosū ac periculosū eſt, añuntiare Evangeliū; hunc tamen laborē libenter in ſe ſuſcipiunt, ac huic periculo ſe exponunt: quia verò invidia meliorē partē in hoc ipſorū miniſterio obtinet, quod de ſe adeò ſanctum eſt, hinc fit, quòd Deū prædicatione ſua offendunt. O crudelitatē! ô furorē! exclamat hic S. Chryſoſtomus; quia S. Paulus quamdā reputationē ſibi conciliavit & obtinuit, vani & invidioſi quidē homines hoc pati non poſſunt. Satis illis non erat, ſi eū afflictū, catenis gravatū, in carcere perſecutiones patientē videant, invidiā contra eū ſecretā, & occultā concipiunt, velléntque illū jam mortuū videre. Annon & ipſe ſecutus es hunc agendi modū iſtorū adverſariorū, & inimicorū S. Pauli? an non ex aliquo ſpiritu invidiæ, & æmulationis cōcionaris? an non ſpernis aliorū laborē? an

non dominatur tibi aliquo modo invidia & zelotypia? examina teipsum sedulo; ingemisce deinde corā Deo propter excessus illos, quos vitiū illud causat in ecclesia. O quot sunt membra malè affecta hoc morbo in corpore mystico Christi JEsu! *à planta pedis usque ad verticem non est in ea sanitas*, exclamat Propheta, Is. 1. 6. & cur? *vulnus & livor, & plaga tumens; non est circumligata, nec curata medicamine.* Quia livor & invidia ubique lethalia inflixit vulnera; & quamquā mortaliter lapsi sint homines, vix tamē cura aliqua adhibetur, ut vulnera hæc ligentur, & congrua medicina adhibeatur. Meritò dici potest, nil magìs periculosum esse pro salute, quàm peccatū invidiæ; quia vix aliquis de illo se accusat; minùs laborant, ut ab hoc vitio curentur, & se corrigant. Pro Missa, roga Deum charitatis, quē brevi post sumpturus es, ut te præservet ab hoc peccato, quod charitati omninò formaliter, & è diametro oppositū est. O JEsu! rogo te per virtutē sanguinis tui, sana animā meā à plaga tā periculosa! expellat charitas tua invidiā de corde meo, ut mihi nunquā amplius dominari patiar passionē hanc, christiano adeò indignā, quæquè ei non nisi lethalē ictū infligit, qui victas ei manus dat; *verè stultum interficit iracundia; & parvulum occidit invidia.* Job. 5. 2.

FERIA SEXTA.

Et respondens JEsus dixit ad legisperitos, & Pharisæos dicens: si licet Sabbatho curare? Luc. 14. 3.

De sanctificatione festorum.

1, De modo illa sanctificandi. 2. Media, quibus uti debeant Clerici ad contribuendum aliquid ad hanc sanctificationem.

PUNCTUM I. NOn sine causa & ratione Filius Deî proposuit pharisæis, & legis Doctoribus hanc quæstionem; *si licet Sabbatho curare?* observabant Judæi Sabbathū modo tā rudi, ut in hac die etiā à bonis operibus abstinuerint, quasi interdicta fuissent, quamvis deinde nullā difficultatē habuerint, diē totū in otio, deliciis, & voluptatibus transigendi, prout S. Augustinus conc. in Ps. 32. notat. Voluit igitur Christus JEsus eos ab hoc errore liberare, ac ostendere, quòd, si opera servilia in die Sabbathi interdicta essent, hoc ideò factū sit, ut sic obligarentur vacare divino servitio, & exercitio bonorū operū; tantúmque abesse, quòd die Sabbathi ab his abstinere debeant, ut potius è contrario adhuc magìs in particulari se illis applicare, & dedere debeant. Examinemus intentū hujus præcepti, & videamus, quomodo diē dominicū, qui Sabbatho successit, aliósque dies festos sanctificare oporteat,

teat, qui per annū occurrunt? docet hoc S. Gregorius lib. 1. epist. 3. paucis verbis: *Dominico verò die à labore terreno cessandum est, atque omnimodè orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis dominicæ precibus expietur.* Oportet igitur 1mò abstinere ab operibus servilibus. Num. 15, 35. id est, ab illis, quæ ordinariè fieri solent ad lucranda vitæ necessaria v. g. rusticorū, artificū, servorū &c. & à comerciis, uti sunt venditiones emptiones, nundinæ, mercatus solemnis &c. item ab occupationibus nimiùm distrahentibus, hominémque à servitio divino retrahentibus, ùt sunt piscatio, venatio, absque necessitate iter peragere &c. S. Thom. 2. 2. q. 22. à 4. ad 3. 2dò etiā peccatū est opus quoddā servile, specialiter sanctitati festorū oppositū, abstinere ab illo debemus omni tempore; maximè autem his sanctis diebus, & tamen, quod sanguineis lacrymis deplorandū, hi ipsi dies dominici, & festivi sunt, in quibus Deus maximè offenditur. An non hisce sanctis diebus frequentantur tabernæ? inebriantur aliqui? lites alii incipiunt? impudica pertractantur? societates & amicitiæ peccaminosæ contrahuntur? ad choreas curritur? ad spectacula itur prospere? lusui indulgetur? & si quis infinitorū quasi chri-

ſtianorũ modũ agendi conſideret, an non dicendum potiùs, videri tales dies dæmoni conſecratos eſſe, & ſacros, non Deo? qualis cœcitas! exclamat S. Chryſoſtomus hom. de Lazaro, *accepiſti Sabbathum, ut animam tuam liberares à vitiis, tu autem majora committis!* 3tiò, ut dies dominicus, & feſta ſanctificentur, oportet his diebus inſiſtere precibus, & intereſſe divino ſervitio; manè devotè aſſiſtere ſacrificio Miſſæ; præſertim Miſſæ publicæ, ſeu officio in Parochia; confiteri, com̃unicare; poſt prandiũ intereſſe veſperis, catechiſmo, concioni. Si quis talibus omnibus exercitiis intereſſe non poſſit, debet legere librũ ſpiritualem, viſitare ægrotos, conſolari afflictos, inſtruere ignorantes, præſertim infantes & domeſticos; uno verbo: oportet tranſigere dies hos ſanctos in bonis operibus, & laborare tũ ad propriã ſanctificationẽ, tũ ad eorũ, qui curæ noſtræ & officio com̃iſſi. *Diebus dominicis & feſtis in ſuas parochias populus conveniat, & Miſſæ, & concioni, ac veſperis interſit,* ait conciliũ provinciale Rhemẽſe, à Ludovico Cardinale Guiſio añô 1583. habitũ, & ſequenti añô à Gregorio XIII. approbatũ. Examina te ſuper hoc puncto tanti momenti, quòd non tã teipsũ, quàm omnes fideles concernit. Quomodo obſervâſti hucuſque Dominicas & Feſta? quomodo

modo observantur à tua familia? in domo tua? in tua parochia &c. Ah! quot peccata comittuntur his diebus, quos unicè in Dei servitio insumere deberemus, & in oratione! verùm ut tales defectus non etiam à te admittantur,

PUNCTUM II. Considera, quid Clericos facere oporteat, ut aliquid ad sanctificationē festorū contribuant, primum est, ut sæpius populū suū moneant, & instruant, quantā obligationē habeant, sanctè celebrandi dominicos & festos dies; *memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Exod. 20. Modus, quo Dominus utitur, & seipsū explicat, dum præceptum hoc nobis dat, satis indicat, quòd sæpè de hoc mentio fieri debeat; quia plures sunt, qui hujus suæ obligationis obliviscantur. Dantur aliquæ parochiæ, præsertim in iis locis, ubi etiā hæretici potestatē, seu jurisdictionē quamdā habent, qui non verentur dicere cū impiis illis apud Prophetā Ps. 73.8. *quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.* Oportet igitur Clericos sæpius de hoc facere mentionē, quàm exacti esse debeant in adimplenda hac sua obligatione; quòdque hæc ipsa profanatio festorū soleat esse causa ordinaria malorū illorū, quibus premimur; *Sabbatha mea violaverunt vehementer; dixi ergo, ut effunderem furorem me-*

um super eos; ait Deus per Prophetã suum Ezech. 20. 13. 2dũ. debent Clerici quoad hoc ipsũ dare bonũ exemplũ populo suo, hoc est, debent solicitẽ evitare id omne, quòd eos à servitio divino impedire posset, debent his sanctis diebus exactè assistere, & interesse divino officio; prædicare catechizare, confessiones audire, & populũ occupare diversis pietatis & devotionis exercitiis; quò enim magìs in ecclesia detinentur, eò minorem occasionẽ habent se distrahendi. 3tiũ, armare seipsos debent zelo, contra profanatores ejusmodi scandalosos; rogare magistratus, dominos locorũ, & alios superiores, ut auxiliũ ipsis præstent, sine quo sanè difficile est aliquid efficere; nam quomodo e. g. parochus quidã ruralis eliminabit vel solũ vitiũ ebrietatis? hydrã istã pluriũ capitũ, & originẽ omniũ aliorũ scelerũ, & vitiorũ, prout in capitulis Caroli M. vocatur: *magnum malum ebrietatis, unde omnia vitia pullulant, modis omnibus cavere præcipimus.* Capitul. l. 5. c. 69. Impossibile est, ut hoc præstet, nisi officiales, & præfecti sæculares justitiã quoad hoc illi administrent. Denique Clerici, & pastores subalterni cavere debent, ne pro sua voluntate nova festa introducant, vel præcipiant, quæ esset usurpatio quædã authoritatis episcopalis. Memores esse

debe.

debent, mentē ecclesiæ haud esse, ut tam facilè festa multiplicentur, sed potiùs, ut observentur exactè illa, quæ jam introducta sunt, & stabilita. Vide nunc defectus tuos, quos ex occasione festorū comisisti. Quales abusus, excessus, & scandala contigêre in tua parochia his sanctis diebus, quin vel minimum quid contra talia dixeris? pete veniā à Deo de tua socordia & negligentia; & si hodie ad altare accedis, fiat hoc cum renovatione novi spiritus, fervoris, & zeli, qui tibi necessarius est ad hoc, ne divinus magister tuus toties offendatur. *Noli esse pusillanimis in animo tuo.* Eccles. 7. 9.

DIE SABBATHI.

Dicebat autem & ad invitatores parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: cùm invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit invitatus ab illo. Luc. 14. 7.

De ambitione clericorum.

1. Quàm peccaminosa sit. 2. Media eam impugnandi, & vincendi.

PUNCTUM I. ADoremus Dominum nostrum JEsū Christum, ambitione pharisæorū condemnantē. Gerit se cū illis ùt peritus medicus, qui

statim

ſtatim originē & causā mali adoritur, probè gnarus, invidiā ipſorū, quâ erga ipſum ardebant, non niſi ex fundo ſuperbiæ, quâ pleni erant, provenire; conatur igitur ex corde ipſorum eradicare, & evellere funeſtā hanc radicē vanitatis, quam dæmon ibi plantavit; & ut motivô eorum infirmitati proportionatô utatur, timorē iis injicit humiliationis, & confuſionis inexſpectatæ, ac coactæ, quæ plerumque conjuncta eſt ſuperbiæ, & ferè inſeparabilis ab ipſa. *Si invitatus fueris ad nuptias*, ait illis; *noli diſcumbere in primo loco, ne honoratior te ſit invitatus; & ut ille, qui te & illum invitavit, veniat, & dicat: da huic locum, & tunc incipies cum rubore tenere noviſſimum locum.* Oſtendunt hæc verba, quàm ridicula ſit ambitio; verùm paſſio iſta quandoque tā fortis eſt, & valida in nobis, quemadmodū in phariſæis, ut timor confuſionis, nec temporalis, neq; æternæ, ſufficiens ſit ad eā cohibendam. Semper aſſurgere, & altius attolli volumus quin ullū timeamus præcipitiū; *ſuperbia eorum aſcendit ſemper.* Pſ. 73. 23. Malumus imitari angelū apoſtatā, qui dixit; *in cœlum conſcendam; ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum*, Iſ. 14. 13. quàm ut imitemur exinanitionem verbi Incarnati, qui cùm in forma & natura DEI eſſet, formā ſervi accepit; imò pedibus conculcari voluit, inſtar viliſ-
ſimi

ſimi vermis, *ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abjectio plebis*. Pſ. 21. O quàm ſceleratus eſt modus iſte agendi, præſertìm in Clericis, quibus Chriſtus JEſus in perſona Apoſtolorū dixit, ut à ſe invicē minimè exſpectarent honores, & dignitates temporales; *reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Et tamen, prout quotidie videre eſt, vix major inter ſæculares reperitur ambitio. Vix aliquis in ſeminariū recipiatur, & ſtatim ad ſacros Ordines accipiendos aſpirat; ſubdiaconus vellet ſtatim ad diaconatū promoverî; & in hoc ordine vîx tribus menſibus transactis, ipsū presbyteratū ambit. Idē dicendum de præcedentia; omnes fugîunt ultimū locū, & primos accubìtus occupare feſtinant. Hos tales præſumptuoſos ita ironicè animat S. Bernardus de offic. Ep. & de vita & mor. cleric. ad plura ambienda. *Omne ſublime videant oculi tui; feſtina multiplicare præbendas; inde ad archidiaconatus evola; demum aſpira ad epiſcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra. Quò progrederis miſer? an, ut ab altiori gradu ſit caſus gravior? neque enim ſic paulatim decides, ſed tanquam fulgur in impetu vehementi, quaſi alter ſathanas, ſubitò dejicieris.* Time vitiū adeò periculosū, quod, prout dicit S. Bernardus in Pſ, Qui habitat,

tat uſque ad horribile illud vitiũ idololatriæ te pertrahere poteſt; *ambstionis via, adoratio diaboli.* Examina te hic, utrũ huic vitio ſubjectus non ſis ? quid ſentis de officiis & dignitatibus? an non pro eo, ut deplores illos, qui talia poſſident, potiùs felices & beatos æſtimas ? an teipsũ maximis & ſupremis honoribus dignũ ducis? an non omnẽ lapidẽ moves, illuc perveniendi ? ſi malo hoc adeò pernicioſo affectus es.

PUNCTUM II. Vide, quid te facere oporteat, ut illud impugnes & vincas? imò concipere debes magnũ horrorẽ de ambitione. Quamdiu mancipiũ hujus paſſionis fueris, nunquã vera aliqua requie gaudebis; imò ſemper apud temetipsũ carnificẽ circumferes, qui te continuò torquebit. *O ambitio, ambientium crux!* exclamat S. Bernardus, L. 13. de conſi. c. 61. *quomodo omnes torquens, omnibus places?* 2dò ſi ſuperior es, ſtudere debes, reprimere aviditatem illã, quã in tot Clericis videre eſt, qui tanto pruritu ad ſacros Ordines anhelant; vel dignitates quasdã honoratiores acquirere laborant. *Sicut locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, ita fugientibus offerendus,* ait S. Gregorius M. L. 6. Epiſt. 4. vide, quale conſilium dederit S. Bernardus ſummo cuidã Pontifici, & in illius perſona omnibus

mnibus Episcopis, ac his omnibus, quorũ interest, examinare illos,qui ad sacros Ordines, vel ad beneficia præsentantur. *Pro quo rogaris, sit suspectus; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est &c. itaque non volentes, neque currentes assumito, sed cunctantes, sed renuentes, etiam coge illos, & compelle intrare; in talibus, ùt opinor, requiescet spiritus tuus, qui non sint attritæ frontis, sed verecundi, sed timorati, qui præter Deum tantùm timeant nihil, nihil sperent, nisi à Deo.* Si regulæ istæ observarentur, certè diminueretur numerus ambitiosorũ. 3tiò remedium denique efficax, quod quilibet ambitioni opponere debet, est, ut quis de seipso humiliter sentiat; *elegi abjectus esse in domo Dei mei.* Ps. 83. 11. Si instinctũ humilitatis sequamur, is nobis persuadebit, ut ultimũ locũ eligamus; *recumbe in novissimo loco.* Ità dispositi, & comparati erant sancti omnes; adeò non aspirabant ad supremas ecclesiæ dignitates, ut potiùs infra vires, & merita sua locũ occupaverint, adeò,ut quandoque nonnisi violenter manus ipsis illatæ fuerint, ad conferendũ sacerdotiũ. Infinitus forẽ, si exempla horũ afferre vellẽ; sufficiat illud S. Martini, qui non Galliæ solùm, sed totius Ordinis ecclesiastici decus fuit & gloria, *gemma sacerdotum.* Voluit S. Hilarius Pictaviensis, qui merita illius sciebat, eúm-

que libenter ecclesiæ suæ lucrari, & alligare volebat, eũ ordinare diaconũ sed magno clamore, *vociferans se indignum*, ajebat (sunt verba Severi Sulpitii, qui vitã ipsius scripsit) oportebat igitur profundæ illius humilitati cedere; hinc solummodò Exorcista ordinatus fuit ab eodẽ Hilario. Etiã hæc functio, & hic gradus videbatur Martino nimis sublimis, & hinc dignũ se reddidit audire verba hæc; *ascende superius*, & occupare principaliorẽ in Gallia cathedrã nempe Archiepiscopatũ Turronensẽ. Igitur ultimũ semper eligamus locũ in ecclesia, & Dominus convivii dabit nobis honoratiorẽ, si non in hoc mundo, quod fortè causà esset perdendi thesaurũ humilitatis, infallibiliter tamẽ hoc fiet in altero, seu in festo, & convivio nuptiali agni divini in cœlo; *tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus*. Luc. 14. 10. Pro Missa habemus hìc causã, & rationẽ magnã timendi, & contremiscendi; quia si tã indigni sumus, occupare dignitates ecclesiastìcas, quid dicendũ, & sentiendũ de eò, quòd locũ Christi JEsu in altari teneamus? éstne hìc fortè ultimus locus? vel ille saltẽ, qui nobis debeatur? reflectamus nos parùm super hoc! ut si celebrare debemus, fiat hoc majori cũ humilitate, & respectu, quàm ordinariè fiat, dum nos mensæ regis regũ cũ principibus regii

sangui-

ſanguinis aſſidere cernimus, quod cauſa nobis eſſe debet concipiendi vivā opinionē de indignitate noſtra, & humilē, gratámque erga Deū agnitionē, dicendo: *suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem, ut ſedeat cum principibus, & ſolium gloriæ teneat.* 1. Reg. 2. 8.

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

Obſecro vos, vinctus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati eſtis. Epheſ. 4. 1.

De mediis respondendi vocationi nostræ.

1. Applicare nos debemus ad illam benè cognoſcendam. 2. In eáque fideliter perſeverare.

PUNCTUM I. PRorſus emphaticè hìc rogat S. Paulus, docétque ſimul, ut nunquā erubeſcamus crucē. Nil pretioſius invenit hic Apoſtolus ſuîs vinculîs; pluris ea æſtimat, quàm omnes theſauros totius mundi; quid dico? præfert illa etiā viſioni, extaſi, ac raptibus, quibus eū dignatus fuerat Deus; nam non ait: ego Paulus, qui raptus fui ad tertiū uſque cœlū; ſed *ego vinctus*, & in carcere detentus pro Chriſto JEſu. Et cur hoc titulo utitur? cur in memoriam revocat Epheſiis vincula ſua, & carcerē? fecit hoc, ut eos

magìs confortaret in fide, quibus Evangeliū prædicavit, ut proprio ſuo exemplo animaret, ad quidquid potius tolerandū, quā ut nō fideliter correſpondeant gratiæ, ipſis à Deo factæ, dū ab eo vocati fuêre ad eccleſiā ſuā. O pulcherrimam adhortationē! ſtudeamus proficere ex illa! ſit vita noſtra conformis, & digna vocatione noſtra; ſi verò nullū adhuc ſtatū elegimus, ſtudeamus benè indagare illū, ad quē DEus nos vocat; hanc etiā electionē haud aliter conſiderare debemus, niſi ùt fundamentū, ex quo futura vita noſtra, vel ſancta, vel omninò perverſa, dependeat. *Quod ego tanti momenti eſſe duco, ut totius vitæ, vel rectè vel malè traducendæ, fundamentum in eo poſitum eſſe putem*, aìt S. Gregorius Nazianzenus orat. 23. ſi bona ſit hæc electio! ah quanta conſolatio pro nobis, ſi verò mala? qualis miſeria! quis enim explicet, quantā turbationē, quas agitationes, & afflictiones ſentiat ille, qui alias & ſtatui quē elegit, omninò oppoſitas, in ſe ipſo deinde advertit inclinationes! ſum̃i igitur ac maximi momenti negotiū eſt, omni poſſibili modo laborare, ne quis in hac electione fallatur. Media autē iſta ſunt: 1mū oratio. Sed oratio fervida, quæ nobis detegat propriā infirmitatē, conſequenter indigentiā noſtrā, & à cœlo lumen accipiamus ad agnoſcendum,

dū, qualē nobis Deus statū præordinârit, in quo nos ambulare velit, ut ad eū perveniamus; & ideo sæpiùs cū Propheta exclamare oportet: *notam fac mihi viam, in qua ambulem; quia ad te levavi animam meam.* Ps. 142. 8. 2dū examinare vires & talenta nostra, cuinā statui congruant? quia alia religiosis, alia aliis Clericis conveniunt. Non omnes eadē talenta possident. *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes doctores?* ait Apostolus 1. Cor. 12. 29. Vis fieri sacerdos? examina teipsū pondera talenta tua; vide, qualē progressū in virtute feceris? utrum ralenta tua naturalia, & dona supernaturalia, quæ possides, huic statui, ad quē aspiras, congruant? *ante, juxta consilium Salvatoris, sedisse debueras*; ait S. Bernardus ad tales temerarios usurpatores sacerdotii, l. 2. de consi. c. 6. *æstimâsse opus; metiri vires; ponderâsse sapientiam; merita comparâsse; sumptus computâsse virtutum.* 3tiū petere consiliū à viris prudentibus, qui rerū istarū experientiā habent, quique discernere, & judicare possint, utrū vocatio tua à Deo veniat, nec ne. *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores sedent in excelso ad speculandum.* Eccles. 37. 18. Non potes Episcopū tuū consulere? fac saltē aliquanto tempore secessū aliquē spiritualē; elige tibi Directorē piū, prudentē,

proprii com̃odi minimè studiosũ; aperi illi fundũ cordis tui; sequere consiliũ illius, quin ab eo exigas, ut tibi secundùm inclinationes tuas privatas respondeat; quia taliter consiliũ ab alio petere idẽ est, ac exponere se periculo illi, de quo Propheta Ezech. 14. 10. ait; *juxta iniquitatem interrogantis, sic iniquitas Prophetæ erit.* En bona motiva, ex quibus cognoscere quis possit vocationẽ suã. Usúsne ex illis? sed supponamus, quòd reipsa vocatus sis ad hunc statũ; *nihilne ultra timendum est? timendum quidem & maxime*, ait S. Bernardus. Saul vocatus erat ad regnũ; Judas ad Apostolatũ; nihilominus scis finẽ hujus & illius? quid sequitur exinde?

PUNCTUM II. Oportet perseverare, & vitã vocatione sua dignã ducere; *ùt dignè ambuletis vocatione, quâ vocatis estis.* Ad hunc effectũ imò debes amare statũ tuũ, & illi inhærere, quin diabolũ tentantẽ audias, qui ægrè férens, quòd tã benè elegeris, libenter te ab ea avertere vellet per spiritũ quemdã inconstantiæ, & levitatis. O quot solitarios non fefellit, illis persuadendo, ut solitudinẽ suã desererent sub isto specioso prætextu, se alibi majorẽ fructũ allaturos! quot non seducit adhuc hodie Clericos, qui novitatis & mutationũ amatores vitã suã hinc inde discurrendo, transigunt,

quin

quin in aliquo loco maneant, vel cuidã ecclesiæ se alligent, ubi utiliter, & cũ fructu laborare possent, pro eo, quòd vita illorũ ita errans & vagabunda, aliò nos non perducit, nisi ad licentiã vitæ, dissipationem, & nescio, ad quos excessus; *sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum.* Prov. 27. 8. 2dò oportet obligationibus statùs sui fideliter satisfacere. *Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est*, ajebat S. Gregorius, hom. 12. in evang. *sed tamen in messe Domini rarus invenitur operator; quia ministerium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.* Idẽ sentiendũ, de vocatione ad sacerdotiũ, quod de vocatione ad christianismũ. Tã in uno, quàm altero ex his statibus multi dantur vocati, sed pauci electi, eò quòd pauci sint, qui benè utantur gratiis à Deo collatis, & talem, tantumque fructũ afferant, qualis ab ipsis exspectatur. Quid juvat accepisse ministeriũ Domini, dicebat S. Bernardus, benéque in illud intrâsse, si fideliter huic ministerio non satisfiat. Si vita non ducatùr sancta, & fœcunda bonorũ operum? *quid prodest, quòd canonicè eligantur quod est per ostium intrare, si non canonicè vivant?* ibid. S. Bernardus, 3tiò oportet in eo perseverare cũ fervore. Memor esto incessanter hujus magni momenti consilii, quod S. Carolus Bor-

romæus in quarto Concilio Mediolanensi Clericis suis dedit; *illud unusquisque ex Clericus repetat, se non ad inertiam atque ignaviam, sed ad spiritualis, & ecclesiasticæ malitiæ labores vocatum esse.* Parum tibi prodesset, si magno cũ fervore studium aggressus fuisses, si postea defatigatus desisteres; non debet exspectari præmiũ, nisi ad metã usque curratur; *frustra velociter currit, qui, priusquam ad metas perveniat, deficit.* ibid. S. Bernard. Interim pauci sunt, qui pari passu ambulent, & progrediantur in via Domini. Si initio velociter incedunt, non durant lõgo tempore; primus iste ardor brevi remittit, vel minimũ quid eos retardat, facitque mutare etiã optimas quas fecerunt resolutiones. Renova hodie illas! pro præparatione ad Missam dic intra teipsũ, dũ ad altare accessurus es. Quomodo præsentare, & sistere me audebo corã tribunali supremi judicis manibus vacuis, dũ interim boni & pii sacerdotes ibi comparebunt multis spoliis, quæ mundo & inferno abstulêre? nimirùm vecors, & negligens forẽ, si de eorũ labore participare nil vellẽ, qui tamen ejusdẽ gloriæ cũ ipsis particeps fieri cupio; *nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hìc sedebitis!* Num. 32. 6. verba hæc sunt Moysis ad quosdam Israëlitas, qui operã suã jungere noluêre fratribus suis in recupe-

cupe-

cuperanda terra promissa. Utere iisdē ad accendendū in teipso novū fervorē. O Domine! qui vocâsti nos ad statū ecclesiasticū; confirma nos semper magis ac magis in vocatione nostra; fac ut omnibus obligationibus nostris fideliter satisfaciamus; ut perseveremus in fervore peragendi functiones nostras, & laborandi ad mortē usque, ut sic per fidelē cooperationē certā faciamus vocationē nostrā, afferendo fructus statui & vocationi nostræ congruos. Quemadmodū ad hoc nos hortatur princeps & caput Apostolorū: *satagite, ut per bona opera certam vestram vocationē & electionē faciatis.* 2. Petr. 1. 10.

FERIA SECUNDA.

Cum omni humilitate, & mansuetudine, cum patientia supportantes invicem in charitate. Eph. 4. 2.

DE PATIENTIA.

1. In quo consistat hæc virtus. 2. Quales habere debeat qualitates.

PUNCTUM I. NOn sufficiebat S. Paulo, quòd Ephesios solummodo in generali fuerit exhortatus, ad ambulandū dignè vocatione sua, sed in particulari indicavit eis virtutes, in quibus exercere se deberent, inter quas ponit patientiā, quam hodie meditandā suscipimus, cùm de aliis jā alibi tractaverimus. Adoremus

ante omnia ad initiū meditationis DEum patientiæ, virū dolorū, JEſum Chriſtū, in monte Calvariæ paſsū, tanta cum pace & gaudio, ut & cœlū & terrā in ſui admiratione raperet. Oremus, ut intelligere nos faciat virtutē iſtā, cujus nobis tam præclarū exemplū dedit; ſiquidē tanta in aliū ſinē non fuit paſſus, niſi ut doceret nos, qualis noſtra debeat eſſe patientia, ùt S. Auguſtinus ſerm. 9. de V. A. ait; *ſapientiâ ſuâ paſſus eſt, ut doceret patientiam noſtram.* Virtus iſta juxta hunc doctorē conſiſtit in eo, ut quis mala hujus vitæ bono animo ferat, ne bona illa æterna amittat, quæ in altera exſpectamus; *patientia hominis, quæ recta eſt & laudabilis, & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur; quâ æquo animo mala toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus per quæ ad meliora perveniamus.* lib. de patient. c. 2. Tom. 6. nov. edit. ille, qui verâ præditus eſt patientiâ, tā benè ſcit moderari triſtitiā & alias ſuas paſſiones, quæ naturaliter in nobis exſurgere ſolent ad primū aſſultū, ſeu eventū alicujus mali, ut, quācunque etiā in ſeipſo ſentiat commotionē, exinde tamē cor illius minimè turbatur; *non contriſtabit juſtum, quidquid ei acciderit.* Prov. 12. 21. Homo patiens conſervat pacē, in medio etiā maximorū malorū, ſive hæc ſint exteriora, ſive interna; ſive corpus affligant, ſive ani-

animũ; taliter se exterius gerere scit, ut nihil, neque in ulla ipsius actione advertere sit, quod indignationẽ, ægritudinẽ animi, vel quãcunque excessũ indicet, prout in Tobia patet; *non est contristatus contra DEum, quod plaga cæcitatis evenerit ei.* Tob. 2. 13. Qui omnẽ illũ amorẽ & æstimationẽ pro hac virtute, quã meretur, habet, quã S. Paulus 1. Cor. 13. 4. pro primario effectu charitatis agnoscit, *charitas patiens est*; & quã S. Jacobus consumationẽ seu perfectionẽ omniũ virtutũ appellat, *patientia opus perfectum habet;* Jac. 1. 4. talis, inquã, contentus haud est, ut afflictiones occurrentes absque querela ulla toleret, sed fert illas etiã cũ gaudio, prout primi christiani comparati erant, de quibus Apostolus Hebr. 10. 34. ait, *rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis; cognoscentes, vos habere meliorem, & manentem substantiam.* Si injuria aliqua, contemptus, maledicentia, obtrectatio, calumnia, damnũ honoris, jactura bonorũ toleranda, nequaquã commovetur, in hoc tempore adversitatis, imò potiùs è contrario; dispositionẽ divinæ providentiæ adoret, & magis, quàm unquã, in his circumstantiis fiduciã suã in Deo ponit, dicendo cũ Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est; sit nomen Domini benedictum.* En imaginem hominis

verè

verè patientis! éstne hæc imago tua? verùm quia facilè quis in hoc falli potest, & plures sibi imaginantur, patientiã se habere, quã tamen non habent,

PUNCTUM II. Considera: patientiã, ut vera sit, ad minus tres qualitates habere debere. 1mò. debet esse *universalis*, id est, debet tolerare *omnia*; morbos, paupertatẽ, injurias, calumnias, humiliationes, contradictiones, persecutiones, &c. vocatio seu status christiani est, pati; quẽadmodũ militis, pugnare; *in hoc positi sumus*. 1. Thessal. 3. 3. Oportet pati *ab omnibus*; à superioribus, ab æqualibus, ab inferioribus, à dominis, à domesticis, à vicinis ab extraneis. Non possum hoc pati à tali homine, ais; hæc exceptio nil valet; & tua patientia vera non est; oportet pati ab omnibus *A Deo*, qui purificare nos vult, probare, & coronare; ac gustandũ nobis dare calicẽ JEsu Christi Filii sui; & per adversitates ad cœlũ perducere; *per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Act. 14. 21. *A diabolo*, qui nos tot modis tentat, ut aliud non quærat, quàm perducere nos; cui incessanter resistere debemus, quin unquã animũ despondeamus. *Ab hominibus*, qui nos persequũtur; & denique *à nobismetipsis*, quia tolerare cũ omnibus debemus nostros proprios defectus, & infirmitates

tam

tam corporis, quàm animi; patientia ergo nostra debet esse universalis; *patientes estote ad omnes.* 1. Thessal. 5. 14. 2do debet esse *invincibilis*, & constans; *patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*, ait Apostolus Hebr. 10. 36. igitur nec per impatientiam unius momenti tantùm perdamus merita, quæ acquirere potuissemus per patientiam pluriũ añorũ; consideremus mala, quæ nobis iñinent, cũm tali constanti resolutione, ut mori potiùs eligamus, quàm ad illa evitãda tale quid facere, quod Deo displicere posset; *vincula & tribulationes Jerosolimis me manent*, dicebat S. Paulus Act. 20. 23. in medio quasi universalis diluvii omnium malorũ, quibus erat circumdatus, *sed nihil horum vereor; nec facio animam meam pretiosiorem, quàm me.* Ita loqui, ita agere oportet bonũ clericũ, quando se in afflictione aliqua positum videt. 3tiò debet patientia nostra esse *christiana*, id est, Deus debet esse finis illius. *Patientia comes est sapientiæ, non famula concupiscentiæ; amica est bonæ conscientiæ, non inimica innocentiæ*, ait S. Augustinus lib. de pat. c. 5. Oportet pati non ex genio, seu humore; non ex politia, aut ad turpiter complacendũ aliis; sed ex motivo fidei & religionis, quia Deus hoc vult, & obligatio nostra christiana hoc à nobis

exigit.

exigit. *Non omnes, qui patiuntur, participes ſunt patientiæ*, pergit S. Auguſtinus ibid. c. 6. *ſed qui paſſione rectè utuntur; hi patientiæ veritate laudantur; hi patientiæ munere coronantur.* Vide, utrum patientia tua omnes iſtas qualitates habeat, quas modò audiîſti; examina illas, quæ tibi deſunt; & pro præparatione ad Miſsā, pete illas à JEſu Chriſto, qui patientiā hanc tecū habet, ut te in altari toleret, quantūvis indignus ſis ad illud accedere. O ſi ad hoc te reflecteres; anne auderes impatientē te exhibere erga alios? ô JEſu, verus Doctor, & Magiſter patientiæ, doce nos, ac inſtrue, quomodo hanc pretiosā virtutē exercere debeamus; tu dediſti nobis exemplū illius, & vis inſuper ipſemet eſſe merces & compenſatio illius; fac ô divine Salvator, ut utrūque nos permoveat ad te imitandū; *utrumque es mihi, Domine JEſu, & ſpeculum patiendi, & præmium patientiæ, utrumque fortiter provocat, ac vehementer accendit.* S. Bern. ſerm. 47. in cant. n. 6.

FERIA TERTIA.

Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Epheſ. 4. 3.

De patientia clericis necessaria.

1. Quantopere nobis neceſſaria hæc virtus.
2. Motiva illam exercendi.

PUN-

PUNCTUM I. NIl magis probat necessitatē exercendi hanc virtutē patientiæ, quàm hæc magna solicitudo ab Apostolo nobis coñendata, conservandi pacē cū omnibus; *soliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis.* Instructio hæc sine dubio omnes concernit fideles, siquidē omnes obligati sunt pacificè vivendi cū proximo suo, sed specialiter concernit Clericos, sacerdotes, & pastores animarū, qui angeli pacis sunt, & depositarii illius, quā proinde ubique invehere, & conservari debent; *excellentes quippe in Ecclesia paci debent vigilare, intentione consulere,* ait S. Augustinus in Ps. 71 debent omnes supportare, & neminē offendere; consequēter magnā, ut sic dicā, sibi provisionem de patientia facere debent. Hinc est, quòd Christus JEsus mittens discipulos suos ad prædicandū Evangeliū in toto mundo iis dixerit: *mitto vos sicut oves in medio luporum.* Matth. 10. 16. Ex omnibus animalibus nullū patientius est ove; tales fuêre Apostoli; devorati fuêre, si ita loqui licet, ab hominibus; omnia ab ipsis tolerârunt, quin propterea iis irascentur; & hi ipsi lupi oves deinde facti fuêre. O *virtus mittentis oves in medio luporum;* exclamat S. Chrysostomus, Tom. 3. hom. de Pentec. *lupi facti sunt oves.* Quamdiu oves fuerimus, supre-

mus

mus pastor noster nos haud deseret;si verò lupi evadimus, auxiliū suū nobis subtrahit; per patientiā ōnia à Deo, & hominibus obtinebimus; duces victoriosi in militia terrena, de suis inimicis triumphant per stragē, quā iis inferunt, sed victores in militia Christi tales evadunt, si omnia ab inimicis suis illata patienter tolerent; *non victrice potentiâ*, ait S. Augustinus, hom. 4. de V. D. *sed potentiore patientia.* Bellū illatū fuit duodecim Apostolis; & totus mundus conspirabat contra illos; interim quibus bellū inferebatur, restabant victores, & qui illud inferebant, erant victi. Quomodo hoc fit, aut fieri potest? per ferreā patientiā horū mirabiliū prædicatorū, qui omnis generis hominibus omnē possibilem mansuetudinē & patientiā exhibebant; *omnem ostendentes mansuetudinem, ad omnes homines.* Tit. 3. 2. Agnoscite igitur ministri Domini! extremā necessitatē patientiæ, ut fructū aliquē afferatis in ministerio vestro pastores! patientia vobis necessaria est, ut nullā contentionē seu litē cū vestris parochianis habeatis; tali etiam indigetis apud ægrotos, & in administratione Sacramentorum, hâc opus habetis in catedra, & in confessionali, quia nunquā defatigari debetis in instruendis ignorantibus, in corrigendis sceleribus & vitiis; hanc exercere de-

betis

betis in tentationibus intus & foris, tũ in iis, quæ vobis â perversis hominibus accidunt, qui fortè atroces contra vos calumnias suscitabunt, prout S. Athanasio contigit, quē in pleno concilio accusârunt, quòd Episcopũ quemdã occiderit, eique brachiũ absciderit, & mulierē quamdã violaverit, quàm in iis, quæ vobis à vestris confratribus contingent, qui, pro eo, ut vobiscũ laborent in procurando bono, fortè idipsum impedire conabuntur, quod jam invenistis. Denique patientiâ vobis opus est, & quidē prorsus absoluta & perfecta, ad vincendam obstinationē peccatorũ, & ad reducendos illos à suis excessibus, & ad illos Christo JEsu lucrandos. In ejusmodi enim occasionibus oportet exercere illud ipsũ, quod S. Paulus ad discipulũ suum scripsit: *prædica verbum, insta opportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia. & doctrina.* 2, Tim. 4. 2. Habesne hanc patientiã? quia autē fortè eã acquirere optas, & desideras.

PUNCTUM II. Attende ad hæc motiva, quæ adjuvante Dei gratiâ salutarē tibi patientiã persuadere, & à te evincere poterunt. 1mò considera, quòd principaliter populũ tuũ per patientiã ædificare, & sanctitatē ministerii, seu statûs tui, conservare debeas; *nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum*, ait S.

Paulus 2. Cor. 6. *ſed in omnibus exhibeamus nosmetipſos, ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in vigiliis, in jejuniis &c. per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* En! quò pervenire debeat patientia tua! 2dò conſidera impatientiã tuã ad nil aliud tibi prodeſſe, & ſervire poſſe, quàm ut malũ augeat, & magìs exaſperet; *omne peccatum,* ait Tertullianus l. de patientia, *impatientiæ adſcribendum; malum, impatientia boni.* Voluntas Dei eſt, ut aliquid pro gloria ipſius patiaris, & ſalute animarũ; huic voluntati libenter ſubmittere debes. *Laboro uſque ad vincula, quaſi malè operans,* dicebat S. Paulus, 2. Tim. 2. 9. *ſed verbum Dei non eſt alligatum; ideo omnia ſuſtineo propter electos; ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto JEſu cum gloria cæleſti.* Loquens ad presbyteros Epheſinos Mileti congregatos, ajebat; quòd ſervierit Domino. *cum omni humilitate, & lacrymis.* Act. 20. 19. Teſtatur, ſe tribus integris añis die ac nocte non ceſſâſſe à lacrymis, monendo unũquẽque ex ipſis &c. Bone Deus! qualis patientia? quid non facere oportet paſtores, audito, & præ oculis habito hoc exemplo? deberent nẽpe parochianos ſuos, & peccatores non ſolùm tribus añis, ſed per totã

vitã

vitā suā monere; prædicando, orando, continuo ingemiscendo, quousque eos à profundissimo suo lethargo excitarent, ac induratū illorū cor emollirent. 3tiò denique conjice oculos tuos in JEsum Christū authorē salutis tuæ. En specimē quoddā patientiæ ipsius prorsus extraordinariæ! S. Lucas c. 19. 41. ait de ipso: *ut appropinquavit videns civitatem, flevit super illam dicens: quia si cognovisses & tu, & quidem in in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.* S. Matthæus adhuc magis se explicat, & cap. 23. 37. ait, Christū JEsū locutū fuisse: *Jerusalem, Jerusalem! quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas? & noluisti.* O quàm affectuosa & tenera est hæc similitudo! quàm potens & efficax ad persuadendā nobis patientiā! prout reipsa etiā hâc usus fuit S. Augustinus serm. 105. de V. E. n. 11. nov. edit. & sibi eā applicavit; *videte gallinam hispidam plumis, dimissis alis voce fracta, & quassa, & lassa, & languida congruere parvulis suis.* Mirare patientiā hujus matris, volant pulli supra dorsū illius; capiti illius insident, seipsos quandoque alis suis percutiunt; vocat omnes nihilominus sub alas suas, voce fracta & flebili, o-

mnē sibi ipsi vim infert, ut locū habeant sub alis suis; recipit omnes; extendit super omnes suas alas, ne calore frustrentur, quo opus habent. En imaginē & formā boni sacerdotis, & pastoris, ac veri discipuli JEsu Christi! nunquā irritatur contra peccatores! semper habet brachia aperta ad eos recipiendos; portat illos in corde suo, non obstantibus omnibus malis, vel persecutionibus, quas propterea ab illis fortè tolerare debet; quia scit, hoc ipsū esse, quod Deus ab eo exigit. *Tolera; ad hoc enim natus es; tolera, quia fortè toleratus es.* S. Aug. serm. 47. de ovibus in Ezech. 34. O JEsu, qui nos omnes in S. altari congregas sub alas infinitæ misericordæ tuæ, ut nos pascas, & nutrias sanctissimo corpore tuo, tuúmque nobis Spiritū comunices, fac nos tā patientes, prout nos esse oportet; quia nullus est, ô Domine, qui nobis hanc gratiā largiri possit, nisi tu; *quoniam tu es patientia mea Domine, spes mea à juventute mea.* Ps. 70. 5.

FERIA QUARTA.

Unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una fides, unum baptisma Eph. 4. 5.

De Ecclesia.

1. Quàm illi obligati simus. 2. Quàm gratos nos illi exhibere debeamus.

PUN-

PUNCTUM I. SUbministrat nobis S. Paulus plura motiva perfectæ unionis, quæ inter nos regnare debet; ait, nos esse membra unius, ejusdémque corporis, cujus Christus caput est; nos omnes animari, instrui, & illuminari ab eodē S. Spiritu, quē Deus super nos effudit; vivere nos in & cū eadē spe vitæ æternæ; esse nos filios, & servos ejusdē Dei; eandē nos profiteri fidē, & religionē; denique unū, eundémque nos recepisse baptismū, qui nobis est instar sinûs cujusdā materni; siquidē per baptismum omnes renascimur in Christo JEsu. Potuissetne Deus pluribus nos invicē vinculis colligare? Verùm; quia nonnisi in Ecclesia catholica hæ prærogativæ & privilegia reperiuntur; meditentur, & expendamus hodie diffusius, quàm simus obligati huic ecclesiæ? imò dicere possumus, nos eidē debere Dominū nostrū J. C. quia per ministeriū illius totidē quasi *Christi* sumus. Dicit sancta hæc mater ad quēlibet nostrûm, quòd Apostolus Galatis cap. 4. 19. dicebat; *filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Quasi dicat; etsi jā per baptismū filii mei facti sitis, sentio nihilominus novos dolores partûs, quousque Christus JEsus plenariè & integrè in vobis formetur. Qualis obligatio, quòd hac ratione debeamus Ec-

clesiæ Christũ JEsũ! debemus illi sanctissimã Virginẽ Mariã, quæ est primaria Ecclesiæ filia, utpote humillima, quámque nobis filiis suis in matrẽ nostrã dat Ecclesia. Primariũ & maximũ ex omnibus mysteriis contigit in sinu, seu virginali utero beatissimæ Virginis; sed hunc felicissimũ sinũ filiæ, qui est quasi sanctuariũ virginitatis, debemus sinui matris ecclesiæ, in quo nutrita, & virgo effecta fuit. Vocant illã SS.PP. gloriã ecclesiæ, quia de illa gloriari potest, utpote ad eã spectante; & si hoc primariũ membrũ nos sua intercessione suffulcit, & conservat, bonũ hoc à corpore provenit, debemúsque beneficiũ hoc Christo JEsu & ecclesiæ. Ecclesia est, quæ nobis Apostolos dedit, qui ut vicarii amoris Christi JEsu, & interpretes veritatis illius, postea effecti sunt sal terræ. De illius manu recipimus evangelistas, qui nobis quotidie panẽ vitæ subministrant, quô nutrimur; nec dubitat S. Augustinus dicere, se veritates suas haud crediturũ, nisi ab ecclesia eas audiisset. Ecclesia dedit nobis martyres. Ipsa enim eos tã sanctè educavit, ut docuerit eos mori, dũ eos benè vivere docuit. Illa est, quæ in sinũ suũ sanguinẽ illorũ collegit, ut esset semẽ im̃ortalitatis, & semẽ fidei, prout Tertullianus apolog. advers. gent. loquitur: *sanguis martyrum, semen christianorum.*

Ab

Ab ecclesia habemus sanctos Ecclesiæ Patres, ac Doctores. In hoc nimirùm firmamento hæc lucidissima astra micant, quæ nos illuminant, & hodiedũ adhuc dividunt lucẽ à tenebris. Ipsa est, quæ hunc pretiosũ thesaurũ veritatis, quã nos docuerunt, custodit, prout illũ nominat S. Irenæus advers. hæres. l. 3. *depositorium dives veritatis*. Ecclesia est, quæ nobis tantũ numerũ anachoretarũ, sanctorũ sacerdotũ, sanctorũ religiosorũ, & virginũ dedit, qui supra mundũ, tanquã supra theatrũ aliquod se elevãdo, ut exinde fallacias mundi contemplarentur, ùt S. Macarius hom. 5. ait, nos exemplo suo pariter ab his fraudibus liberârunt, factique sunt protectores populi Dei, qui continuò manus suas in cœlo ad Deum levant pro nobis. In campo hoc ecclesiæ invenimus admirabiles pastores illos, qui oves perditas reducunt, & sine cessatione allaborant per ministeriũ verbi divini, & administrationẽ Sacramentorũ, reconciliare nos cũ Deo; qui non contenti, infundere in plagas nostras vinũ & oleũ, etiã *lacrymas sanatrices*, ùt S. Ambrosius loquitur, superaddunt; qui denique nostrã salutẽ operantur. Dicamus omnia unô verbô: omnia nostra sunt, si veri filii Dei sumus, & ecclesiæ suæ; ait enim Paulus 1. Cor. 3. 22. *omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo*,

ſive Cephas, ſive mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia ſive futura. Omnia enim veſtra ſunt; vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. O Domine! æternùm ſis benedictus, quòd nos ad eccleſiā tuā vocaveris; *ô Domine, quia ego ſervus tuus, ego ſervus tuus, & filius ancillæ tuæ.* Pſ. 115. 6. Verùm quia illi tot titulis obſtricti, & obligati ſumus,

PUNCTUM II. Videamus, quid nos facere poſſimus, ut debitā ei gratitudinem exhibeamus. 1mū eſt, ut illam amemus, nóſque totos illius ſervitio mancipemus; *Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea.* Epheſ. 5. Vide, quid Chriſtus pro ea fecerit? noſtrûm eſt, qui gloriamur eſſe miniſtri illius, illū quoad hoc imitari. Amemus igitur eccleſiā, quia ùt S. Auguſtinus tract. 32. in Joan ait; *credamus fratres, quantùm quiſque amat eccleſiam Chriſti, tantùm habet Spiritum S.* Diligamus ſponsā regis regū; diligamus matrē noſtrā, quæ tanta ſolicitudine nos nutrit; cujus cibus, ac nutrimentū adeò nobis neceſſarium eſt, ut omne aliud lac, nōniſi venenosū, & mortiferū pro nobis ſit; hinc benè dixit S. Paulus Hebr. 13. 9. *doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Ut amor noſter otioſus non ſit, conſecremus illi labores, ſudores, defatigationes, & tribulationes noſtras; *non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.*

veritate. 1. Joan. 3. O quàm pauci sunt clerici, qui tali modo diligant; *non omnes sunt amici, quos hinc inde vides sponsæ assistere,* ait S. Bernardus serm. 26. in cant. Si tales essent, nonnisi de illa exornanda cogitarent, & ut illam per sanctitatem vitæ suæ, & morū suorū compositionē glorificarent, pro eo, quòd nonnisi eā denigrēt, & deturpent per scelera sua, & excessus suos; *fornicatur in ecclesiam, qui in ecclesia malè vivit,* ait alius quidā S. P. (Clemens Alex.) 2dū, quod facere debemus pro ecclesia, est, audire illā, eique perfecta submissione obedire. Quicunque hoc facere tenuit, tanquā ethnicus, & publicanus haberi debet juxta sententiam Christi JEsu Matth. 18. 17. & S. Petrus, Vicarius ipsius docet christianos oportere esse *filios obedientiæ.* 1. Petr. 14. Fides nostra non fundatur, neque in lumine puræ rationis, neque in judicio sensuū nostrorū, sed unicè in verbo Dei scripto, vel tradito, cujus ecclesia depositaria est, quòdque illa sola nobis authoritativè & infallibiliter comunicare potest. Submittamus itaque nos humiliter omnibus illius definitionibus; credamus, quod credit ipsa; damenmus, quod damnat; nil aliud doceamus, aut prædicemus, nisi quod ipsa docet & prædicat; *quia in ventre ecclesiæ residet veritas*, ait S. Augustinus

In Pſ. 7. 3tiũ denique eſt, quod orare debeamus pro omnibus neceſſitatibus eccleſiæ. Non ceſſat hæc ſancta Mater orare pro nobis; igitur neque nos ceſſemus orare pro illa; memores ſimus, quòd militans eccleſia ſit, quãdiu ſuper terrã eſt, & quòd multa illi patienda inſtent. Ah! ſi vel parùm oculis fidei conſideraremus mala, quæ illã affligunt; turpitudinẽ peccatorũ noſtrorũ, quæ illã deformant; tot chriſtianorũ exceſſus; tot ſcandala indignorũ miniſtrorũ, à quibus inhonoratur, dũ eidẽ ſervire deberent; tot altercationes Doctorũ, qui charitatẽ illius deſtruunt, & diviſionẽ introducunt, & ſchiſmata nutriunt; tot malos caſiſtas, qui nonniſi fucatã quamdã theologiã habent, ut expreſſione S. Gregorii Nazianzeni orat. 21. fol. 380. utar, *fucata tractandæ theologiæ ratio.* Qui potiùs cupiditati humanæ blandiuntur, quàm ut illis ſecuras pro ſalute ſua regulas, & doctrinas ſubminiſtrent. Si conſideremus cœcitatem tot peccatorũ, qui neque eccleſiã audire, nec ſe convertere volunt; odiũ implacabile, quod hæretici erga illã gerunt in animo, qui vellent, ſi id in eorũ poteſtate foret, eã deſtruere, & per errores ſuos, ac impietatẽ ſuã ſubvertere, furorẽ gentiliũ, qui eam armata manu invadunt; ſi, inquã, hæc omnia nobiſcũ expenderemus, & nobis mala

ista

ista ob oculos poneremus, quorũ causa peccata nostra sunt, nunquã sanè à gemitu, & ab oratione, pro illa cessaremus. Pro præparatione ad Missam, meliorẽ haud facere possis, quàm ut idipsũ actu præstes, quod primùm meditatus fuisti. Roga divinũ ecclesiæ sponsũ, ut ad hoc gratiã suã tibi concedat; *ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna, & firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. 15.

FERIA QUINTA.

Unus Deus, & Pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Ephes. 4. 6.

De perfectionibus Dei.

1. Idea, quam de iis formare possimus.
2. Quales illæ sint, de quibus S. Paulus hic loquitur.

PUNCTUM I. Continent hæc ultima verba epistolæ breve elogiũ perfectionũ Dei; ex quo discimus nos capaces haud esse, plura de iis dicendi, materia hæc talis est, ubi plus meditandũ, quàm loquendũ. Adeò magnus est Dominus Deus noster, ut totũ ac optimũ, quod à nobis circá hoc fieri possit, in profundo potiùs silentio, ac admiratione de illius magnitudine consistat. *Tibi silentium laus.* Ps. 47. 1. Non habet intellectus humanus alas tã fortes, quibus ad hoc supremũ Esse evolare posset; imò quò plùs conatur

natur illi appropinquare, eò altiùs elevatur hoc adorandũ objectũ, & ab eo elongatur, in pœnam talis temeritatis. Igitur cũ psalmista Ps. 138. 6. dicamus; *mirabiis facta est scientia tua ex me; confortata est, & non potero ad eam.* Agnoscamus humiliter impotentiam nostrã; immergamus nos ipsos in abyssũ nihili nostri, in comparatione & conspectu infinitarũ perfectionũ divinarũ. Credamus illas. Adoremus illas. Meditemur illas sine cessatione; verùm, quando de iis loquendũ, ùt in catechesi fieri debet, dũ populus instruendus est, sufficiat nobis dicere, & sæpiùs repetere hoc ipsũ, quòd sint omninò incomprehensibiles; *magnus Dominus & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Ps. 144. 3. Vel si aliquid addere volumus, ut populus aliquam ideã de iis sibi formare possit, explicemus illi sapientissimi Cajetani pulcherrima verba ista, comment. in 1. p. D. Thom. Scire cupitis, quam magnus & perfectus sit Deus? respondeo, quòd sit *infinitis modis, infinities infinitus, in perfectionibus infinitis,* id est, Deus non habet solùm infinitas perfectiones; & hæ non solùm sunt infinitè excellentes, sed quælibet ex his perfectionibus infinitis continet in seipsa infinitũ numerũ magnitudinũ, excellentiarũ, & mirabiliũ. En! quid beati in cœlo contem-

plentur

plentur cũ admiratione semper nova, *in quem desiderant angeli prospicere.* 1. Petr. 1. 12. En! quid etiã nostrũ grande objectũ beatitudinis, & felicitatis æternæ futurũ sit, si Deo fideliter hìc in terris servierimus. O quantã impressionẽ in animo nostro facere nobis hoc debet! *videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem.* 1. Cor. 13. 12. Quia autẽ ex scriptura haurire debemus ideã, quã de Deo nobis formare possimus;

PUNCTUM II. Videamus, quid nos hic Apostolus doceat? *unus Deus.* Non est nisi unus Deus. Hæc unitas demonstrat nobis, magnitudinẽ & excellentiã illius omni alteri esse incom̃unicabilẽ; illũ solum quẽ nos ex toto corde amare; solũ, in quo fiduciã nostrã ponere; solũ, quẽ adorare; solũ, ad quẽ omnia nostra, & res omnes referre debeamus, cùm sit primũ principiũ nostrũ, & noster finis ultimus. *Pater omnium.* Pater est, & creator omniũ rerũ; cœli, & terræ; angelorũ, hominũ, quæ videmus; creavit ex nihilo omnes creaturas; conservat illas per suã providentiã, & regit tantâ sapientiâ, qualẽ miratus est propheta regius, & quã cũ ipso etiã nos admirari debemus; *quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapientia fecisti; impleta est terra possessione tua. Qui est super omnes,*

& per

& per omnia, & in omnibus nobis. Pſ. 103. 24. Theodoret. ibid. Deus eſt ſuper omnia per ſuā ſupremā potentiam; eſt ubique & per omnia, per extenſionē providentiæ ſuæ; eſt in omnibus nobis per ſuā charitatē & gratiā. Eſt ſuper omnia, per ſuā independentiam. Et ubique per ſuam immenſitatē; eſt in nobis per ſuā præſentiā & illuminationē. Sol eſt, qui nunquam eclipſatur. Nondū ſatis hoc eſt, poſſumus nos ſubtrahere lumini, ſeu radiis ſolis, ſi nos abſcondamus in profundo terræ; ſed mediū nullū adeſt, ut nos divino huic lumini ſubtrahere valeamus; penetrat omnia corpora; omnes ſpiritus; hinc dicebat David, Pſ. 137. *quò ibo à Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? ſi aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades*; laudemus, benedicamus, glorificemus hunc magnū Deū, *qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.* Pro Miſſa, rogemus Dominū JEſū, qui in hunc mundū venit, ut formaret veros adoratores Patri ſuo æterno; & qui nos tales reddit, per infinitam miſericordiā ſuā; & quia in S. com̄unione Deū in nos recipimus, im̄ergamus, & perdamus nosmetipſos in hoc adorando oceano; ut meliùs inſtructi, & edocti, quàm ille ridiculus philoſophus, qui im̄enſitatem maris haud capere, & comprehendere valens ſe in illud præcipitavit; præcipite-

mus, nos ſanctiùs in Deum; ut nos abſorbeat tanta majeſtas, & tam im̃enſa. Et ut altius adhuc nos im̃ergamus, & tanto ponderi ſuccumbamus, reflectamus nos ſupra hanc differentiā, quæ invenitur in Deo, qui in ſe quieſcit; & in Deo noſtro, qui in medio noſtrûm quieſcit poſt S. com̃unionē; in Deo, qui tanto ſplendore & gloria in ſeipſo refulget; & in hoc ipſo Deo, qui ad fundũ uſque, ſeu ad ima miſeriarũ noſtrarũ deſcendit, ut novā nobiscũ ſocietatē, novũ com̃erciũ amoris ineat, & nos in ſua unitate conſumat. Sanè, quis dicat hoc aliquid eſſe proportionatum miſeris peccatoribus quales nos ſumus? & tamen hæc ipſa eſt gratia, quā à Chriſto JEſu in SS. Euchariſtia accipimus. *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis ſuper menſam meam, in regno meo.* Luc. 22. 19.

FERIA SEXTA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo; & in tota anima tua, & in tota mente tua; hoc eſt maximum & primum mandatum. Matth. 22. 37. De amore Dei.

1. Obligatio noſtra amandi Deum.
2. Modus, quo illum amare debemus.

PUNCTUM I. ADoremus Deũ, dantē homini maximũ & ſum̃ũ mandatũ, quod eſt, ut illũ diligamus.

mus. *Diliges Dominum Deum tuum.* Summum hoc Eſſe, in hoc totã ſuã felicitatẽ invenit, quòd ſeipsũ amet; & nihilominus etiã à creaturis ſuis amari vult. Angeli illũ diligunt; beati iſti ſpiritus, nonniſi amore illius ſunt occupati; Seraphini, qui proximè ad illũ accedunt, ardent præ amore Dei. *Ardent igne Deo.* Verùm hoc ipſi ſatis non eſt; oportet, ut & terra particeps hujus felicitatis ſit; vult, ut & nos ipsũ amemus; & hoc ipsũ non ſolùm nobis præcipit; ſed inſuper irã ſuã, & omnẽ miſeriã nobis comminatur, ſi illũ non diligamus. Ah! poſſétne eſſe major miſeria, quàm hæc, quòd te non àmemus? exclamat S. Auguſtinus L. 1. conf. c. 5. *quid mihi es? miſerere, ut loquar. Quid tibi ſum ipſe, ut amari te jubeas à me, & niſi iraſcaris mihi, & mineris ingentes miſerias? parvane eſt iſta miſeria, ſi non amem te?* rationes ſeu motiva, quæ nos ad Deũ amandũ obligant, continentur in hoc ipſo mandato. *Diliges Dominum.* Diligere debemus eum, quia noſter ſupremus Dominus eſt. Cultus, & homagium, quod illi à nobis debetur, amor noſter eſt; *quis cultus ejus, niſi amor ejus?* ait S. Auguſtinus, quia idẽ S. Doctor l. 12. de Trin. c. 14. aſſerit, nos aliter devotos, & pios eſſe non poſſe, niſi in quantũ Deum amamus; *pietas, cultus Dei eſt, nec colitur, niſi amando.*

do. Idē ep. 120. ad Honor. c. 8. Omnes agnoscimus, quòd Deus sit supremus Dominus omnium rerū; quòd dominiū quoddā supremū in & supra nos habeat; quòd absolutus Dominus sit corporū, & bonorū nostrorū; an non igitur æquum est & justū, quòd etiam Dominus sit cordis nostri? & tamen, quàm pauci christianorum, imò etiā clericorū sunt, qui cum veritate dicere possint, *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum?* utinam non invenirentur, qui integros años elabi sinunt, quin vel unum solū actū amoris eliciant. Qualis confusio? *nunquid obliviscitur virgo ornamenti sui*, ait Dominus Jerem. 2. 32. *aut sponsa fasciæ pectoralis sui? populus verò meus oblitus est mei diebus innumeris. Diliges Dominum Deum.* Amare illum debemus, quia Deus noster est; primū nostrū principiū, & ultimus finis noster; ab ipso ortum trahimus; ad ipsū denique redire debemus; *versa, & reversa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies.* Dicebat S. Augustinus, conf. l. 6. c. 16. ratio est, quia cor hominis non nisi pro Deo creatum est; ipse solus vera illius pax esse potest, gaudiū, & voluptas illius; extra illū nonnisi inquietudinē, & turbationē invenire potest; *quia fecisti nos ad te, Domine,* pergit hic S. Doctor; conf. l. 1. c. 1. *& in-*

quietum est cor nostrum, donec requiescat in te. Crede firmiter veritatē istā, nihil esse in toto mundo, quòd tibi satisfacere possit; Deū solū aptum esse, ut vacuitatem cordis tui impleat, ipsúmque esse centrū illud, quò omnes affectus tui, & desideria tua collimare debeant, prout illū quidā è patribus ecclesiæ (Dion. de div. nom. 42.) nominat; *centrum totius amoris. Diliges Dominum Deum tuum.* Eiligere eum debemus, quia omninò voluit totus esse noster, consequenter justū est, ut & nos velimus esse ipsius; *dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. 16. Omnia adhibuit media, ut corda nostra lucraretur; non contentus, quòd creator noster sit, voluit insuper esse redemptor noster; non contentus, formâsse nos propriis manibus suis, nos insuper è manibus diaboli eripuit. O quis dicere & exprimere valeat Dei in & erga nos amorē; *sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Joan. 3. 16. Expende tecū benè hæc omnia verba; habuit Pater æternus non nisi unicū Filium; & hunc nobis dedit; sic nempe dilexit nos; *sic.* Non rex, non princeps terræ, sic nos amavit. sed Deus; *sic Deus.* Dilexit nos ùtùt indignos tali amore gratuito, & prævenienté; dilexit nos, dū adhuc inimici sui eramus, amore prorsus generoso, & magnificco;

fico; *sic Deus dilexit.* Adeò nos dilexit, ut non solùm vitā, & omnia bona, quibus gaudemus, nobis donaverit, sed insuper, Filiū suū, unicū objectum complacentiæ suæ; *ut Filium suum unigenitum daret.* Et hic ipse adorandus Filius quomodo nos pariter dilexit? dic nobis hoc ipsū, ô beatissima Virgo, quæ eū in sinu tuo portâsti; dicat hoc nobis stabulū Bethlehemiticū, in quo natus; dicat crux pretiosa, in qua mortuus fuit. Ah! si in una bilance poneretur amor omniū Cherubinorū, Seraphinorū, omniū Apostolorū, Martyrū, beatorūque omniū; si Deus de novo milliones Angelorū & hominū crearet; omnes isti amores, simul uniti, nequaquam æquare possent amorē illū, quē Filius Dei erga nos habuit. Quid exinde sequitur? hoc, quòd, quia ipse totus esse voluit noster per suam misericordiā. nos quoque toti ipsius esse debeamus per gratitudinem; *nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* 1. Joan. 4. 19. Utere rationibus istis & motivis, ut teipsū ad amorē De excites, aliósque ad idipsū promoveas. Verùm, quia pauci sunt, qui non credant, se Deum diligere;

PUNCTUM II. Videamus nunc modū, quomodo illū diligere debeamus, quod non tā facilè capi potest, quia, ùt S. Ber-

nardus Tract. de dil. Dei c. 1. ait, *modus diligendi Deum est, diligere sine modo.* Interim, ut verbis hujus ipsius præcepti insistamus, & inhæreamus; dico 1mò nos eũ diligere debere *ex toto corde.* Id est, quòd omnẽ affectũ nostrũ illi dare, & conservare, & consecrare debeamus; quòd permissũ nobis non sit, dividere cor nostrũ inter Deũ & creaturas; quia, dũ totus amor noster Deo soli debetur, hoc omne illi detrahimus, & furamur, quod creaturæ impendimus, prout S. Augustinus conf. 10. c. 29. ait, *minus te amat, qui aliud præter te amat, quod propter te non amat.* Quantumcunque nos ad se alliciant creaturæ, non possumus tamen illas amare, nisi in Deo, & propter Deũ; illi ergo seipsos decipiunt, & falluntur, qui putant, posse se cor suum dividere inter Deũ & mundũ; damnat scriptura divisionẽ adeò injustã, quæque etiã causa est interitûs tot christianorũ & clericorũ; *divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Osée 10. 2. 2dò debemus Deũ amare *in tota anima;* voluit Deus per hoc à nobis petere, ait S. Augustinus de doctr. Christ. l. 1. c.22. omnes actiones vitæ nostræ, dũ animã nostrã à nobis exegit, quæ est principium illorũ. *Nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, vel locum dare, ut alia re frui velit: sed quid*

quid

quid aliud diligendum venerit, illuc rapiatur, quò totus dilectionis impetus currit. 3tiò debemus diligere Deum *in tota mente;* id eſt, ipſe debet eſſe objectū cogitationū noſtrarū; debemus omnē de illo æſtimationē habere; illū omnibus aliis præferre! ſupra omnes alias res amare, plus, quàm parentes; quàm amicos; quám nosmetipſos, ita quidē, ut parati ſimus, potiùs omnia amittere, quàm illū offendere. O quàm rarus eſt amor iſte appretiativus! & quàm indigemus nos illa ipſa admonitione, quā Joſue olim Iſraëlitis cap. 23. 11. dedit; *hoc tantùm diligentiſſimè præcavete, ut diligatis Dominum Deum veſtrum.* Erubeſce omninò, & confundere, quòd tā parùm Deum amaveris; & pro præparatione ad Miſſam; hanc ad eū orationē cujusdā magni ſancti dirige; *ſuſcipe reſiduum annorum meorum.* O Domine! à te accepi favores, & miſerationes ineffabiles; agnoſco hoc, & gratias tibi propterea ago; dignare, quæſo, ſuſcipere hoc modicū añorū meorū, qui mihi adhuc reſtant, in reparationē añorū illorū, quibus te non amavi. Ita eſt, ô Domine, ego tibi offero, totū vitæ meæ reſiduū; ne reſpuas hoc donū; do tibi parū, fateor, quia fieri poteſt, ut pauci mihi dies vitæ ſuperſint, verùm confecro tibi totū hoc, quod in illis erit; *ſuſcipe reſiduum annorum meorum.*

tum. Fateor; quòd rubore & confusione plenus sim, dū tibi, non nisi miserabile hoc residuū vitæ meæ præsento, à qua florem & primitias mundus & voluptates illius abstulêre; sed spero, me reparaturū per pœnitentiā, quod per peccatū perdidi. Serò, ac tardè venio ad te: *sero te amavi, bonitas tam antiqua.* O pulchritudo semper antiqua, semper nova, quæ corda Angelorū, & Sanctorū ad te rapis; nimis tardè incipio te amare; volo autē per sanctitatē vitæ me supplere, quod brevitas dierū meorū mihi nō permittit adimplere; amabo te, ex toto corde meo, ex tota anima mea, & ex tota mente mea; amabo te super omnia; amabo absque ulla divisione, amabo constanter in hac vita, ut amare te valeā per totā æternitatē; *o amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris, charitas, Deus meus, accende me.* S. Aug. conf. l. 10. c. 29.

DIE SABBATHI.

Secundum autem simile est huic, diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Matth. 22. 39.

De amore proximi.

1. In quo sensu præceptum, de diligendo proximo, simile sit præcepto diligendi Deum.
2. Qualiter implendum sit.

PUNCTUM I. ADoremus Dominum nostrum J. C. qui, ut nos induceret ad diligendos fratres nostros, nobis

nobis ostendit magnitudinē, & excellentiā hujus nobis dati præcepti, dicendo, hoc secundum mandatū simile esse primo, hoc est, illi, quod Deus imposuit nobis, ut ipsū diligamus. *Secundum autem simile est huic.* O quàm pulchra comparatio, & similitudo ista! quàm benè nos docet obligationē nostrā, nos invicē diligendi? ut autē sensum hujus præcepti intelligamus, examinemus, in quo consistat præceptū de diligendo proximo, & in quo simile sit primo mandato? 1mò quia est effectus amoris Dei, quia qui diligit Deū, necessariù etiā proximū suum diligere debet; *per amorem Dei, amor proximi gignitur; & per amorem proximi amor Dei nutritur*, ait S. Gregorius, l. 2. mor. c. 11. non sunt duo præcepta, sed non nisi unum præceptū; quemadmodū solumodo una fides, una spes est, sic etiā charitas tantùm una est, quæ duo brachia habet; unô amplectitur Deū, nempe dextrô; sinistrô proximū. Deus taliter coordinavit hæc duo præcepta inter se, ait idē S. P., ut præceptū de diligendo Deo sit instar finis; de diligendo proximo, instar medii, quod nos ad hunc finē perducere debet; unū includit alterū; *duo annuli, sed una catena, duæ actiones, sed una virtus; duo opera, sed una charitas; duo apud Deum merita, sed unum sine altero inveniri impossibile est.* ibid. 2dò

ſimile eſt præceptũ,de diligendo proximo, præcepto amoris Dei in eo,quòd amor proximi ſignũ ſit, & probatio dilectionis Dei. Quia amor Dei multùm participat de natura objecti ſui, quod eſt inviſibile, facilè nosmetipſos fallere, & credere poſſemus, nos Deum diligere, dũ interim amore proprio pleni ſumus, ut ergo hac deceptione liberemur, impoſuit nobis Deus hoc ſecũdũ mandatũ; *diliges proximum tuum, ſicut te ipſum*, cujus adimpletio certa probatio & ſignũ eſt amoris noſtri erga Deũ; *qui enim non diligit fratrem ſuum, quem videt, quomodo Deum diligere poteſt?* 1. Joan. 4. ratiocinatio hæc S. Joannis clara eſt, & convincens. Quomodo e. g. blandiri ſibi poſſit aliquis Clericus, quòd Deũ amet, ſi nonniſi frigidus eſt, & indifferens erga fratres ſuos, & ſalutẽ ipſorũ. *Si frater eſt, & eum non diligis*, ait S. Auguſtinus, in epiſt. Joan. 4. *quomodo Deum diligis, cujus mandatum contemnis* 2dò præceptum amoris Dei includit omnẽ obligationẽ noſtrã erga Deũ, ſic etiã præceptũ amandi proximũ omnẽ obligationẽ noſtram erga proximũ,& ideo ſimile eſt illi etiã ex hoc capite; hinc ait S. Paulus, Rom. 13. 8 *qui* enim diligit proximũ, legẽ implevit; *nam, non adulterabis; non occides; non concupiſces, non furaberis &c. Et ſi quod eſt aliud mandatum,*

datum, in hoc verbo instauratur : diliges proximum tuum, sicut teipsum. Dilectio proximi malum non operatur ; plenitudo ergo legis est dilectio. Admirare hic extensionē, magnitudinē, excellentiā præcepti hujus; & solicitus esto, ut illud populo proponas, & explices; quia autē satìs haud est, sublimē de illo præcepto sibi formare ideā,

PUNCTUM II. Considera, quomodo debeat impleri? 1mò diligere debemus proximū, ùt nos ipsos. *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Omnis homo est proximus tuus; & ut ipse regula tibi es, quam in eo amando sequi debes; pondera benè verba ista; *sicut teipsum.* En! mensuram amoris, quē fratribus tuis debes; noli fallere teipsū; quia *in qua mensura mensi fueritis*, ait Christus Matth. 7. 2. *remetietur vobis.* Sequendo hanc regulā, debes proximum sicut teipsum tractare; tu non vis, ut proximus te contemnat, ut te offendat; igitur nec ipse etiā illū contemnas, aut offendas. Non vis, ut tibi injuriam inferat, ergo ignosce; vis, ut tibi benefaciat; ergo & illi benefac; *omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* ibid. v. 12. Facis hoc? ô quàm malè observatur hæc regula! 2dò oportet amare proximū, in Deo, & propter Deum; *proximus de charitate diligitur propter Deum*, ait

S. Thomas 2. 2. q. 23. ad 5. ſolus Deus eſt finis, quē nobis proponere debemus in amore proximi; hinc neque ob authoritatē illius, vel divitias vel ob alias prærogativas, vel com̃oda temporalia, eum amare debemus, ſed purè & ſimpliciter propter Deum. Non ex ſympathia, vel conformitate humorū, ſeu genii, diligendus eſt proximus, ſed gratia Dei, & fides nos movere debet ad hunc amorē, adeò, ut aliud non quæramus, nec intendamus, niſi gloriam Dei; *quisquis ergo rectè diligit proximum, hoc cum eo debet agere, ut etiam ipſe toto corde, totâ animâ, tota mente Deum diligat.* ait S. Auguſtinus de doctr. Chriſti. l. 1. c. 6. Amaſtine ità proximum tuum? verúmne eſt, Deum eſſe motivum, & finem affectionis tuæ, quam erga illum geris? an non illum amaſti ex proprio tuo intereſſe? vel ob fines omninò peccaminoſos? examina te deſuper 3tiò oportet diligere proximum, *non verbô, neque linguâ*, tantùm, *ſed opere & veritate.* 1. Joan. 3. 18. Debemus è corde noſtro non ſolùm omnem offenſionem, ab ore noſtro omnia verba aſpera & injurioſa eliminare, ſed inſuper eidem effectivè per opera noſtra demonſtrare, quòd amemus illum ſincerè; debemus defectus illius ſupportare; illum conſolari in afflictione; ſuccurrere in neceſſitatibus; eidem compati;
omne

omne auxilium præsertim, quæ salutem illius, & vitam æternam concernunt, præstare; siquidem hoc sum̃um illud bonum est, quod nos nobis metipsis præstare; & conferre valeamus, nec etiã magis illi prodesse possumus. *Quod ergo agis tecum; id agendum cum proximo est, hoc est, ut ipse perfecto amore diligat Deum. Non enim diligis, sicut teipsum, si non ad id bonum, ad quod tendis, adducere satagis*, ait S. Augustinus de mor. Eccles. cathol. c. 26. Vide nunc, quomodo hoc grande præceptũ adimpleas de amore proximi; non est aliud, quod nobis tantoperè com̃endaverit, & tã instanter Christus JEsus, nisi hoc; vocat suũ speciale præceptum; *hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem.* Joan. 15. 12. Voluit esse signum distinctivum discipulorum suorum à reliquis hominibus; *in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Quomodo autẽ hoc nos observamus? ah! si ô Domine, signum est discipulorum tuorum; quò ergo devenerunt christiani? imò etiã clerici, qui non nisi invidiam, zelum amarum, antipathiam, inimicitiam, contentiones contra fratres suos ostendunt? *multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Act. 4. 32. charitas illorum tam magna erat, ut in admirationem paganos

traxe-

traxerint, & ad fidem; *videte, inquiunt, ut invicem diligant, & pro alterutro mori sint parati.* Tertul. apolog. c. 39. Verùm nostris temporibus tantùm abest, ut convertantur, ut potiùs scandalizentur nostris litibus, & cōtētionibus; & charitas inter nos adeò refriguit, ut si hanc probationem inire velimus, vix ulla sit differentia, & disparitas inter gentiles & nos. Ah! *miserere nostri*! pro Missa roga Deum, ut charitatem istam in corde tuo accendere dignetur. Domine! tu vis, ut diligam proximum meum; me totum tibi resigno, ut hoc præceptum tuum magnum adimplere valeam; veniam à te peto, quòd toties contra illud deliquerim; doce me, ô Domine, diligere proximum meum tali modo, quem à me requiris, fac, ut te in ipso semper amem, & nil aliud in ipso, nisi te. Nolo imposterum creaturis inhærere. Nolo illis placere, vel ex puro humano respectu aliquid agere; sed tu, Domine Deus, solus occupa totum cor meum; tunc enim verè diligam proximum meum, prout oportet, siquidem illum amem in te, & te in illo. O JEsu! ita fiat! sit mihi hoc mandatum aliquod novum, quod deinceps nova quædam perfectione studeam observare; *mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem.* Joan. 13. 34.

DOMI-

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN.

Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis, in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto JEſu. 1. Cor. 1. 4,

De gratiarum actione.

1. Quàm familiaris eſſe debeat Clericis.
2. Qualiter exerceri debeat?

PUNCTUM I. OMnes fideles, maximè Clerici obligati ſunt ad exemplum S. Pauli, continuò gratias agere, non ſolùm ob beneficia, quæ quotidie in tanta abundantia ab eo accipiunt, ſed etiam pro iis, quæ proximo noſtro obveniunt; *gratias ago Deo meo ſemper pro vobis.* Nil familiarius, nil ordinarius Apoſtolo fuit, quàm hæc orationis ſpecies, adeò efficax, ad promerenda nova de cœlo beneficia. Gratiſſimum ſe exhibebat ob ea, quæ ipſe accepit, & quæ Deus per ſuum miniſterium aliis fidelibus conceſſit; continuam eorundem apud ſe memoriam retinebat; erat hæc gratiſſima ipſi occupatio; vita illius continuum quaſi eucharisticum, ſeu gratiarùm actorium ſacrificium erat. Inde ferè omnes ſuas epiſtolas incipit, & etiam finit, ut nimirùm nobis hanc ipſam praxin & exercitium inſpiret, prout notat S. Chryſoſtomus in hunc

locum;

locum; *& ideo in omni ferè epiſtola hoc proponit.* Quámne autem ſolicitudinem habemus nos, eum in hoc imitandi ? major Clericorum pars multò negligentiores ſunt in perſolvenda tali gratiarū actione authori omnium bonorum, quàm in ſolicitanda bonitate illius, pro accipiendis novis. Stude impoſterum exactior eſſe in hoc ſancto exercitio. Erat talis gratiarum actio frequentiſſima, in ore primorum chriſtianorum, & primorum eccleſiæ paſtorum quia pleni erant gratitudine erga Deum, & charitate erga fratres ſuos; hæc etiamnum apud nos foret frequens, ſi ſoliciti eſſemus, eradicandi è nobis vitium ingratitudinis, quod præ omnibus aliis vitiis maximè in nobis regnat. Recordamur quandoque beneficiorum quæ à Deo accepimus; illorum verò, quæ Deus proximo noſtro contulit, obliviſcimur. Diſcamus hic, gratos nos Deo exhibere pro iis, quæ nos, & proximi noſtri à Deo acceperunt; exemplū S. Pauli de hoc nos convincit; & fides, quā profitemur, docet nos hoc ipſum, dum oſtendit, nos nonniſi unum corpus conficere; conſequenter bonum fratrum noſtrorum etiam noſtrum eſſe bonum; ſiquidem quod unum membrum concernit, ad totum corpus ſpectat; Deo itaque pro omnibus gratiarum actionem debemus. Noſtrum eſt bo-

num;

num, si propterea gaudeamus; nam gaudium hoc participes nos facit bonorum istorum; nostrum est bonum, quin tale bonum proximi nostri nos ædificat, & confortat; impressio, quam de virtute proximi concipimus, dat nobis desiderium, illum imitandi, vel novā firmitatem, & constantiam in bono addit. Bonum illud e. g. quod S. Carolus operatus est, & effecit in Diœcesi Mediolanensi, fuit semper, & est etiamnum publicum aliquod bonum, pro bono totius ecclesiæ. Quàm multis Clericis, pastoribus, & Episcopis utilia fuêre, & profuêre egregia exempla virtutum, hujus sancti Archiepiscopi, qui eum quoad hoc imitati sunt? igitur obligatio nostra est, ut Deo gratias agamus pro bono, quod contulit proximo nostro, æquè pro eo, quod nos ipsi ab illo accepimus. Hæc obligatio tangit omnes christianos; specialiter autem Clericos, pastores & sacerdotes, qui pro salute animarum laborant; quia ordinariè per ipsorum ministerium comunicat Deus populo amorem virtutis, & exercitium bonorum operum; consequenter gratias agere debent infinitæ illius bonitati, quòd benedictionem suam effundere dignatus sit super curam, & labores ipsorum, dicendo cum Apostolo; *ideo & nos gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam cùm acce-*

pissetis

pissetis à nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ùt verbum hominum, sed (sicut est verè) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidistis. 1. Thessal. 2. 13. En obligationem nostram! videamus nunc, quomodo eidem satisfacere debeamus.

PUNCTUM II. Debet nostra gratiarū actio, ut Deo placeat, esse imo affectuosa, id est, debet procedere ex corde, amore, & gratitudine erga Deum pleno, id quod S. Paulus nobis indicat, quando ait: gratias ago *Deo meo*; putares, Deum nonnisi Pauli Deum esse; si videas illum orare pro Corinthiis, putares eum solumodo pro Corinthiis, seu totum Corinthiorum esse; adeò absorptus est à gratiis illis, quas acceperunt illi, & quas ipsemet accepit; adeò gratitudine plenus est erga Deum pro ipsis, & pro se. Quod nos docet, debere nos taliter unitos esse Deo, quando illi preces nostras, in gratiarum actionem, tum pro populo offerimus, ut illum nobis ipsis aliqua ratione, quasi appropriare possimus, ejusdem nempe cum ipso spiritûs, ut sic digniores simus exaudiri ab eo, & ut nostra gratiarum actio ìmpetratoria sit, novorum favorum & gratiarum pro nobis, & pro aliis. Fecit Apostolus per ardentissimum suum zelum charitatis DEum sibi quasi proprium, qui cōmunis est omnium,

ùt

ùt S. Chrysostomus ait ibid. *ex magna affectione facit proprium.* Utitur modo loquendi prophetarum, qui sæpè ajunt; *Deus, Deus meus.* Imitemur hanc ipsius charitatem, si linguâ amoris, seu charitatis uti, & loqui volumus; *omnium quidem Deus est*, ait S. Augustinus, in Ps. 53. *sed eorum propriè Deus dicitur, qui eum diligunt, qui eum tenent, qui illum possident, qui illum colunt.* 2dò debet nostra gratiarum actio esse continua. *Gratias ago Deo meo semper pro vobis.* S. Paulus non interrumpit suam gratiarum actionem; vita ipsius quasi continuum quoddam canticũ est; sine cessatione manus suas ad cœlum levatas habet, ut DEum laudet, & benedicat ob gratias illas quibus fideles Corinthios afficere dignatus est. Quia cor illius charitate ardebat, hinc continuò scintillas foras emisit. Ut hoc nobis persuadeamus, alio haud opus est, quâm ut quis audiat, quomodo ad Thessalonicenses loquatur; *gratias agimus semper pro omnibus vobis, memoriam vestri facientes, in orationibus nostris, sine intermissione, memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri JEsu Christi, ante Deum & Patrem nostrum. Scientes fratres dilecti à Deo electionem vestram; quia evangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed in*

virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa. Miniſtri Domini! en exemplar ad imitandum! una ex principalibus obligationibus eorum, qui pro ſalute animarum laborant, eſt, ut divinæ bonitati gratias agant pro gratiis, quas iis confert, qui eorum curæ ſubſunt. Si Angeli in cœlo gaudent ſuper converſione peccatoris alicujus, & diem feſtum agunt, quamvis non ſint membrum illius, quemadmodum nos invicem membra ſumus, quale gaudium eſſe debet, & jubilus cordis in ſacerdote, ſi fructum videat, quem per gratiam Dei in animabus attulit, quibus evangelium prædicavit, & quas Chriſto parturivit? hæc erat maxima Apoſtolorum conſolatio; *majorem non habeo gratiam, quàm ut audiam filios meos in veritate ambulare*, dicebat S. Joannes 3. Ep. 1. 4. Hoc ipſū deberet eſſe objectū, & cauſa gaudii noſtri, & orationis continuæ loco taliū gaudiorū ſæculariū & profanorū, quæ cor noſtrū evacuant, ac Spiritum Dei ei auferunt, nósque quaſi inſēſibiles reddūt erga [illegible]na & mala, quæ eccleſiæ contingunt. [illegible]iò debet noſtra gratiarum actio fieri in nomine JEſu Chriſti; in hoc nomine ſemper gratias agit Apoſtolus; *gratias ago Deo meo ſemper pro vobis in gratia Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto JEſu.* Gratiæ nobis datæ, & donatæ ſunt, [illegible]er JEſum, & in JEſu; quia Chri-

stus JEsus illorum est dispensator; nec aliter obtinentur, nisi per ipsum ; *per JEsum.* Et quia omnes gratiæ datæ fuerunt Christo JEsu , tanquam unico objecto complacentiæ Patris sui divini, quorum participes aliter fieri homines non possunt, nisi in quantum inveniantur in Christo, & membra sunt corporis illius, *in JEsu.* Etiam illi ipsi, qui extra corpus Christi gratias aliquas obtinent, accipiunt eas non in aliū finem, quàm ut intrent in hoc corpus; aliter illis non obveniunt,nisi quia Deus hanc gratiam concessit corpori vivo Christi JEsu, ut vivificare etiam possit membra mortua. Igitur origo & fons gratiæ semper est in Christo JEsu; & ex illo effundit in corpus, quod illi unitum est;deinde etiam in membra ab hoc corpore separata, ut eidem reuniantur. Ideò per ipsum, & in unione illius gratias agere debemus Deo; *gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri JEsu Christi, Deo, & Patri.* Eph. 5. 20. Pro præparatione ad Missam ; id ipsum in praxin de[illegible]cere & exercere stude, quod nunc meditatus es; *per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo , id est fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Hebr. 13. 15.

FERIA SECUNDA.

Quod in omnibus divites facti estis in illo, in

omni verbo , & in omni ſcientia. 1. Cor. 1. 5.

De studio.

1. Obligatio Clericorum quoad ſtudia.
2. Modus ſtudendi.

PUNCTUM I. QUando audimus Apoſtolum ſingulariter gratias Deo agere, quòd Corinthii divites facti fuerint in omni eo, quod donū verbi & ſcientiæ appellamus, reflexio, quā deſuper facere debemus, eſt iſta, ut intelligamus, & capiamus indigentiam noſtrā, quam habemus, horum excellentium donorum, quæ Deus eccleſiæ Corinthi contulit; nam qua ratione ſatisfaciamus obligationibus miniſterii noſtri, ſi neque donū verbi, neque ſcientiæ donum poſſidemus? conſideratio hujus noſtræ indigentiæ ad hoc nos movere debet, ut inſtanter ad Deum recurramus; attendere autē debemus, ut ſimul etiam orationi noſtræ, ſtudium conjungamus ; & meminiſſe, S. Paulum, qui laudavit Corinthios ob talenta & ſcientiam, quàm perDei gratiam obtinuerunt, tamen etiam monuiſſe, & adhortatum fuiſſe Timotheum, diſcipulum ſuum, ut lectioni ſeu ſtudio incumberet: *dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* 1. Tim. 4. 13. Audiamus, & diſcamus monitum hoc datum diſcipulo, ait S. Chryſoſtomus, ut

ut non negligeret lectionem & meditationem S. scripturæ. Deditus erat S. Paulus huic studio plus quam cæteri, magnâ curâ statim doceri voluit, & instrui in lege Dei ad pedes Gamalielis; postea verò seipsum omni conatu applicavit huic lectioni. Fecit ergo primus & prior, quod aliis deinde consuluit; sic videmus, quod in scriptis suis, seu epistolis ubique citet prophetas, ut dictis suis fidem & authoritatem conciliaret. *Paulus lectioni intendit*, ait hic S.Pater in loc. cit. *ex qua emolumentum sciebat non minimum elici posse; nos contra negligimus.* Studiis non vacare, Deum tentare est; nonnisi studiis semper, & solùm vacare, est negligere ministerium suum. Vult Apostolus, ut discipulus suus se studiis applicet; vult autem insuper, ut etiam instructioni vacet per quod innuitur Clerico, non satìs esse, præcisè studiis incumbere; sed postquam aliqua didicit, & per lectionem scientiæ sanctorum sufficienter instructus est, hoc ipsum etiam communicare populo per instructiones, & conciones, doctrina & pietate plenas. Igitur certò persuasus sit tibi hæc obligatio tua, studiis incumbendi, possis Deo & ecclesiæ utiliter servire, & satisfacere obligationibus boni Clerici. Quot errores committuntur in statu nostro, quando quis

à studiis abhorret? hinc oritur ignorantia, & irreligio, seu indevotio in populo, & excessus in Clericis, præsertim ruri, ac in pagis; si studia non amant; amant societates & conventicula, excursiones; visitationes inutiles, conversationem cum sæcularibus, lusum, convivia, voluptates &c. Tandem deveniunt ad otium omninò peccaminosum, à quo in omnia scelera præcipites aguntur; *qui evitat discere, incidet in mala.* Prov. 17. 16. Cape igitur resolutionem hanc, quotidie certas horas studio assignandi. Quia verò haud sufficit, ut studeas;

PUNCTUM II. Audi, quomodo studere debeas. S. Bernardus explicans verba ista S. Pauli 1. Cor. 8. 2. *si quis se existimat scire aliquid, nondum cognovit, quemadmodum oporteat eum scire*, dat nobis suas regulas prorsus excellentes ad sanctè studendum. *Vides*, ait hic S. P. serm. 36. in cant. n. 3. *quoniam non probat multa scientem, si sciendi modum nescierit; vides, inquam, quomodo fructum, & utilitatem scientiæ in modo sciendi constituit*: sed quid intelligit per modum sciendi seu studendi? *quid? nisi ut scias quo ordine, quo fine quæque nosse oporteat?* explicemus paulò latiùs has regulas.

Quo ordine?

Debet servari ordo; initiũ faciendũ ab oratione, per quam veritas in cor introducatur; *si sapientiam invocaveris, scientiam Dei invenies*, Prov. 2. 5. & antè discendũ, quod saluti nostræ magis necessarium est; *ut id prius, quod maturius ad salutem.* S. Bern. ibi. Contra hanc regulam peccant, qui nullum ordinem in studiis suis servant; qui etiam subtilissimas, & intricatissimas Theologiæ quæstiones penetrare volunt, antequam vel prima elementa christianismi didicerint; qui se ingerunt ad docendũ seipsos cognoscere, & proprias passiones domare; illi denique, qui orationem negligunt, sine qua impossibile est, ut Clericus in bonum theologum evadat; *si es theologus, verè orabis, & si vere oraveris, theologus verè eris, dicebat S. Nilus discipulus S. Chrysostomi.* Nilus de orat.

Quo studio?

Oportet studere cum applicatione, sed majori longè fervore & ardore iis incumbere debemus, quæ vivaciùs nos ad amorem Dei movere possunt; *id ardentius, quod vehementius ad amorem* S. Bern, ibid. Contra hanc regulam peccant illi, qui inviti sine gustu, cum nausea, absque ulla attentione student; qui pro eo, ut lectioni S. scripturæ, SS. PP., ac talium librorum, qui

perfectioni, & sanctitati statûs sui convenirent, vacent, solummodò gustum suum inveniunt in libris profanis, inutilibus, imò quandòque etiam periculosis. *Ne desideres de cibis ejus, in quo est panis mendacii.* Prov 2. 3. 3.

Quo fine?

Debemus studere ex bono fine, pro gloria Dei; pro nostra, vel proximi ædificatione, ad cognoscendam, amandam, & defendendam veritatem, si talia intendamus per studia nostra, benedictionem divinam super studia nostra attrahemus. *Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum*, ait Deus per Prophetam Jerem. 7. 3. Contra hanc regulam peccant, qui student ex vana gloria; ut satisfaciant curiositati suæ; vel alio simili ex motivo, *sunt namque*, ait S. Bernardus, *qui scire volunt eo fine tantum, ut sciant; & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam vendant; v. g. pro pecunia, & honoribus; & turpis quæstus est.* Pergit ulterius S. Bernardus: *sed sunt quoque, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est. Et item, qui scire volunt, ut ædificent, & prudentia est; horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione sciẽtiæ; quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene*

bene faciant. S. Bern. ibid. Omnes Clerici obligantur esse ex horum ultimorum numero, quia obligati sunt, ut aedificent populum per suas instructiones, séque ipsos per studium divinae legis, ut eam in praxin deducant. *Reliqui omnes*, conclusio est S. Bernardi, *audiant, scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei.* Applica tibi consilium hoc S. Bernardi; & pro praeparatione ad Missam roga Dominum, ut illud cordi tuo insculpere dignetur. O Domine, qui nos per Apostolum tuum 1. Cor. 8. 1. mones, scientiam inflare, charitatem autem aedificare; fac, ut tam sanctè studeam, quò mihi scientia, quam acquirere possum, serviat ad tibi serviendum, & perfectiùs te amandum. *Sic lege sic disce, ut memineris verissimè dictum; scientia inflat; charitas aedificat. Sic itaque adhibeatur scientia, tanquam machina quaedam, per quam structura charitatis assurgat, quae maneat in aeternum, etiam cùm scientia destruetur, quae ad finem charitatis adhibita multùm est utilis; per se autem ipsa, sine tali fine, non modò superflua, sed etiam perniciosa, probata est.* S. August. Epist. 55. n. 39. nov. edit.

FERIA TERTIA.

Ita ùt nihil vobis desit in ulla gratia, ex-

spectantibus revelationem Domini nostri JEsu Christi. 1. Cor. 1. 17.

DE GLORIOSO ADVENTU CHRISTI JESU.

1. Debent Clerici sæpiùs de illo cogitare,
2. Et ad illum se præparare fideliter correspondendo gratiæ Dei, & satisfaciendo obligationibus suis.

PUNCTUM I. NOn prætendit S. Paulus per laudẽ hanc, quam Corinthiis dat, dicere, prout interpretes advertunt, quasi nulla illis scientia desit, siquidem ipsemet illos in multis etiam instruxit; Theodoret. & Menoch. vel quasi omninò perfecti essent, cùm de semetipso loquens dicat Paulus, Philip. 3. 12. *non quòd jam perfectus sim.* Status enim præsentis vitæ non permittit quietem, vel, ut quis sibi certam metam præscribat; sed vult Apostolus id confirmare, quod prius dixerat, nimirum Corinthios, quia evangelium receperunt, omni genere spiritualium bonorum repletos fuisse; & cùm Deus huic vineæ fecerit, quod potuit, eum exspectare nunc fructum ab ipsis; *exspectantibus revelationem Domini nostri JEsu Christi.* Instituamus meditationem nostram super hæc ultima verba; memores, Dominum JEsum hoc ipsum etiam à nobis exigere, ut in pari exspectatione vivamus; *& vos similes hominibus exspectantibus*

bus Dominum ſuum. Luc. 12. 36. Nutriebatur hac exſpectatione devotio primorum chriſtianorum; etiam noſtra exinde augmentum ſumat. Dum mundus eorum oculis ſtultas magnitudines, & excellentias ſuas obtrudere, ſicque eos excœcare volebat; abite, inquiebat, prout refert Tertullianus apologet, apage, gens cœca! gens amore ſæculi inebriata; *ſaginentur ejusmodi dulcibus convivæ ſui; noſtræ nuptiæ nondum ſunt.* Sic deberent loqui chriſtiani, præſertim verò, ac præ omnibus Clerici omnes. Non ſufficit, converſationem internam alicujus boni Clerici in cœlo eſſe, dicebat S. Philippus Nerius, etiam illius exterior converſatio de cœlo eſſe debet, ſacerdos, qui mundo mortuus eſſe debet, non debet mundanè & ſæculariter amplius loqui, ſed nonniſi de Deo & regno cœlorum; *loquens de regno Dei.* Act. 1. 3. Imo debet in mundum invehere linguam, quam non vult intelligere, illúmque docere tales veritates, quas nunquam didicit. *Linguam, quam non noverat, audivit.* Pſ. 80. Una ex ſanctioribus obligationibus noſtris eſt, ut nos ipſos invicem exhortemur ad ſuſpirandum. Deſiderium iſtud, prout notat S. Auguſtinus, Epiſt. 80. ad Heſich. eſſentiale eſt chriſtianiſmo, quia nemo chriſtianus eſſe poteſt,

test, nisi Christum JEsum amet: nemo amare potest Christum JEsum, si non doleat, quod minimè agnoscatur, quòd injurietur, persecutionem patiatur à peccatoribus, ab impiis, à libertinis; & quòd inimicus ipsius, id est diabolus, adhuc in majori parte hominum regnet. Jam verò status iste durabit, quamdiu mundus durabit; quamdiu Christus JEsus possessionem regni sui non fuerit adeptus; quamdiu diabolus dominabitur adhuc infinitæ multitudini hominum; quamdiu Christus JEsus non agnitus contemptus est, & persecutionem patietur. Non nisi dies adventus Domini perfectè liberabit totam ecclesiam, eamque perfectæ securitati, & quieti restituet. Mors quemlibet quidem fidelem in particulari in libertatem educit, sed hoc ipsis non sufficit; quia sunt tamen adhuc in periculo in persona fratrum suorum, quos omnibus artificiis & dolis mali inimici expositos relinquunt. Erit generale bellum usque in finem mundi inter JEsum Christum & diabolum; & quamdiu hoc bellum durabit, infinita multitudo christianorum peribit; finem igitur & cessationem belli hujus optare & desiderare debemus; quia verò finem non habebit, nisi in adventu glorioso Christi JEsu, qui omnes inimicos in inferno inclu-
det,

det, & electos suos perfectè liberabit, ut secum per totam æternitatem regnent, orare oportet incessanter, ut hoc regnum gloriosum adveniat; *diligendus ergo est, & exspectandus Domini adventus*, ait S. Augustinus. Facisne hoc? cogitasne de hoc frequenter? loquerísne de hoc adventu? ex tuo ordinario vivendi & agendi modo judicium desumi debet; *loquela tua te manifestum facit*; sed & si te etiam talibus occupares, hoc solùm haud sufficeret.

PUNCTUM II. Debes insuper dignū te reddere & præparare ad hunc Domini adventum per fidelem correspondentiam, seu bonum usum gratiarum, id, quod S. Paulus nobis insinuat ad finem hujus epistolæ, ubî testatur Corinthiis se sanctâ quâdam fiduciâ plenum esse, eos ad felicem finem perventuros; Deumqué daturum illis donum perseverantiæ, coronam omnium aliorum donorum, ut sine crimine perveniant ad hunc magnum diem adventûs Dominî nostri J. C. *qui & confirmabit vos usque in finem sine crimine, in die adventûs D. N. J. C.* Continetur in verbis istis, quod nos ex una parte consolari possit, dum cernimus sortem in manibus versari Patris cœlestis, qui nobis hucusque tot signa amoris sui in nos ab æterno dedit; sed ex altera parte con-

tremi-

tremiſcere debemus in conſideratione infirmitatis noſtræ, ſcientes, grande hoc donum perſeverantiæ effectum eſſe puræ miſericordiæ divinæ. Verum eſt, quod nunquam prior nos deſerat; neque permittat, ut tentemur ſupra id, quod poſſumus; ſed ô quàm indignos nos reddimus per infidelitatem noſtram, in non correſpondendo gratiæ ipſius; ſuper omnia autem ob ſecretam ſuperbiam noſtram, protectione ipſius particulari? quoties laceſſimus, & quaſi defatigamus patientiam ipſius divinam? uniamus igitur invicem hæc duo motiva timoris & ſpei; & in tantum nobis ipſis diffidamus, in quantum confidimus in bonitate D. N. J. C. nunquam ipſum è conſpectu ſeu conſideratione noſtra dimittendo; ambulando continuò viam illam, quam nobis & verbo, & exemplo ſuo monſtravit; fidelitérque ſatisfaciendo in omni occaſione obligationibus miniſterii noſtri, quod nobis concredidit; ſic enim & non aliter dicere poterimus cum Apoſtolo, 2. Tim. 4. 8. *in reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus judex; non ſolùm autem mihi, ſed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Pete à Domino JEſu Chriſto hanc fidelitatem in præparatione tua ad Miſſam; ro-

ga

ga ipsum in hunc finem, ut spiritum & cor tuum repleat cogitatione hac ultimi adventus sui; ut cogitatio hæc te impellat ad serviendum ipsi majori fervore, & ut dignus efficiaris, & inveniaris in hora mortis tuæ, quæ pro te erit initium manifestationis JEsu Christi, & regni ipsius, ac perfecti dominii super animam tuam, qui tibi dicat Matth. 25. 21. *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui*

FERIA QUARTA.

Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Matth. 9. 2.

CLERICI SUNT ADVOCATI APUD DEUM.

1. Pro talibus considerare seipsos debent.
2. Quid hæc ipsorum conditio ab ipsis requirat.

PUNCTUM I. Considera, quòd si in paralytico hodierno imaginem quamdam habemus peccatorũ, etiam imaginem quamdam Dei ministri habeamus in iis, qui hunc Christo JEsu præsentârunt; discere ab iis potest Clericus, obligationem suam esse, juvare non solùm miserabiles personas hìc, apud potentes hujus sæculi, sed etiam intercedere prò iis apud Deum; *intercessionis officium*,

ficium, ait S. Augustiuus, epist. 26. ad Cœcil. *solet esse nostra importuna, non tamen improbanda professio.* Non permittit nobis unquam nostra professio, ut peccatores derelinquamus; viscera paterna erga illos habere debemus; eos gestare in corde nostro; JEsu Chrîsto incessanter præsentare; illius clementiam sollicitare, implorare bonitatem, & neque ulli labori, vel difficultati parcere, ut oves errantes reducamus, quin unquam defatigemur; quia audit tandem Deus vocem ministrorum suorum; audiet clamorem cordis eorum prout & audiît clamorem Moysis, antequam u lum verbum protulisset; *quid clamas ad me?* Exod. 14. 15. videt desiderium & affectum seu sollicitudinem, quã habent, pro salute peccatorum; & solet ordinariè vivæ eorundem fidei sanitatem peccatorum concedere; quemadmodum hodie sanitatem precibus îllorum, qui paralyticum eidem præsentârunt; & prout sanavit servum centurionis in consideratione humilis fidei Domini illius; & vitam Lazari, lacrymis sororum ejus. Hinc ait S. Ambrosius l. 5. in Lucam super hoc evangelium; *unusquisque æger petendæ precatores salutis debet adhibere, per quos nostræ vitæ compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia, verbi cœlestis*

remedio,

remedio, reformentur. *Sint igitur aliqui monitores mentis, quorum adminiculis & attollere, & humiliare se facilis ante JEsum locetur, dominico dignus videri aspectu.* Esne è numero talium intercessorum, semper applicatus ad hoc, ut peccatores convertas, & ad JEsum reducas? quam curam adhibes, precandi pro iis? potésne dicere populo tuo tuæ curæ commisso, tanquam alter Moyses, & mediator inter Dominum & illum, interponendo lacrymas & preces tuas in omnibus occasionibus, ubi ipsi Deum offenderunt, ut ita quasi arma Deo eripias, & justitiæ ejus? *ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos*, Deut. 5. 5. Functúsne es officio tuo, in confessionali, in cathedra, in altari? ah! fortè nec unquam ad hoc ullam fecisti reflexionem! vide, ut exactior in futurum sis in satisfaciendo obligationibus tuis; &

PUNCTUM II. Vide, quid hæc qualitas, seu status iste intercessoris & advocati à te requirat? 1mò. petit à te, ut homo sanctæ sis conversationis, & vitæ. *Quomodo enim potest præses ecclesiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto simili corruerit?* ait S. Hieronymus, in c. 1. Epist. ad Tit. solum hoc nomen intercessoris apud Deum hoc ipsum importat, ut Deo

gratus & acceptus sis; *si ergo homo apud hominem*, ait S. Gregorius M. Pastor. p. 1. c. 21. *de quo minimè præsumit, fieri intercessor erubescit, qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum non agnoscit?* 2dò petit à te ardentem charitatem, nullum majus lucrum reputando, quàm si peccatorem ad Deum reducere valeas; *si officium presbyteri vis exercere*, ait S. Hieronymus Epist, 23. *aliorum salutem fac animæ tuæ.* Quantum non requiritur, ut pastor e. g. tantæ charitatis & teneritudinis sit, ut dicere possit ad Deum cum Moyse; *aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo*, Exod. 32. 32. Quid non requiritur; ut tantum ardorem & zelum pro salute fratrum suorum habeat, quemadmodum S. Paulus, qui dicebat Rom. 9. 3. *optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis.* Felix illa parochia, quæ talem parochum amore Dei & proximi plenum habet! 3tiò denique oportet, ut sacerdos, qui intercessor esse vult apud Deum pro populo, sit homo orationis continuæ, ut ex propria experientia vehementis sui erga Deum amoris sciat, seu speret, quid è cælo obtinere possit, tanquam unus ex iis, ad quem ista verba

prophe-

prophetæ dirigantur; *adhuc loquente te, dicam; ecce adſum*; ſic enim ait S. Gregorius, Paſtor. p. 1. c. 10. *qui orationis uſu & experimento jam didicit, quod obtinere à Domino, quæ popoſcerit, poſſit; cui prophetica voce jam quaſi ſpecialiter dicitur; adhuc loquente te dicam: ecce adſum.* Ah! bone Deus! ubi inveniemus hodie tales Clericos, ſacerdotes & paſtores, qui omnes haſce conditiones neceſſarias habeant, ut pro nobis apud te interceſſores exiſtant! ah Domine! concede nobis illas, obſecro, quas nobis adhuc deeſſe noveris. Præcipuè ad altare nobis incumbit intercedere pro ſalute populi. *Omnis Pontifex debet quemamodum pro populo, ita etiam & pro ſemet ipſo offerre propeccatis*, Hebr. 5. 3. Sacerdos habitu ſacerdotali veſtitus, locũ Chriſti JEſu tenet; ut Deum pro ſe & & pro omni populo ſuppliciter & humiliter roget; habet ante ſe, & retrò dominicæ crucis ſignum, ad memorandam jugiter paſſionem Chriſti; ante ſe crucem gerit; ut propria peccata lugeat; poſt ſe, ut illorum etiam commiſſa per compaſſionem defleat, & ſe medium inter Deum & peccatorem conſtitutum eſſe ſciat. Ita author l. de imit. Chriſti, l. 4. c. 6. Pro præparatione ad Miſſam roga Dominum JEſum pro hac gratia, ut hoc tuo officio

ſatisfacere valeas; uni in hunc finem teipſum huic unico & ſupremo mediatori, non solùm durante ſacrificio Miſſæ, ſed in omnibus aliis precibus tuis, continuò ante oculos tuos habendo pulcherrima hæc verba cujusdam ſummi, ac S. Pontificis; *ſacerdotibus & orandi & ſacrificandi juge officium eſt*; S. Innoc. Epiſt. ad Exup. c. 1.

FERIA QUINTA.

Et videns JEſus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Matth. 9. 2.

De officio Confessarii.

1. Quàm difficile ſit.
2. Regulæ, ût dignè quis illud obeat, & exequatur

PUNCTUM I. Fides illorum, qui Salvatori paralyticum hunc præſentârunt, multùm ad ſanitatem illius contulit; dubitare tamen non debemus, quòd non hic ægrotus pro ſua parte etiam excellentes diſpoſitiones attulerit, per quas non solùm ſanitatem corporalem, ſed etiam ſpiritualem, ſeu animæ promeruit, ſiquidem ad eum Chriſtus dixit: *fili, remittuntur peccata tua.* O-

ptandum

ptandum sanè esset, ut spirituales paralytici, volo dicere, peccatores, qui confessionale circumstant, easdem aut similes secum afferrent dispositiones, parique fide seu fiducia præditi essent, ac ille; verùm, eheu! minimè hoc experimur, imò major pars illorum haud meretur audire verba hæc Filii Dei; *remittuntur tibi peccata tua*, quia omni prorsus contritione seu dolore carent, id quod ipsum est, ob quod confessarii ingemiscunt, & occasionem nobis præbet agendi hìc de difficultate hujus sacri officii. Difficultas hæc oritur imò ex depravatione morum, quæ adeò excrevit, ut planè vix ullum amplius remedium sibi applicari patiantur peccatores. Concilium Tridentinum sess. 14. c. 4. declarat, ut quis per Sacramentum pœnitentiæ justificetur, ista quatuor necessariò requiri: *1. Cessationem à peccato. 2. Vitæ novæ propositum. 3. Et inchoationem. 4. Veteris etiam odium.* Debet aliquis destitisse à peccato suo, & habere firmum propositum, vitam imposterum vivendi novam, hoc est, vitam verè christianam; actu etiam talem vitam jam inchoâsse, & denique odîsse, seu detestari excessus vitæ præteritæ. Anne invenire poterimus pœnitentes, qui taliter essent dispositi? *labor iste paucorum*

eſt, *qui poſt caſum reſurgunt*, *qui poſt vulnera convaleſcunt*, ait S. Pacianus Epiſcopus Barickonenſis, & eccleſiæ Pater, Epiſt. 3. ad Simpron. Novatian. 2do. provenit difficultas iſta à qualitatibus quas confeſſarius habere debet, quas S. Carolus ab iis requirit; *ut pii*, *bene morati*, *docti*, *prudentes*, *de animarum ſalute ſoliciti*, *& fideles cuſtodes ſint eorum*, *quæ in confeſſione dicuntur*, Conc. Provinc. 1. tit. quæ pertinent ad ſac. pœn. admin. Non eſt tam facilè, ac nobis imaginamur, inveniře omnes iſtas qualitates in Clericis. Nōniſi quàm plurimi ſunt, qui illis carent, & tamen hoc adeò difficili officio funguntur, & illud exercent. *Quis cogitationum vulnera occultiora eſſe neſciat*, *vulneribus viſcerum? & tamen ſæpè*, *qui nequaquam ſpiritualia præcepta cognoverunt*, *cordis ſe medicos profiteri non metuunt*; *dum qui pigmentorum neſciunt*, *videri medici carnis erubeſcunt*, ait S. Gregorius M. Paſtor p. 1. c. 1. 3tiò oritur hæc difficultas ex periculis, quibus confeſſarii expoſiti ſunt. Periculum adeſt quoad caſtitatem; nam non solùm evitare oportet infelicitatem impiorum illorum, de quibus S. Judas, Ep. v. 4. *Dei gratiam transferentes in luxuriam*; ſed debet quis inſuper reſiſtere tentationibus, quæ occurrere ſolent iis,

qui

qui laborant alios avertere, & extrahere ab hoc infami vitio impuritatis. Debet nempe in istis circumstantiis gerere se confessarius instar rosæ inter spinas; & ùt alter Loth, qui in medio Sodomæ *aspectu & auditu justus erat*, 2. Petr. 2. 8. Adest periculum delinquendi contra charitatem, & patientiam, sive quoad ignorantes, sive quoad peccatores, erga quos tantam charitatem habere debet confessarius,& compassionem, *ut condolere possit iis, qui ignorant & errant*, Hebr. 5. 2. Adest periculū ut quis desit obligationi suæ per peccaminosā condescentiā,seu voluntatem placendi hominibus; si principia mundi cum principiis evangelii cōcordare quis vellet, si quis vitia magnatum non reprehendere, nec iis obligationum ipsorum manifestare vellet, ob quod ipsum prohibet talibus, Spiritus S. suscipere in se, officium judicis, utpote destitutis sufficientibus viribus, & debita firmitate; *noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute, irrumpere iniquitates*, Eccles. 7. 6. Adest periculum sibi ipsi propriam damnationem adsciscendi, dando absolutionem indignis, ad restitutionem obligatis, in proxima occasione peccatis, vel habituatis &c. Pondera tecum seriò hæc omnia pericula, quæ officium hoc comitari solent, antequam in illud te intromit-


tas. Quid, quæſo, prodeſſet tibi, ſi propterea peccata tua propria non puniaris, ait quidam Pater eccleſiæ, ſi ob peccata aliorum pereas? *quid ei proderit, non puniri ſuo, qui puniendus eſt alieno peccato?* S. Proſper ſeu author l. 1. de vita contemp. c. 20. quia ad laborandum pro ſalute animarum deſtinatus es, nec minus pro te periculum eſt, ſi talentum tuum defodias, ac ſi illô abutaris.

PUNCTUM II. Examina nunc, quid facere debeas, ut hoc tuo officio ritè & dignè fungaris? primum eſt, ut tibi provideas de regulis, ſeu principiis evangelicis; de doctrina SS. PP. & praxi virorum Apoſtolicorum; qui tales labores Apoſtolicos ipſi experti ſunt; ſi tales ſequaris, certè non adulaberis peccatoribus per falſam commiſerationem, neque etiam ad exceſſivum quemdam rigorem deflectes; *tunc ſacerdos irreprehenſibiliter graditur; cum exempla Patrum præcedentium indeſinenter intuetur*, ait S. Gregorius, Paſtor p. 2. c. 6. *cùm ſanctorum veſtigia ſine ceſſatione conſiderat; & cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem ponat* 2dum eſt, adire confeſſionale ex recta intentione, non ex vanitate, vel avaritia, vel curioſitate, vel ex alio quodam motivo humano; ſed unicè ad

procu-

procurandam Dei gloriam, & salutem animarum; observando semper justam moderationem, sive concedenda sive deneganda sit absolutio; non sequendo motum propriæ passionis, sed regulas illas, quas ecclesia præscribit, quales in rituali communiter notatæ sunt. *Videte, quid faciatis? non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit?* 2. Paralip. 19. 6. 3tiò oportet functionem hanc peragere non negligenter, aut festinanter; sed cum zelo, & attentione. Potestas quam habes, ligandi & solvendi, *grandis sanè est honor,* ait S. Gregorius, Hom. 26. in Evang. *sed grave pondus istius est honoris.* Itaque probè examinandum est prius, de quo hîc agatur, antequam hanc potestatem ligandi, atque solvendi exerceas; oportet scire, & benè distinguere *culpam, quæ præcessit, & pœnitentiam, quæ secuta sit post culpam,* aït S. Gregorius, ibid. *ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoralis sententia absolvat; tunc enim vera est absolutio præsidentis, cùm æterni arbitrium sequitur judicis.* Denique oportet peccatori ostendere gravitatem peccati sui, & non imponere leves pœnitentias pro peccatis notabilioribus; *pro mensura delicti erit & plagarum modus,* Deut.

25. En regulas utilissimas ad fructuosè audiendas confessiones! ô quantùm boni præstare possemus in tribunali pœnitentiæ, si tales exactè sequeremur, & observaremus! fac de hoc propositum; si verò jam ita resolutus es, & ita te geris, roga Dominum, ut in hac praxi persistere valeas. Si verò confessarius non es, roga hunc supremum animarum medicum, quem propediem sumpturus es, in S. altari, ut det ecclesiæ suæ tales fideles dispensatores gratiarum suarum, pretiosissimi sanguinis sui, & meritorum suorum infinitorum. Domine JEsu! qui commisisti sacerdotis ministerium istud reconciliationis, miserere infirmitatis nostræ; adjuva nos in functione hac adeò sublimi; & fac, quæso, ut tanquam fideles servi illam exequamur, qui aliud non quærit, nec intendit, quàm ut voluntatem faciat, Domini sui; *beatus ille servus, quem, cùm venerit Dominus, invenerit ita facientem,* Luc. 22. 43.



FERIA SEXTA.

Et ecce quidam de Pharisæis dixerunt intra se: hic blasphemat; & cùm vidisset JEsus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris. Matth. 9. 3.

De

De calumnia.

1. Calumniis sæpè expositi sunt boni Clerici.
2. Qualiter se gerere debeant in his circumstantiis.

PUNCTUM I. DEmus gloriam Christo JEsu, dum interim scribæ & pharisæi eum ùt blasphemū tractant, & calumniantur. Dat illis signum quoddam & probationem potestatis, quam habebat, sanandi animas, ac remittendi peccata, per illam sensibilem & visibilem potestatem suam, quam in morbos & infirmitates corporales exercebat, & infelices isti passionibus suis omninò scelestis præventi, pleni bile & invidia, quorum cor exasperatum & exulceratum erat odio & zelotypia, quam in iis excitabant miracula à Salvatore patrata, & splendor sanctitatis ipsius, pro eo, ut agnovissent divinitatem illius, qui usque in corda illorum penetraverat, tam insolentes fuêre, ut illum etiam de blasphemia accusarent. *Hic blasphemat.* O furorem! ô cœcitatem! reflexio, quam super verba ista facere possumus, hæc est, ut consideremus ministros Christi Domini sæpè pariter tractari, ac magister, & Dominus illorum à Pharisæis malè fuit habitus. Fuerunt semper, & erunt in ecclesia similes pharisæi, qui ex innocentissimis etiam verbis servorum Dei crimi-

na

na eruere volunt; qui eorum ſanctiſſimis etiam actionibus odium conciliare laborant; qui pro blaſphemia habent totum, & omne id, quod ipſorum principiis contrarium eſt, & contra præoccupationes illorum militat. *Hic blaſphemat.* Nil aliud in medium quis afferat, niſi quod certum, & indiſputabile ſit; nil niſi fundatum in pura doctrina SS. PP. Conciliorum, Traditionum, nil niſi quod fundamentum immobile habet; dicat quis, oportere facere fructus dignos pœnitentiæ, Deum haud contentum eſſe verbis & cæremoniis, quæ non niſi folia quædam ſunt, ſed velle, ut ſibi ſerviatur in Spiritu & veritate; impoſſibile eſt, ſimul cõbinare amorem Dei & mundi; quòd ad amplectendum ſacerdotium, & obtinenda beneficia, vocatio neceſſaria, eſſentialis, & indiſpenſabilis ſit; beneficiatos non niſi œconomos eſſe, & diſpenſatores redditutuum ſuorum, neque fas, aut licitum illis eſſe, ſuos inde ditare; *hic blaſphemat.* Habentur veritates hæ fundamentales pro blaſphemiis & novitatibus. Servi Dei, qui in his & ſimilibus occaſionibus vident membra ſua adeò in malam partem accipi, & optima etiam facta ſua damnari, & denigrari, habent, unde ſe conſolentur per exemplum JEſu Chriſti, qui

voca-

vocatus & appellatus fuit blaſphemus, & Beelzebub; non enim eſt ſervus major, ſeu melior magiſtro ſuo. *Si Patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quantò magis domeſticos ejus?* Matth. 10, 25. ſed quid faciendum eſt his bonis Clericis, in talibus circumſtantiis, in quibus tales calumnias ſuſtinent? hoc ipſum eſt, quod nunc examinandum venit.

PUNCTUM II. Oportet 1mò orare pro iis, qui nos calumniantur. *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*, ait Chriſtus JEſus, Matth. 5. 44. Si putamus, debere nosmetipſos juſtificare, & probare innocentiam noſtram, fieri hoc debet abſque amaritudine, imitando modum agendi, & loquendi, manſuetudine & charitate pleniſſimum, Salvatoris noſtri cum phariſæis calumniatoribus; *ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* 2dò oportet ſpernere calumniam. Confundit JEſus phariſæos, & contemnendo injurioſas, & temerarias ipſorum ſuſpiciones, dat corporalem ſanitatem, & ſpiritualem huic paralytico; id ipſum etiam nos facere debemus; ſuperiores eſſe oportet ſcandalis ejusmodi phariſæorum, & propterea nos non minus applicare ad curandos infirmos quos Dei providentia curæ noſtræ commiſit. Melius eſt, ut ſcandalum oriatur,

quàm

quàm ut veritas relinquatur. S. Bern. Epist. 78. n. 10. væ illis, quos lux offendit, & illa re irritantur, quæ occasio Angelis est incœlo, festum celebrandi. Si bonus successus, quem DEus laboribus nostris dat, morum passiones exasperat, & audaces ac temerarios contra nos reddit, hoc ipsum nosaffligere debet ex motivo charitatis, & compassionis, pro salute ipsorum; ex altera autem parte gaudium cōcipere possumus, eo quòd ipsorum oppositio, & contradictio fortè origo sit benedictionis divinæ pro nobis. *Scitis, fratres, introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit*, ait S. Paulus, 1, Thessal. 2. *sed ante passi multa, & contumeliis affecti.* En! quid exspectare debeamus! succedimus nimirum quoad talem injuriosam tractationem æquè Apostolis ac in dignitate illorum, dicebat D. Bartholomæus de Martyribus, Stimul. Past. p. 2. c. 7. Et valdè benè considerandum est id, quod de S. Gregorio refertur, cuidam Episcopo talia passô, & se apud illum conquesto, respondente: *dubium non est, reverendissime frater, bonos pravorum odio sustinere; divinisque intentos operibus, perversorum adversitatibus lacerari &c. minus piè vivis, si minus persecutionem tuleris*, l. 6. Epist. 160. Columbo Episcopo Numid. 3tiò. debemus nobis
hoc

hoc afflictionis tempore peccata nostra ob oculos ponere. *Innumeras amaritudines patior*, ajebat S. Gregorius, Epist. 38. ad Constant. *sed Deo gratias ago, quia minus valde affligor, quàm mereor.* Verba hæc, in nos melius quadrarent, quàm in sanctum hunc Pontificem. Sed, sum innocens; patior pro veritate, & pro justitia. Esne innocentior, quàm Magister, & Dominus tuus, qui etsi ipsa sanctitas fuerit, tamen accusatus, & inhonoratus fuit tanquam scelèratus, & populi seductor. Cōjice constanter oculos tuos in hunc divinum pastorem, qui in cruce moritur, eo quòd homines veritatem docuerit; audi desuper S. Augustinum, in Ps. 63. n. 3. *Pertulit omnes infirmos eorum, curavit omnes languores eorum, prædicavit regna cælorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potiùs eis displicerent, non medicus, à quo sanabatur. His omnibus curationibus ejus ingrati, tanquam multa febre frænetici insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum.* Quid post hæc habes dicere? Pro Missa, offer temetipsum Deo in sacrificium tanquam victimam paratam pro gloria ipsius immolari, ac pro nihilo computando, & reputando id omne, quod hucusque pertulisti, in comparatione beatitudinis illius,

quâ

quâ Deus coronabit merita electorum suorum. *Et si coram hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est; in paucis vexati in multis benè disponentur.* Sap. 3. 4.

DIE SABBATHI.

Tunc ait paralytico: surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Math. 6. 9.

De tepore in servitio divino.

1. Status animæ tepidæ.
2. Remedia contra hoc malum.

PUNCTUM I. PAralyticus iste in lecto suo decumbens, qui nil agere, neque ambulare potest, juxta SS. PP. figura aliqua funesti illius status, in quem peccator redactus est, ut hoc intelligas, adverte, dari aliquam paralysin spiritualem, quæ mortalis est, nempe cùm quis in peccato mortali est; tunc enim nullam prorsus functionem vitæ spiritualis peragere potest, utpote quâ peccator caret, cum anima Deo mortua sit per peccatum, sine cujus gratia & auxilio nec minimum gressum, seu progressum versûs ipsum facere potest. O tristem statum! alia insuper est paralysis spiritualis, quæ quidem reipsa mortalis haud est, sed omninò periculosissima; nempe tepiditas in servitio Dei, quæ hodiernæ meditationis materia erit. 1mò servitur Deo cum nausea;

exercitia pietatis onerosa sunt; oratio displicet, lectio fatigat, austeritates incommodæ sunt; ad nihil talis se obligatum esse vult; contrahuntur aliquæ amicitiolæ, quæ, etsi innocentes esse credantur, tamen cor occupant, & distrahunt, anima deliciis, & voluptatibus hujus mundi infscata calcat, vel rejicit à se consolationes divinas, obligationibus suis non satisfacit, dum interim ille, qui animam hujusmodi affectionibus, & excessibus vacuam habet, etiam difficillimas actiones suaves & gratas experitur; id quod indicant nobis ista verba: *anima saturata calcabit favum, & anima esuriens, etiam amarum pro dulci sumet*, Prov. 27. 7. 2do. Obligationibus negligenter satisfit; Missæ sacrificium non nisi deproperanter peragitur, breviarium recitatur sine attentione, rarus est Sacramentorum usus, facilè somnus sub oratione obrepit; indulgetur somno, vel tempus inutili deambulatione perditur, quod studiis vel orationi dandum esset; quæ peragenda sunt, non nisi superficialiter fiunt, & tantùm consuetudinaliter. Non aspiro, dicit talis, ad magnam perfectionem; contentus sum mediocritate. Illusio hæc est, ait S. Bernardus, Epist. 96. Optima præcautio, quam adhibere possis ad salutem tuam securam reddendam, est

ſi evites teporem, & ſupra mediocritatem te attollere ſtudeas; quæ relaxationi & exceſſibus tam propinqua eſt; *neceſſarium ad cautelam, proximum defectui, mediocritatem tranſcendere, & declinare teporem.* 3tiò denique in ſtatu iſto, quod non niſi negligenter peragebatur, tandem vel omninò, vel ex parte omittitur; quandoque ceſſatur ab exercitio orationis, quandoque à Miſſa; nunc lectio ſpiritualis, nunc examen conſcientiæ negligitur; unô verbô diſpenſat quis ſecum in obſervantia regularum ſuarum ex minimo quocunque prætextu, qui ſe offert. O quàm timendus eſt ſtatus iſte! pejor quandoque eſt, quàm ipſa infidelitas; & ordinariè hoc poſt ſe trahit, quòd Deus talem ſpernat, & omninò derelinquet. Quis dicit hoc? Spiritus S. in Apocalipſi cap. 3. ex occaſione alicujus tepidi Epiſcopi, cujus funeſtum ſtatum annotare, & indicare nobis voluit, ut ſtatum tepiditatis ex hac funeſta deſcriptione melius agnoſceremus. Notate miniſtri Domini! erat prælatus iſte aliàs vitæ cujusdam apparenter ſatis regularis, & ordinatæ, ſaltem nullum ei imponitur peccatum! ob quod pro ſcelerato haberi potuiſſet. Nō reprehenditur ex eo, quaſi unam ex ovibus ſuis perire permiſerit ex defectu reſidentiæ, & debitæ ſolicitudinis, neq; quod

ſuper-

ſuperba ædificia conſtruxerit; quòd diſſipaverit redditus ſuos, in ſuppellectili pretioſa, in luſu, in conviviis, in nutriendis canibus, vel equis, quos in ſuſtentationem pauperum applicare debuiſſet. Non accuſatur quaſi potiùs dominari maluerit Clero ſuo, quàm illi utilis eſſe; quòd majori ardore jura ſua, quàm eccleſiæ ſuæ proſecutus ſit, & defenderit; majori zelo exarſerit ad vindicandas ſuæ perſonæ privatim illatas injurias, quàm quas religio, ſeu noſtra fides à libertinis patitur ex impietatibus eorum, & ſcandalis. Nil prorſus de talibus exceſſibus illi imponitur; ſolummodo dicitur, quòd ſit tepidus, & quãvis ſibi ipſi imaginetur, quòd ſit dives, tamen reipſa pauper, cœcus, nudus, & miſerabilis ſit. Quid eſt ergo illud, quòd Deus per S. Joañem huic Epiſcopo dici voluit? ſcribe illi meo nomine: ſcio opera tua: *ſed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Stupenda cominatio! facisne ſupra hoc reflexionem aliquam? vide nunc, quid tibi agendum ſit, ut ab hoc periculoſiſſimo ſtatu exeas, ſi fortè infeliciter in talem incidiſti.

PUNCTUM II. Quamcunque deplorandus ſit ſtatus animarum tepidarum, nihilominus minimè deſperanda eſt illorum ſalus, ſeu curatio, imò potiùs tractari debent

bent cum majori charitate, utpote infirmi, & non sequi, vel derelinqui tanquā mortui; *medendi sunt tepidi, sicut ægri, non ejiciendi, ut mortui*, ait S. Greg. l. 3. in Reg. c. 9. Remedia, quæ huic malo adhiberi debeāt, cōprehenduntur in istis verbis Christi Domini ad paralyticū: *surge tolle, lectum tuum, & vade in domum tuam.* Surge, oportet surgere, & resolvere se ad laborandū deinceps majori solicitudine pro salute propria; tanto tēpore nihil fecisti pro Deo, nihil pro anima tua. Tanto tēpore tepiditas tua te otiosū, & inutilē reddidit; surge igitur à somno tuo; accinge lūbos tuos; proba, & experire vires tuas, nullique labori parce, ut ab hac fatali paralysi tua cureris. *Surge, præcinge te; tolle otium, exerce vires, move brachia; complosas explica manus*, ajebat S. Bernardus Ep. 1. ad Robertū juvenē laxum, hoc est, quod te facere oportet; *tolle lectum tuum*, ait S. Chrysol. de Paralyt. serm. 50. *hoc est, porta portantem, omnes muta vices; ut quod est infirmitatis testimonium, sit probatio sanitatis; ut lectus doloris tui sit meæ curationis indicium, ut receptæ fortitudini magnitudinem ponderis afferat magnitudo* 3tiò dixit JEsus paralytico: *vade in domum tuam* Oportet fortiter & generosè progredi, & ambulare cœlū versùs, quæ est nostra habitatio, quin defatigemur. Si quis solumodò

ad

ad tēpus tepidus esse velit, periculū incurrit, ut talis sit per totā vitā suā. *Cum torpore deprimeris*, ait S. Bernardus, l. de docū. vit. relig. apud Bernardū. ad eundē juvenē. de quo supra, *cogita, quod operari licet, cras fortasse non licebit; nullus labor durus; nullum tempus longum videri debet, quo gloria æternitatis acquiritur.* Pro Missa roga Dominū JEsū, ut vires tuas confortet, & animet per virtutē hujus divini sacrificii. Pete ab eo instanter hoc probatū aurū charitatis, quo indiges, ad illi dignè serviendū, & cū fervore; sed memento, aurū hoc emendū esse expensis, seu renuntiatione comoditatū, voluptatū, quietis; & quòd non nisi hac conditione locuples fieri valeas, in oculis illius, qui pretium virtutis cognoscit; *suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ*. Apoc. 3. 18.

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Renovamini spiritu mentis vestræ. Eph. 4. 23.

De spiritu clericali.

1. In quo consistat. 2. Quid facere debeamus, ut in nobis renovetur.

PUNCTUM I. NOn est ferè instructio, seu documentū majoris

joris momenti, præſertim pro Clericis, quã illud, quod S. Paulus nobis dat initiũ hujus epiſtolæ: *renovamini ſpiritu mentis veſtræ.* Una ex gratiis, quibus ad ritè peragenda omnia, prout fideles Chriſti JEſu miniſtros decet, indigemus, eſt ſpiritus clericalis; & quia facilè eſt, illũ inter tumultus ſæculi amittere, hinc ſatis repeti, & inculcari nobis non poteſt hoc, *renovamini Spiritu mentis veſtræ.* Verùm antequã hanc renovationẽ incipiamus, ſtabiliendum prius eſt, quid ſit reipſa hic ipſe ſpiritus? Spiritus clericalis eſt abundans quædã ſeu copioſa participatio Spiritûs Chriſti ipſiusmet, cujus nos miniſtri ſumus; *nos autem non ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt*, 1. Cor. 2. 12. Donũ eſt Dei, quod nobis inſpirat amorẽ erga functiones eccleſiaſticas, nósque capaces & aptos reddit ad dignè, & prout oportet, eas obeundas. Sic ergo facile deprehendere, & cognoſcere poteris ſpiritum clericalẽ ex duobus ſignis. 1mò. ſi libenti, & volenti animo, ac cum guſtu exerceas ejusmodi functiones. 2. Et ſi hoc congrue & decenter facias. Debet Clericus, ut ſpiritũ ſtatûs, ſeu vocationis ſuæ habeat, ſpecialẽ inclinationẽ & appetitũ erga tales virtutes habere, quæ ipſi maximè conveniunt; perfectã religionẽ ſeu devotionẽ; angelicã puritatẽ, ardentẽ zelũ pro gloria Dei & ſalute

animarum; magnum amorē pro Ecclesia, affectionem singularem erga orationem, studium & laborem. Debet in omni loco exhibere signa dignitatis suæ; exterior ipsius conversatio, vestimenta, omniáque talia esse debent, qualiter ab Ecclesia præscribuntur. Debet diligere functiones statûs sui; gaudiū, ex eo concipere, si eas absque distinctione ac indifferenter exercere valeat, etiā' minimas, & quæ minoris considerationis esse videntur. Quid dico minimas? non est ulla ex omnibus, quæ nō infinities sublimior, & excellentior sit, quàm ut nos illā exercere mereamur. Talis erat nimirū idea, quā sibi de iis formârunt sancti omnes. Dū S. Cyprianus servitio Dei se consecravit, petiit adhiberi pro scopanda ecclesia, & ad minimas etiā, & vilissimas functiones sacri ministerii; prout ex S. Gregorio Nazianzeno Orat. 18. æditoous minister; templum everrens ac repugnans. Eli 6. ibi. id discimus. Legimus in epistolis hujus illustrissimi Martyris, quòd fuerint ex SS. Confessoribus, qui post atrocissimas pugnas pro defensione fidei obitas, honori sibi duxerint, minima officia in ecclesia peragere potuisse; & loquendo de Aurelio, qui pro fide generosè certavit, & vicit, ait Epist. 38. *merebatur talis clericæ ordinationis ulteriores gradus &c.* Interim placuit,

cuit ut ab officio lectionis incipiat. Et pergit ulterius; *nihil magis congruit voci, quæ Dominum gloriosa prædicatione confessa est quàm celebrandis divinis lectionibus personare, post verba sublimia, quæ Christi martyrium prolocuta sunt, evangelium Christi legere, unde martyres fiunt ad pulpitum, post catastam, venire,* ibid. Denique ut quis spiritū clericalē habeat, haud sufficit, amare functiones statûs sui, sed necessaria insuper sunt talenta ad illas ritè obeundas. Quando DEus hominē ad certā conditionē, seu statū vocat, præsertim ecclesiasticum, tunc Spiritu suo eū replet; & caracter hujus Spiritûs est, reddere homines capaces ad peragendas functiones, statui ad quē vocati sunt proprias. Ita legimus, Exod. 31. 3. postquam Beseleel & Ooliab à Deo electi fuêre ad cōstruendū tabernaculū, illos repletos fuisse spiritu sapientiæ, intelligentiæ, & scientiæ omniū eorum, quæ ad opus ad quod electi fuerunt, erant necessaria. S. August. quæst. 38. in Exod. descendit id, quod de Beseleel, & Ooliab dicitur, extendi, & intelligi potiùs debere ad magnas illas veritates per tabernaculum præfiguratas, quàm ad ipsū tabernaculū, quod solumodo figura aliqua illarū erat; id est, Deū voluisse nobis indicare per hanc figurā, quod si aliquē in lege gratiæ pro ministro ecclesiæ suæ eligat, il-

lū etiā repleat sapientiâ & intelligentiâ ad benè & ritè peragendas functiones suas. En! quid sit spiritus clericalis! vide nunc, utrū illū acceperis, saltē in aliquo gradu? sed, sustinuistine conservare etiā illū juxta hæc Apostoli verba, 1. Thessal. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere.* O quàm timendum est, ne extinctus sit in te spiritus iste, siquidē tā parùm ex tuo modo agendi & vivēdi de illo elucet. Hinc

PUNCTUM II. Adhuc hodie amplectere media quædā, hunc spiritū renovādi. En! duo valdè utilia! 1mò elonga te à spiritu hujus mundi, qui extremè oppositus est, & contrariatur Spiritui Christi. Non es de hoc mundo, sed prout Christus ad discipulos suos Joan. 15. 19. dixit: *ego vos elegi de hoc mundo.* Electio ista, & separatio nostra à mundo ad hoc nos obligat, ut nil amemus quod mundus amat; mundus iste corruptus aliud non amat, quàm voluptates & delitias; aliud non quærit, nisi divitias & honores, nil tale amare debet bonus Clericus, totū, quo occupari debet, illud est, quod Paulus Timotheo discipulo suo 2. ep. 4. 5. suadet; vigila, labora, opus fac evangelistæ, ministeriū tuum imple; sobrius esto. Nota tibi benè hanc doctrinā. Clericus debet esse sobrius in omnibus; in mensa, in recreationibus, in

conversatione, in loquendo, in usu omniū illarū rerū, quas Deus imbecillitati & fragilitati humanæ indulsit. O quàm felices essemus, si quantùm ad ista bona temporalia taliter comparati essemus, queadmodū Eugenius Papa, cui S. Barnardus hoc testimoniū perhibet; *de avaritia non est, quod tuum fatigem intuitum, cùm pecuniam tanquam paleam dicatis habere.* l. 2. de consid. c. 14. Sobrius denique quantū ad officia & dignitates, quæ ipsi offeruntur; nō quærendo illas nimia aviditate; nec recusando illas nimia obstinatione, sed sequendo hāc regulā pulcherrimā S. Augustin, epist. 48. nov. edit. aliàs 81. *vos exhortamur, ut si quam operam vestram Mater ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis.* Vide, ut taliter sentias, & affectus sis, si spiritū clericalē in te renovare cupis. 2dū mediū non minus utile ad hunc effectū est, sacra aliqua solitudo, seu secessus spiritualis semel in mense, & aliquot diebus ad finē anni; id, quod nos docuerunt sanctissimi quique per suū propriū exemplū; adeò se non exemerunt ab his sacris exercitiis ad renovandū spiritū suū, ex prætextu ingentis molis negotiorū, ad quæ ratione ecclesiarū suarum adstricti erāt, ut potiùs hoc ipsū eos ad hoc cōpulerit, certos dies destinandi huic sacro exerci-

exercitio, quò seriùs examinare seipsos, ac purificare possēt à defectibus, quos comisêre, in necessario comercio, seu conversatione cū saecularibus; & ut repararent negligentias priorū temporū, & in futurū sibi prospicerēt, ut omnia cū majori puritate & zelo ab ipsis peragerētur. Imitare illos, & pro praeparatione ad Missam pete à Domino Deo tuo per merita vitae ipsius occultae, cujus mysteriū tibi per mysterium SS. Eucharistiae repraesentatur, hanc gratiā, instituendi quādoq; talē spiritualē secessū, ut seriò te supra te ipsū reflectere valeas. Noli timere, ne sic tempus perdas in tali solitudine; otiū hoc spirituale grande tibi erit negotiū, si tempus hoc transigas, prout oportet. *Nemo invideat otio meo; quia otium meum magnum habet negotium.* S. Aug. ep. 213. aliàs 110.

FERIA SECUNDA.

Et induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis. Ephes. 4. 24.

DE SANCTITATE STATUS ECCLESIASTICI

1. Rationes, ex quibus obligantur Clerici, ut sint sancti. 2. In quo consistat sanctitas ista?

PUNCTUM I. POssemus sanè de pluribus Clericis idipsū dicere, quod olim S. Bernardus de quibusdā religiosis. Nempe eos non nisi habitum & ex-

& exteriora de ſua profeſſione habere, abſque ſpiritu: *Veterem hominem non exuerunt, ſed novo palliant.* Apolog. ad Guiliel. Abb. Contenti ſunt tales, ſi crines tondeantur, ſi coronã in capite portent, ſi habitũ mutẽt, aliqua pietatis opera exerceant; ſed in fũdo, ſeu corde, & intrinſecùs verã illã ſanctitatẽ non habent, quã ab ipſis ſublimitas ſtatus ipsorũ requirit, & ad quã nos invitat S. Paulus per verba iſta nobis tã familiaria, ſeu nota; *induite novum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis.* Utilẽ igitur valdè meditationẽ inſtituamus, ſi conſideremus rationes quæ miniſtros novæ legis obligant ad hoc ut ſancti ſint. En! quid ipſe Dominus dicat ad Moyſen, Levit. 21. 1. 6. 8. *loquere ad ſacerdotes filios Aaron; & dices ad eos &c. ſancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen ejus; incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt; & ideo ſancti erunt &c. Et panes propoſitionis offerunt; ſint ergo ſancti, quia ego ſanctus ſum Dominus, qui ſanctifico eos.* En! quomodo in his paucis verbis dicat Dominus tertia vice, miniſtros illius ſanctos eſſe debere; conclude ex eo, quales eſſe debeãt ſacerdotes novæ legis; illi nimirũ, quorũ miniſterĩũ non ampliùs in eo præcisè conſiſtit, ut incensũ offerant, & panes; ſed ſanctũ ſanctorũ, & illũ, qui eſt victima propitiatio-

pitiationis, pro salute totius mundi; illi, qui ministeriũ angelicũ habent, id est, quod angelis potiùs convenit, quã hominibus, ùt S. Chrysostomus l. 6. de sacerd. ait; *sint ergo sancti, quia & ego sanctus sum Dominus, qui sanctifico eos.* Omnia in ministro ecclesiæ sancta sunt; caracter est sanctus; functiones sanctæ; æquũ igitur est, ut & vita ipsius sancta sit. Quid est sacerdos? est vicarius JEsu Christi. *Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit*, ait Conciliũ Tridentinũ; sess. 14. c. 5. hoc est; sacerdos locum Christi tenet super terrã, quẽ etiã in suo modo agendi & vivendi repræsentare debet. Ubi autẽ inveniat quis imaginẽ hanc, & repræsentationẽ JEsu Christi in sacerdote, si sãctus non sit? ubi inveniendus Christus zelo plenus pro gloria Patris sui. JEsus pauper, JEsus patiens, JEsus plenus sapientia, JEsus vitã suã in laboribus transigens &c. in sacerdote scelerato, vel socorte? illo ipso tempore ordinati sumus in vicarios JEsu, quo in sacerdotes; repræsentare ergo illũ debemus non solùm in ecclesia, in confessionali, ad altare, sed etiã in mundo & in oculis, seu conspectu omniũ hominũ per conformitatẽ vitæ nostræ cum vita ipsius. En! quò extendere se debeat sanctitas nostra! adeò ut si virtutẽ tantũ cõmunẽ habeamus, digni haud simus vicarii JEsu Christi.

sti. *Vides in sacerdotibus nihil plebejum requiri.* ait S. Ambrosius, l. 3. epist. 2. & l. 10. epist. 92. *quomodo enim potest observari à populo, qui nihil habet secretum à populo?* expende ista! humilia te usque ad centrū terræ; & dole de tua tā modica attentione, & studio acquirendi sanctitatem status tui. Quia verò non sufficit, ut in genere scias, quòd sanctus esse debeas;

PUNCTUM II. Considera, in quo cōsistat sanctitas hæc statui tuo adeò essentialis. imò afferre oportet ad sacerdotiū innocentiā vitæ, vel saltē debent delicta juventutis per sincerā pœnitentiā sufficienter esse reparata. S. Paulus loquens de Diaconis 1. Tim. 3. 10. ait: *hi probentur primùm; & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Ecclesia semper secuta fuit hanc doctrinā Apostoli; vult enim ministros suos esse probatos. id est, juxta explicationē magni cujusdā Pontificis; *ut nullus ordinetur Clericus, nisi probatus, vel Episcoporum examine, vel populi testimonio.* Ep. Nicel. ad Clerū c. 5. Tom. 8. conc. p. 1003. Idē Pontifex dicit expressè, quòd intelligi velit de longo quodā examine. Examen requiritur tale, in quo tota series vitæ seriò examinetur, quia sæpè accuratius indagando, tales excessus inveniuntur, qui ostendunt talem tantùm apparuisse, non fuisse īnocentē. *Quo-*

rum per longum tempus examinata sit vita, & merita fuerint comprobata. ibid. Non omisit ecclesia in hoc examine ullā cautelā; imò etiā populi desuper cōsiliū audiebatur, prout S. Cyprianus testatur in quadā epistola. *In ordinationibus solemus vos ante consulere.* En! quid ante ingressū in statū ecclesiasticū requiratur? 2dò. quādo actu quis in hoc statu versatur, & ab ecclesia in numerū ministrorū suorū electus, & assumptus est, oportet firmiter in eo permanere, quē semel amplexus est. Caractere ecclesiastico insignitus es; caractere omninò sanctissimo ex omnibus; consequenter obligatus etiā es, sanctius nunc vivendi, quàm unquā vixeris; *ut nomen congruat actioni; actio respondeat nomini; ne sit honor sublimis, & vita deformis; ne sit deifica professio, & illicita actio;* ait S. Ambrosius de dign, sacerd. delicta evites, sed ut Conciliū Trident. sess. 22. c. 1. loquitur, *levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant.* Ita mores tuos compone, ut nil in te notari possit, quod non devotionē spiret, & clarè demonstret, te omninò persuasū esse de sublimitate ministerii tui; in id solùm inventus, ut tuæ propriæ ac aliorū sanctificationi studeas; *nihil nisi grave, moderatum, ac religione plenum, præseferant.* ibid. 3tiò sanctitas ecclesiastica requirit, ut quis sibi proponat, semper novos facere progres-

progressus in virtute. Si dicas, sufficit, periisti. Hæc regula, seu principiũ S. Augustini serm. 109. aliàs 25. de V.A. vel maximè Clericis congruit, qui ex sua vocatione & statu ad talẽ sublimẽ perfectionẽ obligati sunt. Igitur non audias illos, qui tibi dicunt, quòd possis quiescere; & quòd abundè jã laboraveris, sed audi potiùs illũ, qui tibi dicit: *surge, grandis enim tibi restat via.* 3. Reg. 19. 7. Examina te ipsum super hac triplici sanctitate, quæ statui clericali cõpetit. Qualẽ habuisti sanctitatẽ, quãdo statũ clericalẽ amplexus es? *sancti sunt Clerici*, ajebat S. Hieronymus epist. 4. ad Rusticũ; *ita ergo age, ut adolescentiam tuam nulla sorde commacules; ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas.* Itane ingressus es sanctuariũ? dũ actu in statu hoc fuisti; quali sanctitate vixisti? denique nũquã ad laxitatẽ deflexisti? & quia oportet magno animo, & fortiter ambulare viã perfectionis, conforta te divino pabulo, quod de altari sumpturus es; & vide, ut hãc veritatẽ tibi firmiter persuasã habeas, nẽpe, nil magìs facere ad cõtẽptũ ecclesiæ, quàm videre laicos longè meliores, & vitæ sanctioris, quàm clericos. *Unde non solùm Episcopi, presbyteri, Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præsident, conversatione, sermone, ac scientia præcedant; verùm & inferior gradus Exorcistæ, Lectores, æditui, & omnes omninò, qui domui Dei serviunt; quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores esse laicos, quàm Clericos.* S. Hier. in Epist. ad Tit. c. 1. v. 55.

FERIA TERTIA.

Propter quod deponentes omne mendacium; loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra. Ephes. 4. 25.

DE MENDACIO.

1. Quid sit mendacium; & quomodo displiceat Deo?
2. Quam abhorrere ab illo debeant clerici?

PUNCTUM I. INvitat nos S. Paulus ut sinceri simus erga proximum nostrum; ratio, quam assignat, deberet sanè nos convincere; non quærit unum membrum supplantare alterum membrum; oculus non fallit aurem; pes non decipit manum; quia ergo sumus omnes membra ejusdem corporis, cujus caput Christus est, an non æquum est, ut longè simus ab omni mendacio, & ut quilibet veritatem loquatur cum proximo suo? *propter quod deponentes omne mendacium; loquimini &c.* Verùm quia contrarium nōnisi frequentissimè in mundo accidit; & plurimi etiam clericorum ab hoc vitio exempti non sunt; videamus, quid sit mendacium, & quomodo Deo displiceat? mētiri est dicere aliquid, quod quis credit esse falsum, ad hoc, ut audientem decipiat. Potest quis mentiri, non solùm loquendo, sed etiam scribendo, vel per alia

quæcunque exteriora ſigna, vel denique utendo æquivocationibus, vel reſtrictione mentali. *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet ſignificationibus enuntiat*, ait S. Auguſtinus L. de mend. c. 3. *unde duplex cor eſſe dicitur mentientis*. S. Thomas 2. 2. q. 110. a. 2. & 8. diſtinguit tres ſordes mendacii; *officioſum, jocoſum, perniciosum*. Primum eſt, quod dicitur, ad præſtandum proximo quoddam ſervitium; poteſt quis prudenter occultare, ſeu celare veritatem, quam manifeſtare non obligatur; & cujus manifeſtatio vel nobis vel aliis poſſet eſſe præjudicioſa; nunquam autem licitum eſt mētiri; ſi hoc etiam ad propriam vitam ſalvādam fieret; imò nequidem, ſi per mendacium æternam proximorum ſalutem procurare poſſem, ait S. Auguſtinus l. de mēd. c. 20. n. 42. *ad ſempiternam verò ſalutem nullus ducendus eſt opitulante mendacio*. Ratio eſt, quia nunquam licet facere malum ad impediendum aliud malum, neque ad procurandum bonum; *nunquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* Job. 13. 7. alterum genus mendacii eſt, quod dicitur ad complacendum proximo, & ad alios recreandos; qualia ſunt, certæ hiſtoriæ, & narrationes ſtudio ad hoc inventæ, ut alii audientes recreationem in-

de

de capiant. Non sunt quidem mendacia ejusmodi magna peccata, nihilominus sē-per tales defectus, qui Deo displiceant; qui simplicitati christianæ, multò verò magìs modestiæ, & gravitati ecclesiasticæ contrariantur. *Non magna culpa est, sed tamen non sunt sine culpa*, ait S. Augustinus in Ps. 5. denique ultimum genus, quod gravius est prioribus, in eo consistit, quando aliquid ex proposito, & malitia, falsi dicitur, ad nocendum proximo v. g. mentiri in materia fidei; & religionis; quanta impietas! mentiri in præjudicium proximi, quoad bona illius, vel honorem & famam; quanta injustitia! nihilominus est hoc ipsum defactò valdè commune, & ordinarium, ubi simplicitas & veritas videntur omninò è commercio & societate civili proscriptæ. Vix unus alteri amplius fidit, quilibet in magnis negotiis nescio quas cautelas adhibet, ut se securum conservet; quare hoc? quia plerùmque homines, nescio quibus fraudibus & dolis utuntur; *posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus* Is. 28. 15. Neque ad hoc attenditur, talem modum agendi mortem animæ adferre; *os, quod mentitur, occidit animam.* Sap. 1. 11. Et quòd scriptum sit; *perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Ps. 5. 7. Time mendacium! vide utrum non ipse etiam illi subjaceas? &

 PUN-

PUNCTUM II. Stude horrorem contra illud concipere. En! aliquot motiva, quæ nos ad illud deteſtandum inducere debeant. 1mo mendacium inhonorat Deum, qui eſt ſuprema veritas; cui mendaces abominabiles ſunt; *abominatio eſt Domino labia mendacia*, ait Sapiens, Prov. 12. 22. *qui autem fideliter agunt, placent ei.* Facit injuriam JEſu Chriſto, qui in hunc mũdum venit, teſtimonium reddere veritati; impugnat puritatem & ſimplicitatem evangelii, quod ubique veritatem annuntiat & prædicat. Spernit ſanctos, qui defenſores erant veritatis, quam cum periculo vitæ ſuæ ſuſtinuêre; & quis non abhorreat ab hoc vitio, quod oppoſitum eſt, & cõtrariatur omni illi, quod in religione, ſeu fide noſtra ſanctiſſimum eſt! 2do. imitatores nos facit diaboli; ipſius enim ſpiritu animantur, & aguntur mendaces; pro duce, pro patre, pro exemplari habent hunc inventorem omnis doli, fraudum, & mendaciorum. Hæc eſt exprobratio Chriſti Domini olim phariſæis facta inimicis ſuæ ſanctæ ſimplicitatis, & verbi, quod eis prædicaverat; non enim contentus solùm dixiſſe, illos neque Abraham pro patre ſuo habere, à quo deſcenderant; neque Deum, quem exterius adoraverunt, adjunxit; *vos ex patre diabolo eſtis; & deſideria patris ve-*

ſtri

stri vultis implere. Joh. 8. v. 44. Menritus fuit diabolus primis nostris parentibus, vellet ex toto mundo eliminare veritatē, & homines mendaces reddere, sicut seipsum; mendacium adeò proprius ipsius caracter est, ut illud loquens ex suo loquatur; *cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur.* Si homines ad illud invitat, idem est, ac ad similitudinem & imitationem suam, eos provocare; quia occupatio, qualitas, conditio, natura ipsius alia non est, quàm ut sit mendax; *quia mendax est, & pater ejus.* En! quodnam sit exemplar, quis pater hominum mendacium! agunt ùt dæmones; loquuntur ùt dæmones; vivunt ùt dæmones, & illius desideria perficere satagunt; *& desideria patris vestri vultis implere.* 3tio. mendacium januam aperit omnibus peccatis; *animæ dolosæ errant in peccatis.* Prov. 13. Per mendacium seminatur divisio, & introducitur dissensio in familias; foventur querelæ & inimicitiæ inter vicinos; per mendacium obvellant, & contegunt juvenes scelera sua & excessus; mercatores usuras suas, & dolos, ac fraudes; justitiæ ministri violentias & rapinas suas; clerici suas simonias & avaritiam; *docuerunt enim linguam suam loqui mendacium; ut iniquè agerent, laboraverunt.* Jerem. 9. 5. Id quod permovit S. Basilium, ut diceret:

quemadmodum veritas terminus est, quò se omnes virtutes conferunt, ut soliditatē & felicitatem suam consequantur; ità etiā mendacium esse quasi consummationem & ultimam lineam imprudentiæ & malitiæ peccati; *extrema malitiæ linea mendacium.* Pluribùsne opus sit, ut vitium adeò infame detesteris, quod Deum inhonorat; quod te facit imitatorem diaboli, & pertrahere potest in omne genus excessuum. Utere hoc motivo ad concipiendum horrorem de hoc vitio, & ad similem populo inspirandum. His adde, si placet pœnas, quibus Deus mendaces in hoc & in altero mūdo afficit. (exemplum Ananiæ & Sapphiræ Act. 5.) *omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.* Apoc. 21. 8. In particulari autem nunquā præbe sæcularibus ullam occasionem vel causam, ut te pro mendace & fraudulento habeant; ut nunquam inveniantur in te, *ita & non*, sed simplex esto, & candidus, quales Dei ministros oportet esse; *simplices sicut columbæ.* Esto ex veris Israëlitis, sine duplicitate & fraude. Pete hanc à Deo gratiam in tua præparatione ad Missam; & memento, conjungi simul non posse Belial cum JEsu Christo; neque spiritum mendacii cum Deo veritatis, quem sumere cogitas, & desideras. *Non potestis mensæ Do-*

mini

mini participes esse, & mensæ dæmoniorum. 1. Cor. 10. 21. Domine Deus, qui clericos elegisti, ut essent prædicatores verbi; ne permittas obsecro, ut ab hoc deflectant; *ne auferas de ore meo verbum veritatis usquequaque.* Ps. 118. Spero me te nunquam āplius offensurum, per mendacia; neque permissurum seu daturum linguæ libertatem hanc, ut aliquod proferat: neque intellectui meo, ut aliquod excogitet; hoc est propositum meum quod hodie cum S. Job concipio; dona mihi Domine hanc gratiam, ut illud servare, & exequi valeam. *Donec superest halitus in me, non loquentur labia mea iniquitatem; nec lingua meditabitur mendacium.* Job. 27. 4.

* * * * * ✝ * * * * ✠ * * * * ✝ * * * *

FERIA QUARTA.

Irascimini, & nolite peccare, sol non occidat super iracundiam vestram. Ephes. 4. 26.

De ira.

1. Datur ira laudabilis, quæ clericis convenit.
2. Datur alia peccaminosa, quam evitare debent.

PUNCTUM I. DOcent SS. PP. duas esse species iræ, seu motus iracundiæ; primi excitantur in anima nostra per impatientiam: alii ex amore justitiæ; illi sunt peccaminosi, hi virtuosi; *solertum sciendum est,* ait S. Gregorius Papa, l. 5. moral. in Job. c. 30. *quod alia est*

ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus justitiæ format; illa vitio, hæc ex virtute generatur. Irafci, ut caufa Dei defendatur; ut vitia reprimantur; ut malefactores puniantur juxta regulas juftitiæ, & moderationem illam, quam religio exigit, zelus eft, & non peccatum. Bonus chriftianus, & bonus clericus zelum hunc habent, quando fe commoveri fentiunt propter exceffus, qui defacto in mundo regnant, & ob injurias, quæ continuò divinæ majeftati inferuntur; *qui derelinquunt legem,* ait Sapiens, Prov. 28. 4. *laudant impium; qui cuftodiunt, fuccendentur contra eum.* Phinees animatus erat fanctâ hâc irâ, quando tam ardenti zelo vindicavit caufam Domini, & tanto numero filios Ifrael gladio peremit ad idola converfos, cujus iram nec propinquiffimi etiam evadere poterant. Numer. 25. 11. Matathias hâc ira inflammatus fubvertit profanum illud altare Antiochi, & unà fanguinem concivis fui ibi fudit, qui temerario & facrilego aufu, impulfu officialis regii, in eo facrificavit; quem pariter etiam trucidavit; *accenfus eft furor ejus fecundùm judicium legis.* 1. Machab. 2. 24. Chriftus JEfus, ipfa incarnata manfuetudo, zelo domûs Dei corripiebatur, & quafi comedebatur, dum bina vice prophanatores illius ex ea ejecit; nec
mi-

minorem iram, & commotionem in aliis pluribus occasionibus ostendit contra pharisæos, qui legem Dei violabant in puncto religionis etiam sanctissimo, & maximè essentiali, & populum insuper docebant eandem violandi per suas superstitiosas traditiones; *circumspiciens eos cum ira.* Marc. 3. 5. S. Paulus, perfectus illius imitator, reprehendit acriter Galatas, quòd se seduci passi sint, tractat eos ùt insensatos; eorùmque falsos doctores ubique vivis coloribus depingit. Omnes viri apostolici hæredes fuêre hujus sancti zeli; oderunt nimirùm peccatum perfecto odio. Quis non irascatur, ajebat S. Augustinus, in Ps. 30. si videat tot christianos vivere instar gentilium, seu paganorum; qui sæculo nonnisi oretenus renuntiant, non autem reipsa, seu effectivè; qui videntur esse filii Dei, & fratribus suis insidias struunt; *confitentes Deum vocibus, moribus negantes.* Si non similes in nobis motus talis sanctæ iræ sentiamus, contra tot homines, qui divinam majestatem adeò offendunt, tunc clarum est, parùm curæ nobis esse gloriam Dei, deesséque nobis charitatem proximi. *Si enim,* ùt S. Gregorius ibid. ait, *sic proximos ùt nos amare præcipimur; restat, ut sic eorum erratibus, sicut nostris vitiis irascamur.* Roga Deum, ut reaccendat in te zelum; &

PUNCTUM II. Confidera aliam dari iram, quae omninò vituperanda, & magnâ folicitudine vitanda eft; illa nimirum, de qua alibi locuti fumus, explicando hæc verba S. Jacobi; *ira enim viri justitiam Dei non operatur.* Jacobi 1. vide Septim. 4. poft Pafcha. Et de hac ira loquitur hìc S. Paulus, quando nos admonet, ut nos abripi non finamus à motibus paffionis adeò periculofæ, fed quamprimùm eos reprimamus; *fol non occidat fuper iracundiam veftram.* Effectus quidem eft infirmitatis, & debilitatis humanæ per aliquot momenta iracundiæ quibufdam motibus corripi; fed confervare odium, & fovere fpiritum vindictæ in corde fuo, diabolica malitia eft. Scífne, quid fit, fi taliter affectus cubitum concedas? idem eft, ac fi lecto tuo inferres ferpentem, vel leonem, Et quomodo vis, ut Deus fe tibi placatum exhibeat, & tibi ignofcat offenfas innumeras, fi tu inflexibilis es, in remittendis levibus tibi à fratribus illatis injuriis, vel offenfis? verùm fi ira tantopere culpanda eft in fimplici quodam chriftiano, adeò ut declaret Chriftus JEfus in evangelio, eum, qui fratri fuo dixerit fatue, gehennâ puniendum, multo magìs culpanda, & minimè toleranda eft in clericis; minùs damnandus eft furor, ait S. Greg. Nazianz. in hominibus fæcu-

lari-

laribus, quàm vel minimi motus iracundiæ, in hominibus Deo consecratis. Nil magìs nobis commendavit Christus, quàm ut mansueti simus, & humiles corde; præcepit apostolis, ut inter medios homines tanquam agni sint inter totidem lupos. S. Paulus vult ministrum Dei extremè mansuetum, & mitem se exhibere debere erga omnes; *servum Dei oportet mansuetum esse ad omnes, docibilem, patientem.* 2. Tim. 2. 24. Non permittitur nobis irasci, nisi contra solum peccatum, contra abusus, contra excessus, & scandala; imò etiam in hoc casu vult hoc moderatè fieri ita ut vitium reprehendatur, vitiosus verò diligatur: *cum modestia corripientem eos, qui resistunt veritati.* ibid. v. 25. Denique à sacerdotio excludit violentos, & iracundos; *non iracundum, non percussorem*, ratio est, ait S. Hieronymus ad Tit. 1. 7. quia tales commotiones magìs aptæ sunt, ut homines in malum præcipitent, quàm ut eos eripiant, qui in illud lapsi sunt. Spiritus Christi, quô animati esse debemus, talis est spiritus, qui nobis præsentatur sub figura alicujus columbæ, ad indicandum nobis, nos felle carere, nec aliis armis, nisi gemitibus uti debere. *Veni, columba te vocat, gemendo te vocat; fratres mei, vobis dico, gemendo vocate, non rixando, vocate orando;*

voca-

vocate jejunando; de charitate intelligant, quia doletis eos: Seriò tecum meditare pulcherima hæc S. Aug. verba tract. 6. in Joan. & disce exinde, quòd neminem duriter, & imperiosè tractare debeas. Pro præparatione ad Missam, pete veniam de præteritis tuis commissis defectibus; majori solicitudine tibi ipsi deinceps invigila. Si ira in te accendatur, statim illam suffoca; nec tempus illi concede, ut invalescere valeat; *ira sit brevis, nec in diem crastinum differatur. Quid agent in die judicii, super quorum iram non unius diei, sed tantorum annorum sol testis occubuit.* S. Hier. in hũc locum.

FERIA QUINTA.

Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? at ille obmutuit. Mat. 22. 12.

De veste nuptiali.

1. Quid sit. 2. Pauci clerici illam habent.

PUNCTUM I. HOmo iste, de quo hodiernum Evangelium, qui convivio nuptiali sine veste nuptiali interfuit, imago est christianorũ, qui charitate spoliati, & statu gratiæ carentes, hanc temeritatem habent, ut accedere audeant ad sacram mensam, divinùmque panem comedant cum conscientia peccatis obnoxia. *Quid debemus intelligere*

gere per nuptialem vestem, nisi charitatem? ait S. Gregorius hom. 38. in evang. Quia autem homo iste pro amico habetur, *amice*, & hoc nomine Christus JEsus ministros suos honorat; *vos amici mei estis*, Joan. 15. 14. dicere possumus, quòd specialiter sacerdotes & clericos repræsentet, qui celebrant, aut altari deserviunt, quin ad illud vestem innocentiæ afferant. Memento igitur vestem, quâ clericus indutus esse debet, ut in cœnaculum convivii nuptialis Christi JEsu intrare possit, haud esse communem aliquam, seu ordinariam: est enim vestis nuptialis, id est, virtutem communem haud sufficere ad exercendum ministerium ecclesiasticum, & distribuendam aliis sacratissimam carnem agni divini in convivio sacramentali, quæ est una ex fũctionibus ecclesiasticis; sed oportere ornatum esse, & provisum omni thesauro gratiarum; id quod figuratum nobis ostenditur per vestes illas adeò pretiosas & magnificas, quas Deus fieri mandavit Aaroni & filiis ejus, ut coram ipso sacerdotio fungerentur. Ephad, ex auro, hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto; tunica linea; rationale pretiosissimis lapidibus distinctũ; mitra; cingulum; lamina auri in fronte; tintinnabula aurea, in extremitate vestis cum granatis &c. Omnia hæc, ait S. Gregori-

gorius, denotabant ſanctitatem, quam nos habere oportet in peragendis noſtris eccleſiaſticis functionibus. Verum neceſſe non eſt, ut recurramus ad figuras antiquæ legis; annon videmus ſacerdotes ad altare non accedere, niſi tam ſplendidè veſtitos, quàm id requirat ſanctitas hujus functionis? en imaginem, quales eſſe debeamus interius! inhonoramus ſacerdotium Chriſti JEſu, ſi non niſi in habitu, ſeu veſtitu communi comparere velimus; ſanctitas ſanctuarii nos à ſe repellet, neque nos tolerabit; *veſtimenta etenim ſacerdotis quid aliud quàm recta opera debemus accipere?* ait S. Gregorius paſtor. p. 2. c. 5. *prophetâ atteſtante; ſacerdotes tui induantur juſtitiam.* Non niſi ſacerdotes ſancti ſunt, qui poſſint accedere ad ſacra myſteria. *Sancta ſanctis.* Oportet ut humilitate, manſuetudine, amore paupertatis, & mortificationis, puritate incontaminatâ; ante omnia autem ardenti charitate, tanquam veſte & indumento ſacerdotali præfulgeant; *omnibus his velut ornamento veſtieris.* Iſ. 49. 18. O quàm pauci ſunt, qui ad altare accedentes taliter veſtiti ſint! ut de hoc te convincam,

PUNCTUM II. Conjice oculos tuos in tot clericos, qui altari adſtant! vide, & conſidera vitam illorum, & exinde judica, utrum habeant veſtem hanc nuptialem?

utrum

utrum sint ex veris amicis sponsi. Ah! exclamat S. Bernardus, serm. ad Clerum in conc. Rhem. congregatum, *non sunt omnes amici sponsi, qui hodie sunt sponsi ecclesiæ.* Vide, qualiter plerique utantur bonis, quæ ipsis ecclesia subministrat? aliqui exinde ditantur ipsi; alii luxum inde procurant; alii voluptatibus & deliciis applicāt; *non est hoc ornare sponsum*, ait hic S. P. *sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instruere, sed prostituere.* Vide, qualem vitam ducant tot sacerdotes otiosi, qui marcescunt in otio; qui non nisi deliciis inhiant; qui forum ac domos publicas frequentant; quorum occupationes non nisi sæculares & prophanæ sunt? breviarium suum recitant; Missam legunt; sed plura ab iis noli exigere; non studium, non lectionem, non conferentias spirituales, nullum laborem, qui proximo utilis esse posset &c. Tales tamen quotidie ad S. altare accedunt; possùtne hoc facere? quid dicemus de tot aliis? qui sceleratiores adhuc iis, de quibus primùm locuti sumus, omnem prorsus respectum & reverentiam erga res sanctissimas perdunt, & haud verentur apertè etiam sanguinem Christi JEsu prophanere. En! quod satìs deplorari non potest, si vel parùm quid de timore Dei & re-

spe-

ſpectu ſacris religionis noſtræ myſteriis debito habeamus. Sacerdotes, qui ſancti eſſe deberent, prophani ſunt, mundani, homines ſenſuales, imo quandoque impii, ac peſſimi. Homines iſti ſanctitate privati; homines infames, anne accedere audeant ad tremenda myſteria fidei noſtræ! qualis profanatio! qualis durities! o ſi ſciremus, qualis eſſe debeat ſanctitas ſacerdotis; & quàm neceſſaria ſit ſanctitas iſta ad dignè obeundas grandes iſtas, & maximi momẽti functiones ſacerdotales, quot putamus inveniri poſſe ſacerdotes, qui ad altare accederent? qui ſe ab eo non ſubducerent, ut ſeipſos lacrymis pœnitentiæ abluerent, & ſacrificarent? reflexio iſta S. Ambroſii, quam facit ſupra illud præceptum Domini, datum Levitis, in veteri teſtamento, ut lavarent veſtimenta ſua, antequam ad ſacrificia offerenda accederent: *diſce ſacerdos, atque Levita, quid ſit lavare veſtimenta tua, ut mundum corpus celebrandis exhibeas ſacramentis*, S. Ambroſius l. 1. offic. c. 30. Quia verò ſtatus tuus hoc à te exigit, ut ſæpiùs ad hæc divina myſteria accedas; examina teipſum, & conſidera, utrum in ſtatu ſis, ſeu aptus, intrandi hoc cœnaculum convivale? *amice*; te alloquitur Salvator noſter per hæc verba: *amice*! cui tot gratias contuli! cui theſauros meos con-
cre-

credidi! & dispensatorem mysteriorū meorum constitui! *quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem?* non loquor de veste illâ innocentiæ, quam habere debuisses, intrando statum hunc clericalem, sed solummodò de modo illo, quo quotidie ad altare accedis; qualis est tua præparatio? quam devotionem affers? quam solicitudinem adhibes purificandi conscientiam tuam? confiterísne antea? facis fortè hoc; sed non nisi de levibus defectibus te accusas; nullam autem attentionem seu reflexionem facis ad tuas statûs tui obligationes, an non ex illis unus es, de quibus loquitur Filius Dei excolantibus culicem, camelum autem glutientibus? qui magnâ curâ exteriora mundant, interna autem negligunt, ubi regnat impuritas, superbia, avaritia, & tot aliæ similes inordinatæ passiones, & excessus? *pharisæe cæce! munda prius, quod intus est, calicis & paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum,* Math. 23. 24. Cogita de mutanda vita, de reformandis moribus tuis, & ad renuntiandum omnibus, quæ sanctitati statûs tui contraria sunt; & si celebrare, aut communicare vis, institue præparationem tuam super illis verbis Ambrosii, serm. Dom. 4. Adventûs, quæ tibi horro-

rem meritò incutere debent: *mutet vitam, qui vult accipere vitam, si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam; & magis ex ipsa corumpitur, quàm sanetur, magis occiditur, quàm vivificetur.*

§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§§

FERIA SEXTA.

Tunc dixit rex ministris, ligatis manibus mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus & stridor dentium. Math. 22. 13.

De inferno.

Damnatus est infelix 1. Quia privatus omni bono. 2. Gravatus omni malo. 3. Æternùm punitus.

PUNCTUM I. QUia SS. PP. de inferno exponunt, & explicant tenebras hasce exteriores, in quas conjectus fuit homo iste, tam ignominiosè à convivio nuptiali expulsus; S. Aug. l. contra Donatum, Origen. & Hier. in Math. instituamus hodie meditationem de tanti momenti materia, quæ sola sufficeret ad sanctos nos reddendos, si prout oportet institueretur. Quid ergo est damnatus? qualem ideam nobis de illo formare possumus? damnatus infelix est, & miserabilis; quia omni bono privatus est. 1mo. omni bono naturali. Considera divitem illum sceleratum in inferno; nil amplius habet de omnibus bonis, & deliciis suis præteritis, nisi tristem & crudelẽ me-

mo-

moriam. *Recordare, quia recepisti bona in vita tua*, Luc. 16. 25. Tam pauper & inops est, ut vel guttam aquæ mendicare cogatur, quâ refrigerare linguam possit in medio flammarum; tam miserabilis est, ut vel ipsam etiam spem amiserit, talem unquã obtinendi; & in his omnibus, *inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* Hæc erat responsio illi data, quàmque etiam per totam æternitatem audiet. En! statum, ad quem seipsum quilibet reprobus in puncto seu momento damnationis reducit! quàmprimùm condemnabitur à supremo judice, statim se privatum videbit omni bono naturali; nullam voluptatem, nullum honorem, nullos amicos, nullas divitias, imò nequidem guttam aquæ ampliùs obtinebit; *dives, cùm dormierit, nihil secum auferet; aperiet oculos, & nihil inveniet*, Job. 27. 19. 2do. privatus est bonis gratiæ; nil amplius habet de salutari cogitatione vel desiderio se convertendi; nullam spem salutis. Tempus meritorum & pœnitentiæ pertransiit; non superest ullum medium liberationis ex hoc tenebroso carcere; *in inferno autem quis confitebitur tibi?* Ps. 6. 6. interroga eos, qui ibi inclusi detinentur; respondebunt omnes una voce, quòd in inferno nec redemptori, nec redemptioni locus sit; non esse vel unicam guttam

in toto diluvio sanguinis JEsu Christi, quod damnatis prodesse possit; *in infernò nulla est redemptio.* 3tio. privatus est bonis cœlestibus; felicitate & beatitudine sanctorum; quæ talis privatio est, ut in hac vita comprehendi non possit. Quia reprobi ex alia cusa hanc jacturam non patiuntur, nisi quia Deum summum bonum amiserunt; ut quis illam comprehendere posset, deberet etiam intelligere, quis sit Deus? & quis hoc valeat, nisi ille, qui illum possidet, aut perdidit? non sentit, seu non attēdit ad illud naturale vinculum peccator, quod anima à phantasmatibus sæculi hujus libertata, clarè videbit,& agnoscet, Deum esse centrum & locum requietionis suæ, & quod extra seu sine illo non nisi infelix, ac in statu violento ac crudeli esse possit. Vellet illi uniri, & ad eum incredibili quadam inclinatione rapitur; quia verò Deus videt in illa totam turpitudinem, & fœtorem peccati, æternaliter illam à se rejiciet, adeò ut summa & extrema infelicitas, & malum talis animæ hoc futurū sit, quòd se à Deo separatam & avulsam videat; ità est; tota rabies & furor dæmonum; universa inferni supplicia nunquam æquabunt hanc solam cogitationem, à qua damnati anima in æternùm torquebitur; nempe *amisi Deum. Amisi eum propriâ*
meâ

meâ culpâ; amisi eum pro tota æternitate. Qui est ipsissimus sensus verborum istorū Danielis; *evigilabunt in vitam æternam; & alii in opprobrium, ut videant semper,* Dan. 12. 2. Damnatus non solùm privatus est omnibus bonis, sed insuper

PUNCTUM II. Oneratus & gravatus omnibus malis. Quemadmodum beatitudo ,cumulus est omnium bonorum, sine admixtione ullius mali, sic etiam damnatio omnia in se mala claudit, absque admissione ullius boni; *status omnium malorum congregatione pessimus,* dicit quidam SS. PP. S. Chrysost. serm. 66. Luc. 16. 28. Non est supplicium, quod in inferno non inveniatur; *est locus tormentorum, & gehenna ignis,* ait evangelium, Math. 5. 22. Est thesaurus iræ Dei, juxta S. Paulum, Rom. 2. 5. & S. Joannes Apoc. 20. 9. vocat infernum; *stagnum ignis, & sulphuris.* Non loquamur nisi de solo tormento ignis, qui expresè notatur in hac terribili sententia, quam supremus judex pronuntiabit contra reprobos; *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus,* Math. 55. 41. Hoc solum tormentum locò omnium est; *non erit iste ignis, sicut focus tuus,* ait S. Aug. in Ps. 29. erit ignis sine luce, *flammea nox,* ait quidam è PP. (Cæsarius Arelat. hom. 2. in Dom. post Epiph.) ignis

insupportabilis fœtoris, qui vim suam æquè in animam, ac in corpus, exercet; adeò ut omnes animæ potentiæ, seu facultates ab illo torqueantur. In memoria recordatio præteritorum scelerum; in intellectu idea, seu repræsentatio mali semper præsentis; in voluntate vivus & asperrimus dolor; jacturam & perditionem fore æternam, erit vermis ille conscientiæ, qui non morietur, & ignis, qui nunquam extinguetur; *vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur*, Marc. 9. 47. Corpus reprobi seu damnati pariter post resurrectionem patietur in omnibus membris ignē talem, qui illud uret, quin tamen unquam consumat. Ignis inferni, ait Dei Filius, erit instar salis intimè penetrantis corpora damnatorum, à quo conservabuntur, non verò destruuntur, ut sint quasi totidem victimæ justitiæ divinæ immolatæ; *omnis enim igne salietur; & omnis victima sale salietur*, ibid. v. 48. O terribilia supplicia, quis ea possit explicare? dives damnatus aliud de illis dicere & testari non potest, nisi hoc; *crucior in hac flamma*, Luc. 16. 24. Sunt aliás homines miserabiles, valdè eloquentes, & facundi in describendis miseriis suis; unde ergo est, infortunatum istum verba non habere, quibus se explicet; nisi ex eo, quòd mala sint extrema, quæ exprimi ha-
ud

ud possint- *Crucior.* Totum hoc est, & omne, quod damnatus dicere valet. Aperiamus oculos nostros ad has tristes inferni flammas, & discamus exinde, quid peccatum mereatur. Quàmcunque extrema forent supplicia damnatorum; patientia! modò tandem finem habitura essent; sed semper hæc ecclesia credidit, & fides nos docet; nunquam finienda; hinc

PUNCTUM III. Infelix erit damnatus, quia æternùm torquebitur; *ibunt hi in supplicium æternum,* ait Christus JEsus Math. 25. 46. *pœnas dabunt in interitu æternas,* ait S. Paulus 2. Thessal. 1. 9. *Cruciabuntur die ac nocte, in sæcula sæculorum,* ait S. Joannes, Apoc. 20. 10. Igitur damnati neque finē, neque mitigationem pœnarum suarum sperare possunt; æternæ sunt; nunquam finientur. Totum quod optare possent in hoc cumulo malorum, hoc esset, ut in nihilum redigerentur, ad hoc enim furor & rabies eos adiget; sed invanum; *desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis,* Apoc. 9. 6. Tendent ad mortem, & in nihilum, incredibili impetu; & nunquam tamen eò pertingere poterunt; odio habebunt vitam & esse suum, & nunquam illud destruent; id, quod S. Augustino ansam dedit dicendi; *prima mors animam nolentem pellit de corpore; secunda mors animam nolentem tenet in*

corpore, de civit. Dei 22. c. 3. Terribilia hæc sunt auditu; sed quàm longè terribiliora iis erunt, qui talia experientur? privatum esse omni bono; gravatum omni malo; omnia simul pati singulis momentis; & quidē absque fine, in æternum; in quolibet malo sentire pondus æternitatis totius; en statum damnatorum! en! statum quoque tuum, si vivas, & moriaris in peccato mortali! utere hac cogitatione contra peccatū! *si libidinis igne flagras, ignem illum oppone; atque hinc confestim extinguetur & evanescet*, S. Chrysost. hom. in 2. Cor. 5. Si pruritum aliquem in te animadvertas, proferendi verbum quoddam inhonestum, & minùs rectum, cogita stridorem illum dentium, quem tibi olim causabit; & timor iste instar frœni tibi erit, quod linguam tuam cohibeat. Si tentationem patiaris auferendi proximo bona sua; audi judicem tuum, hanc sententiam proferentem; *ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores*, Math. 22. Si vino & luxui deditus es, repræsenta tibi ob oculos tuos divitē illum de profundo inferni clamantem: *Pater Abraham, mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*, Luc. 16. Denique si deliciæ & voluptates mundi hujus te alliciunt; noli tantùm considerare

derare hanc apparentem felicitatem eorum, qui in gaudio & abundantia omniũ rerum hìc vivunt, sed vide, quò tandem terminentur hæc omnia, quem finem accipiunt? & alium non invenies in hac vita nisi putredinem & corruptionem; in altero verò vermem illum, qui non moritur; & ignem, qui non extinguitur; *hæc itaque animis considerantes, non eos, qui deliciis indulgent, spectamus; sed quis eorum sit exitus; hic nempe stercus, & corporis obesitas; illic vermis, & ignis concludit*, S. Chrysost. ibid. Pro præparatione ad Missam, stude proficere ex monito hujus S. P. sæpius infernum cogita; utere hoc ipso medio, ut peccatores ab errore viæ suæ revoces, dicendo cum propheta: *quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis*, 33. 14.

DIE SABBATHI.

Multi enim sunt vocati; pauci verò electi. Math. 22. 14.

DE PARVO NUMERO ELECTORUM CLERICORUM.

1. Pauci Ecclesiastici salvabuntur.
2. Rationes, quas afferunt SS. DD.

PUNCTUM I. DEfinit hodiernum evangelium hanc terribilem sententiam, quam Christus JEsus

ſus ſæpius pronuntiavit, ut nullum de hoc nobis dubium remaneret, nimirùm, *multos eſſe vocatos, paucos electos.* En grandem veritatem pro meditatione! *multi ſunt vocati*; nos omnes de horum numero ſumus; quia omnes vocati ad ſalutem & vitam æternam. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 1. Tim. 2. 4. Verùm *pauci ſunt electi.* Ah! neſcimus, utrum non ſimus de hoc numero, & puſillo grege, quibus Pater cœleſtis regnum ſuũ deſtinavit, quia non omnes reſpondent Deo vocanti; non omnes certam reddunt vocationem ſuam per ſua bona opera; non omnes profectum capiunt ex donis & gratiis Dei; elegit nos Deus, & ſecundùm ſuã gratiam, & ſecundùm noſtram juſtitiam, ait S. Aug. ſerm. 7. de V. D. nunc ſerm. 110. n. 3. Sed hæc juſtiti donum eſt gratiæ ſuæ; debemus hoc agnoſcere humiliter, & gratiam hanc conſervare fideliter. Terribilis eſt iſta veritas, reſpectu omnium chriſtianorum, maximè autem reſpectu clericorum; nam è tanto numero miniſtrorum eccleſiæ, quod inveniuntur, qui nequidem vocati ſunt ad ſtatum tam ſánctũ? & ſi tibi ipſi fortè de vocatione tunc aduleris, ſcias, nil tibi prodeſſe, quòd fueris clericus, ſacerdos, aut paſtor; quid profuit e. g. Heli, Ophni, & Phinées, filiis ejus, fu-

isse sacerdotes & pastores in Israël? siquidē primus, quia curam non habuit, filios suos, qui officio & obligationi suæ non satisfecerunt, corrigendi, omnes tres morte funestâ periêre, ac meruerunt, ut progenies illorum à supremo sacerdotio fuerit exclusa. Quid profuit Judæ fuisse apostolum? cùm per suam avaritiam factus fuerit filius perditionis. Quid profuit Nicolao, uni è septem primis Diaconis, quód ab ipsis apostolis ad ministerium electus & assumptus fuerit? cùm juxta plures SS. PP. dominari sibi permiserit spiritum impuritatis seu libidinis, ut æquè odibilis Deo evaserit, ac sectatores illius. Iren. l. 1. 27. & l. 3. c. 11. Clem. Alex. l. 3. strom. Epiph. hæres. 25. & Euseb. l. 3. hist. Eccles. Quid tot clericis proderit, fuisse quidem vocatos; occupasse primarias sedes in ecclesia, si, postquam spiritu ceperunt, turpiter per carnem finiunt; & quia hoc malum, & tāta infelicitas nimis ordinaria & communis est, hinc fateri oportet, paucos esse clericos, sacerdotes, & pastores, qui salvantur. Audiamus de hoc ipso S. Chrysostomum, hom. 3. in Acta, *non temerè dico, sed, ut affectus sum, sentio.* En verba! quæ sola pro meditatione quadam sufficerent; *non arbitror, inter sacerdotes plurimos esse, qui salvi fiant; sed multò plures, qui pereant. In*

causa

causa est, qui res ista excelsum requirit animum, & multis illic undique oculis, opus est. Ejusdē cum illo opinionis fuit etiam S. Augustinq epist. 148. ad Valerium, qui de hac re ità scripsit; *nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & lætius, & hominibus acceptabilius, episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, & tristius, & damnabilius; item nihil esse in hac vita, maximè hoc tempore difficilius, laboriosius episcopi, aut presbyteri, aut diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militatur, quo noster imperator jubet.* Sùntne fortè isti sancti nimiùm scrupulosi? vel nos minùs, quàm deceret? habuerùntne aliud sacerdotium, quàm quali nos fungimur? aliam ecclesiam? aliùmve Deum, quam cui nos quoque servimus? si ergo crediderunt in sæculo illo, quo ipsi vixerunt, tam paucos clericos salvos fieri, quid nos dicere debemus de nostro sæculo, ubi tot excessus in clero videre est? contremiscamus! humiliemus nosmetipsos! & exclamemus cum S. Petro, Math. 8. 25. *Domine, salva nos, perimus.* Et

PUNCTUM II. Indagemus rationes, quare tam pauci clerici salutem suam consequantur. En aliquas, ad quas SS. PP. particularem reflexionem & attentionem fece-

fecerunt. Prima desumitur ex modica illa proportione, quæ datur inter vitam, quā major pars clericorum ducit, & sanctitatē statûs ipsorum. Sublimissimus est hic status; vita autem illorum omninò abjecta; combinant, & uniunt inter se id, quod est sanctissimum in religione nostra, cum vita quadam prorsus sæculari & profana; *monstruosa res*, ait S. Bernardus, l. 2. consider. c. 7. *gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens authoritas, & nulla stabilitas.* Interim quod S. Bernardus tanquam monstrum reputat, non nisi valdè frequenter apud clericos invenitur. 2da ratio est illa modica vocatio, quâ quidam statum ecclesiasticum amplectuntur; olim violentia inferri debebat sanctis, ut ordinarentur; modò *curritur passim ad S. ordines, & reverenda ipsis quoque spiritibus angelicis ministeria, homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione.* S. Bern. de conv. ad Cleric. c. 2. 3tia ratio exinde sumitur, quod peccata sacerdotum magìs sint enormia, quàm sæcularium; *si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 1. Reg. 2. 25. en! quid scriptura dicat de peccato puerorum seu filiorum He-

li;

li; id quod gravitatem, & magnitudinem peccati in sacerdotibus ostendit; ait S. Greg. in hunc loc. *quia plerique eorum à Domino in impœnitentis cordis caliginem projiciuntur, & nullam hominis adhortatione resipiscunt.* Adhuc fortius & acrius loquitur S. Chrysostomus, hom. 27. in Math. ibid. *laici delinquentes facilè emendantur; clerici autem, si semel mali evaserint, inemendabiles fiunt.* En verba, quæ ipsum in venis sanguinem congelascere facere possint; *si privatim peccas, nihil tale passurus es; si in sacerdotio, periisti.* Denique ultima quædam ratio, quòd tot clerici, & pastores damnẽtur, est, quòd rationem reddere debeant pro aliis, adeò, ut haud sufficiat ipsis, si pro sua privata persona parum mali faciant; debent insuper alios ædificare, instruere, corrigere; & quis est, qui hoc, ùt oportet, faciat? eheu! igitur verum est, quòd pauci clerici salventur! *ô mirandam stupiditatem!* ait quidam zelosissimus episcopus sæculi nostri, *ardet vitiis ecclesia, flammis vitiorum uritur sponsa tua; vix reperitur unus aut alter, qui in toto corde suo Dominum quærat; & episcopus vacabit splendori statûs ac deliciis, cùm oporteret sacco & cinere indutum, gemere, vociferare, jejunare, & nudis pedibus cum Isaia incedere! crescunt morbi; desunt medici, videlicet clerici probi & docti;*

cti; & facultates ecclesiæ, quibus mendici agent, consumuntur in splendore status. Domin. Barthol. de mart. stim pastor. p. 2. c. 6. sub finem. Seriò igitur cogitemus de reformatione nostra; & si hoc totum, quod meditati sumus, non sufficit ad nos convincendos, pro præparatione ad Missam dic ad JEsum cum homine illo evangelico; *Domine, si pauci sunt, qui salvantur?* & pro gratiarum actione inhæreamus responsioni illi, quam in hac occasione Christus dedit *contendite intrare per angustam portam; quia multi, dico vobis, quærunt intrare, & non poterunt.* Luc. 13. 23.

* *

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ùt sapientes. Ephes. 5. 15.

De prudentia.

1. Qualis sit, & quàm necessaria iis, qui pro salute animarum laborant.
2. Ubi in specie exercenda sit.

PUNCTUM I. AUdiamus cum fide & debita reverentia Spiritum Dei, qui nos in hac epistola per os S. Pauli instruit, & docet, ut in omnibus occasionibus cum magna circumspectione, prudentia, & sapientia operemur.

Est

Eſt hoc documentum ſine dubio omnibus chriſtianis, maximè autē clericis, iis præſertim, qui pro ſalute animarum laborant, neceſſarium; æquè enim talibus, ac apoſtolis dictum fuit à Chriſto JEſu; *eſtote prudentes ſicut ſerpentes*, Math. 10. examinemus itaque hìc; quænam ſit hæc prudentia? & quantoperè nobis neceſſaria? prudentia virtus eſt, quæ nos diſcernere facit, quid ad Deum adducat, & quid ab eo nos abducat; donum Dei eſt, quod intellectum noſtrum illuminat, & oſtendit, quomodo nos in caſibus & occaſionibus particularibus gerere debeamus, ut in errorem non incidamus; hunc effectum illi attribuit Spiritus S. *conſilium cuſtodi & te, & prudentia ſervabit te, ut eruaris à via mala*. Prov. 2. 11. Prudentia, eſt oculus cordis, quo deſideria noſtra diriguntur; eſt cuſtos linguæ ut omnia noſtra verba ſapientiæ ſint condita; regula eſt actionum noſtrarum, ut legi divinæ conformes ſint; præſidet omnibus negotiis noſtris, ut ſæcuros nos reddat contra illuſiones; idipſum illi attribui poteſt, quod S. Bernardus de conſider. loquens ad ſummum pontificem, olim diſcipulum ſuum. *Primùm quidem ipſum fontē ſuum, id eſt, mentem, de qua oritur, purificat conſideratio; deinde regit affectus, dirigit actꝰ, corrigit exceſſus, componit mores, vitam hone-*

ſtat,

stat & ordinat, postremò divinarum pariter, & humanarum rerum scientiam confert. Hæc est, quæ confusa disterminat; hiantia cogit; sparsa colligit; secreta rimatur, vera vestigat; verisimilia examinat; ficta & fucata explorat; hæc est, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente resideat, aut incorrectum, aut correctione egens. l. 1. de consid. c. 7. Est hæc virtus absolutè necessaria clerico, qui pro salute animarum laborat; quemcunque zelum & bonam intentionem habeat, si prudentiâ careat, nil boni efficere potest, imò quandoque plus ecclesiæ nocet, quàm prosit. Sine hac virtute omnes aliæ ferè vitia magìs sunt, quàm virtutes. Constàntia severitas quædam est obstinata; mansuetudo mollis quædam condescendentia; zelus indiscretio; uno verbo; sine illâ omnes aliæ bonæ qualitates & talenta clericis inutilia sunt; consilia ipsius alios irritant tantum; correctiones sunt absque fructu. O quot ex juvenibus, qui mira præstare possent in ecclesia, si vel parùm prudentiæ haberent, & se ipsos miserè perdunt, & frequenter etiam alios, qui regulas non sequuntur, quas excellens hæc virtus præscribit; dici potest de illis, quod olim S. Paulus de Judæis, Rom. 10. 2. *quòd æmulationem Dei habent, sed non secundùm scientiam.* Vide, utrum non sis ex

iſtorum numero? ut autem teipſum corrigas, & emendes;

PUNCTUM II Examina hìc certas occaſiones particulares, in quibus elucere debet prudentia ſacerdotis, vel curati, qui pro ſalute animarum laborat? primum eſt, ut per ſeipſum indaget, quænam in parochia ſua fiunt, & non ſimpliciter relationi ſeu narrationi aliorum credat, ſeu fidat. Præcipit Deus iis, quibus aliorum cura incumbit, ut ipſi invigilent, *fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſraël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me.* Ezech. 3. 17. Impoſſibile eſt, parochum, qui ſe ab aliis regi ſinit, omnia mala videre, quibus mederi debeat; occultatur ipſi pars aliqua exceſſuum parochianorum; ſi verò celari non poſſint, diſſimulantur, ſeu tacentur miſeriæ pauperum, neceſſitates infirmorum, oppreſſiones afflictorum, violentia divitum &c. Non niſi planctus & gemitus ubique erunt; & paſtor talis neque aures habet ad audiendum, neque oculos, ad videndum, quid ab aliis fiat; *paſtor & idolum, derelinquens gregem.* Zachar. 11. 17. 2do. ſi aliqua ſit diſcordia inter parochianos, prout valdè difficile eſt, ut talia non contingant, oportet eam quamprimùm ſedare; ad hunc autem effectum petit prudẽtia, ut erga neutram partem partialis ſit.

Opor-

Oportet decidere pro justitia & veritate quin respectus habeatur ad consanguineos, ad amicos; pauperes & divites; *non consideres personam pauperis; nec honores vultum potentis; juste judica proximo tuo.* Levit. 19. 15. 3tium. magnâ prudentiâ opus est in conversatione. Auditur sacerdos, observatur; examinatur, totum id, quod agit; præcipuè id, quod loquitur, igitur parùm loqui, & multa audire debet; *velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum.* Jacobi 1. 19. Magna imprudentia est in pastore, si absque necessitate etiam apud proprios suos domesticos continuò de defectibus parochianorum suorum loquatur; solent talia malos post se effectus trahere; *ori tuo facito ostia, & seras,* Eccles. 28. 28. quia aliis etiam narrantur. Oportet ad hunc effectum, evitare frequentationem laicorū, & conviviorum, ubi plerumque nimis liberè loqui solemus. Optandum foret, ut sacerdotes alibi non viderentur, nisi ad altare, in cathedra, in confessionali, & in exercitio bonorum operum; *in sacerdote Christi,* dicebat S. Hieronymus, *omnia debent esse vocalia.* 4tum. oportet prudentem esse in cathedra, ut aliud non prædicet, seu annuntiet, nisi verbum Dei. *Prædica verbum,* & quidem juxta indigentiam, & necessitatem auditorum; vitiis & sceleribus non

parcere, benè tamen peccatoribus ſeu ſceleratis; dicere veritatem omnibus indiſcriminatim. *Qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè,* ait Deus Jerem. 23. 28. *quid paleis ad triticum; dicit Dominus.* O ſi concionatores ſolummodò Deum audirent, & non judicia hominum, quantum majorem fructum afferent? *ſi ſtetiſſent in conſilio meo, & nota feciſſent verba mea populo meo, avertiſſem utique eos à via ſua mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis.* ibid. v. 22. 5tum. extremâ prudentiâ opus eſt in cõfeſſionali, reſpectu omnis generis hominũ, & applicare remedia pro differentia morborum animi, quæ ſint proportionata. O quot confeſſiones malœ fiunt, non ſolùm ex defectu pœnitentium, ſed inſuper ob imprudantiam confeſſariorum! 6tum debet paſtor prudentiam adhibere in omnibus ſuis actionibus, etiam optimis, & nil magni momenti incipere, niſi petito prius conſilio ſapientûm, & in talibus expertorum; *fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Eccleſ. 32. 24. Verbo; bonus clericus & ſacerdos debent habere prudentiam univerſalem, & generalem, & & pro regula omnium verborum, & actuum ſuorum, hoc principium ex S. ſcriptura aſſumere, & amplecti; *cor boni conſilii ſtatue tecum.* Eccleſ. 37. 17. Bone Deus!

ubi

ubi inveniemus ministros ecclesiæ, qui tam vastam possident prudentiam. Ignosce Domine tot defectibus nostris, quos per imprudentiam commisimus. Non solùm una vice lapsi sumus, quemadmodum sacerdotes illi, de quibus in libro Machabæorum, sed pluries, eoquòd has regulas prudentiæ non fuerimus secuti; *in illa die ceciderunt sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere; dum sine consilio exeunt in prælium.* 1. Machab. 5. 67. Miserere nostri Domine; concede nobis, quæsumus virtutem hanc adeò nobis necessariam, ut omnia nostra utilia esse possint ecclesiæ tuæ; *da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam &c. ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te.* Sap. 9. 4. Pro præparatione ad Missam; omnia adhibe media ad acquirendam hanc grandem virtutem; ante omnia autem noli cessare, illam continuò à Deo petere; *& in his omnibus deprecare altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Eccles. 37. 19.

* * * * * * * * * * *)(✝)(* * * * * * * * * * *

FERIA SECUNDA.

Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Ephes. 5. 16.

CLERICI SEMPER OCCUPATI ESSE DEBENT, UT FACIANT:

1. Quod Deo. 2. Quod proximo.
3. Quod sibi ipsis debent.

PUNCTUM I. NOn nisi nimiùm tempus perdidimus; grande igitur negotium nostrum erit, illud redimere, ad quod nos inviat S. Paulus; verùm quomodo illud redimemus, nisi expensis, seu renuntiatione commoditatum, ac voluptatum nostrarum? oportet pretiū quoddam expendere ad redimendum tempus adeò pretiosum, id est, oportet ducere vitam occupatam seu laboriosam, id, quod pauci clericorum satis capiunt; hæc erit hodiernæ meditationis materia. Possumus dicere clericis, quòd cùm homines sint, æquè ad laborem obligati sint, ac cæteri omnes; quòd ùt peccatores manducare debeant panem suum in sudore vultûs, quemadmodum omnes filii Adam; quòd ùt christiani ducere debeant vitam poenitentem, & mortificatam, ut pote discipuli JEsu Christi; sed sufficiat nobis, id, eis insinuare, quòd sint clerici, & ùt tales obligati sint ducere vitam occupatam seu laboriosam. Obligatio illorum erga Deum hoc ab eis requirit, Ministri sunt altissimi; debent igitur applicare se ad serviendum ipsi cum fervore, qui eos à communi plebe fidelium distinguat, quìque incompatibilis sit cum otiositate. Dum Christus apo-

sto-

stolos elegit, qui erant primi ministri evãgelii ipsius, vocavit eos ad laborem; *ite, prædicate*, dicebat illis; si apostoli otiosi mansissent, directè contra intentionem, & finem magistri sui fecissent, & contra expressum ab ipso acceptum mandatum. Successimus apostolis in ministerio illorum; illos imitari debemus in laboribus eorum; tale officium, seu statum in nos suscepim9, qui à Chrysto ad hoc institutus fuit, ut in eo constitutus laboret; proinde licitum nobis non est, languescere in otio & desidia; *exhibeamus nos ùt dignos ministros Dei.* 2. Cor. 6. 4. Et quomodo hoc ipsum apostolus ostendit? per assiduos labores suos. Qui ergo non laborant, nullum signum edunt, ex quo constet, quòd sint ministri Christi JEsu; imò è contrario totus illorum modus, & ratio agendi ostendit, quòd caractere suo abutantur, & proinde obligationi statûs sui non satis faciant. Alio in loco, idem S. Paulus semper eidem principio & *fundamento* insistit; ait, meliori jure se apostolorum esse, quàm eos, qui de hoc titulo cum illo contendebant. Quam autem hujus rei probationem affert? hanc; *plus illis laboravi.* Itaque essentiale quoddam vinculum est inter sacrum ministerium JEsu Christi, & laborem; non est quis minister JEsu Christi, nisi in quantum mi-

nisterium suum diligit, suæque obligationi satisfacere studet. *Nomen nos pastoris,* ait S. Gregorius l. 4. Epist. epist. 15. *non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite; exhibeamus ergo in opere, quod signemur in nomine sacerdotii prærogativam; si rectà consideratione pensemus solicitis, & benè gerentibus in honorem; negligentibus autem profectò erit in onus. Sicut igitur laborantes, & circa animarum salutem solicitos, hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam, ità desides ac torpentes urget ad pænam.* Vult igitur Deus ministros suos laborare; instituit statum ecclesiasticum tanquam statum laboriosum; molliter in eo vivere velle, invertere est ordinem à Deo statutum, neque solùm obligatio nostra erga Deum laborem à nobis exigit, sed insuper

PUNCTUM II. Proximo laborem nostrum debemus. Principium est innegabile, neminem statum ecclesiasticum amplecti debere, nisi ut proximo serviat; *nos autem servos vestros in Christo JEsu,* dicebat S. Paulus, 2. Cor. 4. 5. en veram ideam, quam nobis de statu ecclesiastico formare debemus! absit, ut nobis imaginemur, quasi idea ista vile reddat ministerium nostrum & abjectum; nil enim nobilius & excellẽtius, quàm servire proximo. Si fratribus nostris servitium quoddam exhibemus, id Chri-

Christo exhibemus, ipse Christus JEsus vitam suam servitio hominum consecravit; *benè Christum servis*, ait S. Augustinus, in Psam. 108. *si servis, quibus Christus servivit.* Hinc est, quòd Apostolus dicat, se debitorem esse omnibus; Græcis, barbaris, sapientibus, & insipientibus. Ministerium ecclesiasticum obnoxios nos reddit omnibus fratribus nostris; & quid est, quod illis debemus? debemus ipsis solicitudinem, laborem, tempus nostrum. Totum hoc non ampliùs nostrum est; bonum est, quod ad ipsos spectat; omnia hæc in bonum illorum impendere debemus, de quo omnes sancti omninò persuasi fuêre. S. Augustinus Conf. l. 6. c. 3. loquens de S. Ambrosio dicit; *non quærere ab eo poteram, quod volebam, secludentibus me, ab ejus aure atque ore, catervis hominum, quorum infirmitatibus serviebat.* Dum S. Gregorius de suis officiis & negotiis loquitur, l. 1. ep. 30. ait; *homo quotidie occupationibut pressus, & respirare non valeo.* Non igitur quæramg alia exempla ad probandam & stabiliendã hanc veritatem, siquidem omnes sancti sacerdotes viri erant actibus charitatis, & saluti proximorum, prorsus devoti, & cõsecrati. Comparemus modò vitam activam virorum apostolicorum cum vita clericorũ prorsus mundanorum, quorum tota hæc

est occupatio, ut nihil prorsus faciant; ut non nisi deambulationibus in foro publico vacent, ludant, conversationibus intersint, inutiles visitationes peragant &c. suntne hi tales sacerdotes? sæpè possident redditus notabiles, & nullum pro iis ecclesiæ exhibent servitium; dum interim zelosi clerici, qui alium thesaurum non habent, nisi paupertatem JEsu Christi, sine intermissione laborant, ut signa ei exhibeant charitatis suæ, quâ erga ipsum, & membra illius ardent. Videbis ejusmodi indignos ministros onustos quasi, & obrutos magnis redditibus ecclesiasticis, eosdémque non nisi in usus profanos impendere, & expendere, quin unquam functionem aliquam ecclesiasticam peragant. Quid? anne ergo redditus ejusmodi ecclesiastici illis ideò dantur, ut vanitati eorum satisfiat, ut luxui serviatur; ut molliter & enerviter vivere possint? reflecte te parumper super hoc! &

PUNCTUM III. Considera, obligatũ te esse, ducere vitam occupatam, si vel teipsum solum attenderes; quia denique laborare debes ad tuam propriam satisfactionem, tibi ipsi invigilare; evitare peccandi occasiones, & pericula, quæ in mundo dantur, ne quis ab aliis corumpatur, & pervertatur. Quomodo autem ad hæc omnia te applicabis, si otiosus semper maneas?

quid?

quid? anne ergo otium; à quo tot laici damnantur, clericos salvabit? an non & ipsi, quemadmodum & omnes alii, etiam habent carnem rebellem, quam domare, & passiones, quas reprimere debeant? an non & de ipsis, quemadmodum de reliquis, verum est dicere? *multam malitiam docuit otiositas*, Eccles. 33. 29. ità est, nimìs quàm verum est, clericum desidem & socordem in prædam cedere diabolo, & omni generi vitiorum, quæ ipsum inimicum ecclesiæ, scandalum populi, dedecus cleri, & horrorem omnium eorum faciunt, quibus excessus illius innotescunt. En abyssum, in quam quis labitur, si labor non ametur! oportet igitur recursum habere ad hoc remedium, si nosmetipsos defendere volumus contra inimicos salutis nostræ, & firmi persistere in tot tentationibus, quibus in hac vita expositi sumus; nil sanè utilius, & nobis proficuum magìs, quàm sequi hoc consilium S. Hieronymi Epist. 4. plenum sapientiã cuidam, nomine Rustico datum; *fac semper aliquid operis, ut te diabolus inveniat occupatum.* Resolve te adhuc hodie ad ducendam ejusmodi vitam occupatam. Occupationes consuetiores, & magìs ordinariæ clericorum, sunt oratio, studium, instructio, administratio sacramentorum; & alia auxilia proximo impendenda. Ap-

plica

plica te hujusmodi actionibus, novo & majori fervore, sequendo consilium istud S. Pauli Timotheo datum; *attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*, 1. Tim. 4. 13. Si nondum in statu sis, ut ecclesiæ servire possis, labora, ut capax & aptus evadas ad illi suo tempore serviendum, quamdiu fortè in quodam seminario, aut convictu es; congrega tibi thesaurum pietatis, & devotionis, quam deinde effundere valeas super populum tibi committendum. Pro communione vel Missa; repræsenta tibi ipsi vitam laboriosam JEsu Christi, & apostolorum ejus; concipe ardens desiderium illos imitandi; *inspice, & fac secundùm exemplar*, Exod. 25. O Bone Deus, qui nos hortaris per apostolum tuum, ut laboremus tanquam boni milites Christi JEsu: concede, quæsumus, nobis gratiam effugiendi otiositatem, pestem sanè mortiferam vitæ clericalis, ducendi vitam semper occupatam; & ante omnia, ut exequi studeamus functiones ministerii nostri, ad quod nos vocare dignatus es, semper parati, & prompti eundi, & laborandi ubique, ac omni tempore, quò nos tua divina providentia vocare dignabitur. *Calceati pedes in præparatione evangelii pacis*, Ephes. 6. 15.

FE-

FERIA TERTIA.

Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei. Ephes. 5. 17.

De præventione seu præoccupatione

1. Quàm magna mala causet.
2. Media contra illam.

PUNCTUM I. PErgit S. Paulus nobis dare consilia prudentiæ; Pergamus etiam nos in fructu ex iis capiendo, siquidem in hac prudentia sanctorum consistit; *scientia sanctorum prudentia.* Requirit virtus ista, ùt omnia examinentur. *Nolite fieri imprudentes sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei,* ait apostolus Prov. 9. 10. in quo sanè plurimi clerici errant, qui neque examinare, neque altius rimari volunt res, sed de iis ità judicare, prout ipsis placet, jam præventi, seu præoccupati, id quod ansam nobis præbet hìc indagandi mala illa, quæ ex talibus præjudiciis oriri solent. Præoccupatio impedit cognitionem veritatis, & administrationem justitiæ; si jam præoccupatus es contra aliquem, nunquam credes bonum de illo, quod fecit; benè autem mala, quæ nõ fecit; sicut & viceversa; præoccupatus in bonum, nunquam credes mala, quæ fecit; bona autem credes, quæ non fecit; clarum est, talem ità dispositum, non posse cogno-

ſcere veritatem, neque adminiſtrare proximo juſtitiam; nec minus clarum eſt, talia præjudicia funeſtas poſt ſe trahere ſequelas; non eſt neceſſe citare hìc aliud exemplum, quàm ipſius JEſu Chriſti, qui ſemper fuit, & erit magna & grandis conſolatio ſacerdotum, qui injuſtas perſecutiones patiuntur. Vide quomodo, & quàm indignè habitus fuerit à perſonis plurimū æſtimatis inter judæos, tam ob pietatem, tam ob ſcientiam illorum. Scribæ & phariſæi erant de horum numero; noluerunt hi credere miracula Salvatoris, & bona, quæ fecit; imò potius omnia mala, quæ nō fecit, de illo crediderunt, adeò ut enormia etiam crimina ei afinxerint. O horrenda præventio, & præoccupatio! videamus probationem ex evangelio. Si cum admiratione explicat veritates legis & prophetarum dicunt; *quomodo iſte litteras ſcit, cùm non didicerit?* Joan. 7. 15. ſi ſuas prærogativas manifeſtat, non poſſunt hoc credere, & reſpondent; *à Nazareth poteſt eſſe aliquid boni?* ſi in prædicatione ſua corda auditorum, quaſi faſcinat, invidia ipſorum non permittit eis talia audire, ſed potiùs occaſionem illam perdendi quærunt; ſi miracula patrat, iſta vel negant, vel dicunt fieri in nomine Beelzebub; vel ſatagunt talia in oblivionem trahere, adeò ut ex hac ipſa

cauſa

causa Lazarum, quem suscitaverat, occidere voluerint, *Viso Lazaro resuscitato*, ait S Augustinus, tr. 50. in Joan. sub finem, *quia tantum miraculum Domini tantâ erat evidentiâ diffamatum, tantâ manifestatione declaratum, ut non possent vel occultare, quod factum est, vel negare; quid invenerunt? videte, cogitaverunt autem principes sacerdotum, ut & Lazarum interficerent. O stulta cogitatio, & cæca sævitia! Dominus Christus, qui suscitare potuit mortuum, non posse occisum?* non solùm non crediderunt scribæ & pharisæi bona, quæ fecerat JEsus, sed mala de illo crediderunt, quæ non fecerat; denigrabant illum tanquam peccatorem, violatorem legis, destructorem templi, inimicum cæsaris, seditiosum ac perturbatorem publicæ pacis ac quietis; samaritanũ, dœmoniacum, stultum, furiosum, seductorem, voracem, vino deditum, amicum publicanorum, & peccatorum; usurpatorem regiæ potestatis, blasphemum, magum; imò principem magorum, qui dæmones in nomine principis dæmoniorum ejiceret. Possitne horribilius quid dici? JEsum, qui erat ipsa sanctitas, & alios omnes sanctos facit, accusare de talibus criminibus; & quidem à talibus, qui pro piis, imò sanctis habebantur; quid terribilius! en excessus, ad quos deveniunt præoccupati! quod

scri-

ſcribæ & phariſæi fecerunt contra JEſum, qui præoccupati contra illum erant, plures adhuc hodie faciunt reſpectu, & contra fideliores, & zeloſiores ipſius miniſtros, contra quam jam ſemel præventi & præoccupati ſunt. Deteſtare errorem adeò periculoſum, &

PUNCTUM II. Conſidera, quænam ſint media, huic præventioni, ſeu præoccupationi reſiſtendi? primum eſt, prorſus à ſe abdicare ejuſmodi præjudicia. Spiritus præoccupatus non eſt in ſtatu cognoſcendi veritatem. *Ego autem, ſi veritatem dico, non creditis mihi*, dicebat JEſus judæis Joã. 8. 45. Pro eo, ut proprio ſenſui noſtro, vel incertis relationibus hominum inhæreamus, melius fieret, prout hìc S. Paulus ait, ſi ſtuderemus cognoſcere in omnibꝰ, quænam ſit voluntas Dei, *intelligentes, quæ ſit voluntas Dei.* Voluntas Dei non eſt, ut cogitemus malum, aut temerè judicemus de proximo noſtro, ſed ut quilibet menſuram illam obſervet erga alios, quâ erga noſmetipſos utimur, id quòd efficeret, ut valdè cauti & circumſpecti eſſemus in verbis noſtris, in cogitationibus noſtris, in noſtris judiciis, ad hoc ſemper nos reflectendo, judicem nos habere in cœlo, qui omnia noſtra examinat. Conſilium hoc eſt Sapientis. Eccleſiaſtis 5. 1. *Deus enim in*

cœlo,

cælo, & tu super terram; idcirco sint pauci sermones tui. 2dum est, ut semper audiatur accusatus, & locus illi concedatur se justificandi, si possit; nunquam pœnitebit hoc fecisse; quod Dei Filius nobis in evāgelio dixit; *nolite judicare secundùm faciem, sed justum judicium judicate,* Joan. 7. 24. Quid est secundùm justitiam judicare? est examinare negotium, seu causam, & utrāque partem audire; hoc requirit justitia; *qui inauditâ parte judicat, nihil judicat.* Quare putas S. Scripturam annotasse, quòd, licèt peccata Sodomæ & Gomorrhæ tam enormia fuerint, ut clamor eorum usque ad cœlum pervenerit, Deus nihilominus dixerit; *descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ità, ut sciam.* An fortè necesse fuit, Deum mittere angelos, ut certus fieret de infamibus excessibus horum publicorū peccatorum? minimè, sed docere nos voluit, quod instrui prius nos patiamur antequam ullum unquam condemnemus. Seriam & prudentem annotationem fecit Theodoretus hist. l. 1. c. 28. supra id, quod Constantinus Imperator seduci se passus sit à quinque Episcopis aulæ suæ, contra Athanasium, quem in exilium misit. Errorem hunc suum correxit Imperator in lectulo suo mortuali, mandando, ut Atha-

nasius à suo exilio revocaretur, & in episcopatum suum restitueretur. Princeps iste, ait hic historicus, quamcunque magnus fuerit, ostendit per hoc, quod ii, qui aliis præsunt, semper unam aurem apertam reservare debeant accusato. Etiam ipsi gentiles in hoc principio conveniunt; *non est consuetudo Romanis*, ait Festus in Actis apostolorum cap, 25. 16. loquens de S. Paulo, *damnare aliquem hominem, priusquam iis, qui accusatur, præsentes habeat accusatores, locùmque defendendi accipiat, ad abluenda crimina.* En verba, quæ ruborem exprimere deberent christianis & clericis, qui ex præcisa apparentia & conjecturis frivolis, modum agendi fratrum suorum damnant, & temerariè judicant de intentionibus & dispositionibus cordis internis, Pro Missa; antequam ad altare accedas; examina te sedulò super hoc errore, & defectu adeò contrario sanctæ illi dispotioni, quacum accedere deberes ad JEsum Christum; expende tecum, & trutina parumper calumnias, detractiones, perturbationes, & injustitias, quarum causa extitit præventiæ, & præoccupatio tua in judicando proximum tuum. Pete veniam à Deo; & stude hos defectus reparare, memor pulcherimorum verborum istorum: *cùm judicaveris, te ipsum sine adulatione judica, & proximum tuum cum*

dile-

dilectione; quod videris, judica, quod non vides, Deo dimitte, S. Aug. serm. 49. de verb. Michææ 6. n. 5.

* *

FERIA QUARTA.

Et nolite inebriari vino, in quo est luxuria; sed implemini Spiritu sancto. Ephes. 5. 18.

De ebrietate.

1. Quàm indignum sit clerico hoc vitium.
2. Quos excessus post se trahat.

PUNCTUM I. Vltium ebrietatis res est tam turpis & infamis, ut videatur clericos nequidem capaces esse in illud incidendi, esséque quasi injuriosum illis, si quis eos exhortari vellet, ad fugam hujus vitii, quod non nisi hominum vilissimorum sit, & talium, qui absque ullo honore vivunt, & omni generi sordiū prostituti, ac quibusvis rebus indignis dediti sunt, si experientia contrarium nos non doceret, dari nempe non nisi quàm plurimos, qui sui ipsorum adeò obliviscuntur, ut ad talem excessum devenire non erubescant, id quod non nisi cum lacrymis dici potest; *nunc autem & flens dico*, Philip. 3. 18. Bone Deus! quî fieri potest, ut ministri JEsu Christi Nazaræi novæ legis, Christi, seu uncti Domini, qui eos judices, exemplaria, mediatores, & ut ità dicam, quasi deos cæterorum hominum constituit, adeò o-

bliviſcantur ſanctitatem, & ſublimem caracterem ſtatûs ſui, adque tales exceſſus deveniant? *quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum*, v. 19. Audiant tales clerici idipſum, quod fortè ipſimet aliis prædicarunt, nempe maledictiones illas terribiles, quas contra tales vino & ebrietati deditos Spiritus S. pronuntiat, Iſ. 5. v. 11. 22. *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Væ vobis, qui conſurgitis manè ad ebrietatem ſectandam, & potandum uſque ad veſperam, ut vino æſtuetis; & opus Domini non reſpicitis; ſpeculatores cæci, canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. Venite ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multò amplius*, Iſai. 56. 11. & 12. Invitat vos Dominus Deus exercituum ad lacrymas, ad ſuſpiria, ad preces, ad jejunia, ut iram illius peccatis populi accenſam mitigetis; *& ecce gaudium & lætitia; occidere vitulos, & jugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamq, cras enim moriemur*. Hinc in furore ſuo *dicit Dominus Deus exercituum, ſi dimittatur iniquitas hæc vobis, donec moriamini*, Iſ. 22. 12. O quàm terribiles ſunt hæ minæ! fac deſuper ſeriam reflexionem! ô quàm deplorandus eſt clericus, ſacerdos, vel paſtor, qui vino deditus eſt! monſtrum eſt in ſua

paro-

parochia! indignus suo ministerio; incapax exercendi functiones suas; nauclerus est dormiens in navi in medio maris, deberet esse oculus, & nil videt; deberet esse anima, & nullum habet motum; vigilare deberet super alios, & ad aliud non servit, nisi ut alios errare faciat, prout ipse Deus eum, qui ejusmodi est, descripsit; *& erit sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator amisso clavo*, Prov. 23, 34. O statum planè deplorabilem, & sanguineis lacrymis dignum! commiseratione magna dignus est populus sub tali pastore constitutus, si tamen vel hoc ipso etiam nomine dignus est! verùm ut adhuc majorem de hoc vitio horrorem concipias;

PUNCTUM II. Considera, ad quos excessus deveniat homo deditus vino. En aliquot, quos spiritus S. Prov. 23. 29. nobis indicat; *cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis.* Si quis non semper in hos excessus cadat, saltem proximè ad illos accedit. Clericus vino deditus, est injuriosus, violentus, superbus, non curat, si ei obligationes suæ remonstrentur, neque remorsus propriæ suæ conscientiæ attendit; obliviscitur mala, quæ fecit, neque cognoscit præsentia,

quæ actu facit, nec prævidet mala sibi imminentia. Estne talis pastor? quæso, quam fiduciam in tali ponant parochiani! qualē consolationem, qualem ædificationem ab ipso sperent? qualem benedictionem, qualem unctionem habere possunt verba illius? quid dico unctionem? non est capax, ut quidquam rationi consonum dicat, benè autem è contrario, ut in quoslibet excessus labatur, in verba dissoluta, in juramenta, in actiones scandalosas, in infinita absurda. Quomodo reprehendet eos in populo, qui huic dediti sunt, prout ratione ministerii seu officii sui obligatur, si ipse iis tale exemplum seu scandalum præbet? quomodo solabitur miserias pauperum, qui fame moriuntur, dum interim ipse, qui eorum pater esse, & eos nutrire deberet, redditus suos modo tam peccaminoso & infami prodigit, nullàque commiseratione populi sui tangitur? *bibentes vinum in phialis, nihil patiebantur super contritione Joseph*, Amos. 6. 6. Verùm maneamus solummodo in vitio impudicitiæ, quod S. Paulus ebrietati attribuit, *in quo est luxuria.* Id quod Salomon ante illum Prov. 20. 1. dixit. *luxuriosa res, vinum.* Si per se satìs difficile est, reprimere recalcitrantem carnem, si etiam castigatur, mortificatur, ac in servitutem redigitur; si quis jejunat,

&

& exactè observat omnes temperantiæ regulas; quid fiet in eo, qui huic igni alimẽta præbet? si oleum infundat? ô quám verissima sunt verba S. Hieronymi Epist: ad Ocean. 83. *venter merò æstuans, citò despumat in libidinem.* Prætendere conservationem castitatis, & tamen multùm vini bibere, idem est, ac pretendere, impedire effectum, cujus causa conservatur; tentare Deum est hoc, & illudere illi; *nunquam ergo ebrium castum putabo*, ait S. Hieronymus in c. 1. ad Titum. dicat quiscunque quod velit; quantùm ad me, concludit hic S. P. possum testari ab experientia propriæ conscientiæ, abstinentiam mihi semper fuisse summè utilem; quòdque nunquam limites quo adhoc transgressus fuerim, quin me pœnituerit. Fugiamus itaque ebrietatem, & extremum horrorem, erga vitium hoc adeò infame, concipiamus, quod aditum aperit vitio luxuriæ, quòdque & corpus & animam sordidat nostram, & polluit; utamur vino non aliter, nisi ad necessitatem juxta consilium Pauli Timotheo datum; *modico vino utere*; super quo S. Bernardus in Cant. serm. 30. n. 12. hanc facit reflexionem, *si tibi authoritas apostoli placet de bibendo vino* (*modico*) *quod ille adjunxit, non prætermittas.* Pro Missa considera, dari sanctum quemdam modum se inebriandi,

di, qui nobis interdictus haud eſt, imò ad quam ebrietatem è contrario nos hortatur S. Paulus per verba ſequentia textûs, quem hìc explicamus, *ſed implemini Spiritu S.* inebriemus nos vino hoc novo, ſeu muſto, quo pleni erant apoſtoli in die Pentecoſtes; *læti bibamus ſobriam ebrietatem Spiritûs.* Inebriemus nos ſanguine JEſu Chriſti ad altare; ſponſus animarum noſtrarum ad hoc ipſum invitat nos ipſemet; *comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Cant. 5. 1. ah! faciat vinum hoc cœleſte nos oblivisci vinū terreſtre, ebrietatèmque ab intemperantia provenientem, quæ debiles & titubantes nos facit; ebrietas verò Spiritûs S. confortat nos, & in Chriſto radicatos conſervat; *vino enim, qui inebriatur, vacillat, & titubat, ſpiritus, qui inebriatur, in Chriſto eſt.* S. Ambroſ. de Cain & Abel l. 1. c. 5. O felix ebrietas, exclamat S. Ambroſius; *hac ergo ebrietate corpus non titubat, ſed reſurgit; animus non confunditur, ſed conſecratur.* idem in Pſ. 118. ſerm. 115. Dignos nos reddamus hac ſancta ebrietate, accedendo ad S. altare devotione omninò purâ, ut poſt acceptam S. communionem dicere poſſimus ad Chriſtum JEſum, pro gratiarum actione: *viſitaſti terram, & inebriaſti eam; multiplicaſti locupletare eam.* Pſ. 64. 9.

FE-

FERIA QUINTA.

Loquentes vobismetipsis in psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus; cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Ephes. 5. 19.

DE RECITATIONE BREVIARII.

1. Fieri debet cum reverentia. 2. Attentione. 3. Et devotione.

PUNCTUM I. LOcutus sum die Mercur. Septim. 5. post Epiph. de cantu ecclesiastico ex occasione verborum istorum S. Pauli. Hodie meditationem instituemus cira materiam, quæ haud minoris momenti est pro clericis; nempe de modo persolvendi divinum officium, seu recitandi Breviarium, prima dispositio, quam ecclesia pro recitatione Breviarii requirit, & præscribit, est, ut fiat reverenter, *seu dignè.* Excellentia divini officii exigit à nobis hoc. 1mo officium istud divinum preces continet publicas, quas nomine totius ecclesiæ persolvimus; quæ videns filios suos nimìs occupatos rebus, ac negotiis temporalibus nos delegavit, & deputavit ad offerendas Deo preces purissimas, & valdè frequentes, quæ sint instar tributi laudis, & incensum quoddam divinæ ipsius majestati oblatum. Quâ igitur reverentiâ fungi nos oportet hac nobis imposita commissione? 2do. constat officium

hoc magna ex parte ex verbis S. ſcripturæ. Selectum fuit ex illa, quod in libris ſanctis affectuoſiſſimum eſt, tum quantum ad clericos, tum quo ad diverſas ſolennitates, quæ in eccleſia celebrantur, ut ſic pietas & devotio noſtra nutriatur. Recitamus in illo pſalmos & hymnos, qui nobis in memoriam revocant miſericordias Domini. Habemus ibi in compendio incomparabiles actus ſanctorum, à quibus excitemur ad illorum imitationem. Legimus homilias SS. PP. ex quibus ſolicitudinem & curam illorum colligimus, quam habuêre in inſtruendo populo ipſis commiſſo. En pretioſas margaritas, quas eccleſia collegit ad componendum hoc divinum officium; quæ ſatis indicant, quàm ſint obligati clerici, illud recitandi cum omni reſpectu & reverentia. Et tamen pauci ſunt ex iis, qui Breviarium recitant, qui hanc tam ſanctam functionem reverenter obeunt. Vide teipſum, qualis fuerit tua in hoc puncto modeſtia? elegiſtine loca ab hominibus remota, & orationi congrua? obſervaſtíne ſitum corporis decentem? genuflexus, vel ſtans? tectus vel detectus? flectendo genua, aliáſque cæremonias in recitatione Breviarii præſcriptas obſervando? an non illud recitaſti feſtinanter, deproperanter; omnia ſimul & ſemel, ut eo citius te expedi-

dires, quin alligatum te esse volueris horis ab ecclesia præscriptis? ô quàm timendū est, ne non pluries in ejusmodi deliqueris; quia verò non sufficit, observare solummodo exteriorem quamdam modestiam & reverentiam, ut benè persolvatur, & recitetur Breviarum;

PUNCTUM II. Considera, debere etiam adesse *attentionem. Attentè* ait S. Hieronymus explicans hæc verba apostoli; *cantantes & psallentes in cordibus vestris.* Ait, ministros ecclesiæ ex verbis istis discere debere, quòd plus corde, quàm ore cantādum sit, eoquòd sola vox penetrare non possit usque ad thronum Dei, si per affecto & desideria illuc usque non portetur. Oportet, ait Cassianus, collat. 23. c. 7. intus cogitare, quod foris recitatur. Si attentio necessaria est, in oratione solumodo liberâ & voluntariâ, multò magis necessaria est ad orationem præceptam, & ad quam obligaris. Quomodo putas Deum favorabilem futurum, & exauditurum eos, qui seipsos non intelligunt? vel quod ecclesia, quæ alia ex causa non præscribit recitationem officii divini ministris suis, nisi ut homagium præstent Deo, contenta sit tali modo recitationis, qui Deum magis offendat, quàm honoret? an non dicere quis possit cum S. Chrysostomo in Math. hom.

15.

15. de taliter orantibus; *qui Deum orat, & peccat, non Deum rogat, ſed deludit?* an non de tali oratione publica intelligere oportet idipſum, quod S. Cyprianus tract. de orat. Dominica ſcripſit? *quando ſtamus ad orationem, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus; cogitatio omnis carnalis, & ſæcularis abſcedat; nec quidquam tunc animus, quàm id ſolùm cogitet, quod precatur.* Addamus cum hoc S. P. quòd cor noſtrum hoc tempore apertum eſſe non debeat, niſi ſoli Deo? *claudatur contra adverſarium pectus, & ſoli Deo pateat.* Igitur non levis aliqua negligentia vel ſocordia venialis eſt, ſiquis volũtariè ſe abripi patiatur à cogitationibus vanis & inutilibus, quando Breviarium recitatur, totamque hanc ſuam obligationem reſtringere velle, ad puram recitationem vocalem, quod etiam pſittacus peragere poſſet, ſi ad hoc inſtrueretur. An non de talibus clericis Breviarium ſuum ità recitantibus dici poſſit, ſimiles eos cherubinis in tabernaculo depictis, manus quidem conjunctas & elevatas habentibꝰ, nil tamen orantibus? *dabit cor ſuum in ſimilitudinem picturæ.* Eccleſ. 38. 28. Sit, quòd tales v. g. ad chorum afferant reverentiam aliquam, & magnam modeſtiam, quo ad externam apparentiam, adeò ut quaſi angeli eſſe videri poſſint, ſi tamen ſimul

mul toto hoc tempore aliud in mente non revolvant, nisi quòd à laude Dei, quam decantant, longè alienum sit, tunc oratio ipsorum non nisi depicta oratio est, per quã nec Deo, nec ecclesiæ satisfaciunt. Non satìs etiam est juxta S. Bernardum, repellere à se cogitationes inutiles; sed nec illæ admitti debent, quibus se alio tempore occupare utiliter quis posset; *nihil aliud*, dicebat ad suos religiosos, serm. 47. in cant. *dum psallitis, quàm quod psallitis, cogitate.* Sit, quòd quis majori devotione afficiatur, alia cogitando; melius est talia in aliud tẽpus differre, & aliud non meditari, quàm ea, ad quæ verba quæ recitantur occasionem & ansam præbent. *Si orat psalmos, orate; si gemit, gemite; si gratulatur, gaudete; si sperat, sperate; & si timet, timete;* en regulam, quam S. Aug. in Ps. 30. conc 3. dat, quæ nos ducit ad

PUNCTUM III. Docètque; recitarì debere Breviarium non solùm *reverenter, & attentè,* sed etiam *devotè.* Quartum concilium Lateranense sub Innoc III. anno 1215. can. 17. ità habet! *districtè præcipientes, ut divinum officium, nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrent, pariter & devotè.* Concilium Aquisgranense, Trevirense, Mediolanense, & alia plura id ipsum commendant; conciliconcili-

cilium autem Basileense hanc conditionē sess. 2. c. qualiter horæ canon. dicendæ sint extra chorum, pro tam essentiali supponit, ut iis, qui privatim recitant Breviarium, hoc præscribat; *tali in loco recitent, unde à devotione non retrahantur.* Si à me petas, in quo consistat hæc devotio? respondendo paucis; consistere in conformitate amorosa iternorum nostrorum affectuum cum iis, qui in hymnis vel psalmis continentur, & exprimuntur, adeò, ut si propheta regius mirabilia Dei, ejusque potentiam & sapientiam admiratur, etiam affectus admirationis in nobis excitentur; si à Deo petit auxilium, hoc ipsum etiam nos imploremus pro nobis, & pro fidelib9; si affectus compunctionis in consideratione peccatorum suorum exprimat, etiam nos pariter affici debemus; si Deo gratias agi pro beneficiis acceptis, etiam nos gratias agere oportet. Sed ut hos similésque affectus in nobis sentiamus, & eliciamus, debet in corde nostro ignis divini amoris ardere; quia, ùt S. Ait in Ps. 85. *desinis laudare, si desinis amare.* Parùm curat & attēdit Deus laudem illam, quæ ei datur, si non procedat à magna æstimatione, quam quis de ipsius suprema majestate habet, & ex ardenti desiderio ipsi placendi, debitūque ipsi homagium præstandi. *Fratres,* per-

pergit idem S. Aug. *non tantùm ad sonum attendite, cùm laudatis, sed totum Deum toti laudate; cantet vox; cantet vita, cantent facta.* O si vel parum quid de ista devotione haberemus; haud foret necessarium, ut dicatur nobis, ne præcipitanter recitem9 Breviarium; ut omnia verba distinctè proferamus, ut rubricas intelligere studeamus, aliásque præscriptas cæremonias observemus; ipsi enim à nobismetipsis ex corde & optima voluntate totum hoc exactè præstaremus. Pro præparatione ad Missam roga Deum, ut ignoscat & dimittat tibi defectus tuos in recitatione Breviarii cōmissos. Propone, quòd ad minus semel in septimana desuper examen instituere velis; esto deinceps exactior in hoc tuo penso persolvendo. O Domine, qui nos constituisti, ut tibi nomine populi tui fidelis, offeramus preces & laudes tua infinita majestate dignas, benedic, quæso, resolutioni meæ, quam cepi, majori cum devotione deinceps satisfaciendi huic meæ obligationi; concede mihi, & reple me Spiritu adorationis JEsu Christi Filii tui, ut ipse in nobis oret & nos tibi in ipso,, & per ipsum, homagium nostrum tibi debitum exhibeamus, *ut in omnibus honorificetur Deus per JEsum Christum.* 1. Petr. 4. 11.

FERIA SEXTA.

Erat quidam regulus, cujus filius infirmabatur Capharnaum; hic cùm audiſſet, quia JEſus adveniſſet à Judæa in Galilæam, abiit ad eum & rogabat eum, ut deſcenderet, & ſanaret filium ejus; incipiebat enim mori. Joan. 4. 46.

De bono usu morborum.

1. Oportet eos acceptare à Deo cum ſubmiſſione.
2. Et dolores illlorum perferre in ſpiritu pœnitentiæ.

PUNCTUM I. ADoremus admirabilem modum agēdi divinæ providentiæ, quæ volens regulum hunc pertrahere ad fidem, morbum immiſit filio ejus, ut ſic recurrere deberet ad Chriſtum JEſum. Fortè nunquam eccleſiam veram ingreſſus fuiſſet, ſi hanc adeò favorabilem occaſionem, adeundi hūc divinū mediū, ſibi elabi paſſus non fuiſſet! ô quàm utiles ſunt morbi, & infirmitates iis, qui illis benè uti ſciunt; addiſcamus hodie bonum hunc uſum. Ante omnia debemus hujuſmodi infirmitates ſeu morbos recipere de manu Dei, in ſpiritu ſubmiſſionis ad illius ſanctiſſimam voluntatem. Primus gradus fidei noſtræ, quam in ejuſmodi occaſione exercere debemus, eſt ut juſtitiam DEI honoremus & veneremur in omni malo, quod patimur, agnoſcendo hu-

humiliter, talia nos esse promeritos; *meritò hæc patimur*, Gen. 42. Dicamus cum S. Job. *si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non suscipiamus* Job. 2, 10. ? en! quomodo vir iste patientiæ non nisi manum DEI respiciat; en! quomodo seipsum animet ad patientiam, ex consideratione hujus primariæ causæ, quam nunquam cum fide respicimus, quin ab eadem confortemur. Non incusat, neque conqueritur contra fures, qui greges suos sibi abegerunt; neque contra ventos, quòd domum dejecerint; neque contra crudelem linguam propriæ suæ uxoris; solum Deum respicit, & considerat, qui talia permisit, cujus ordinationi cum omnigena resignatione se submittit. *Manus Domini tetigit me.* A tua, ô Domine, manu percussus sum; potentissimum brachium tuum est, quô me gravari sentio, sub quo me omni modo humilio. En qualiter affecti esse debemus, si Deus morbum aliquem nobis imittat; vel afflictionem quamdam. Ministri Domini; qui tales veritates aliis prædicatis; memores estote ipsimet illorum, quando morbus, vel infirmitas aliqua impediunt vos ab exercitio functionum vestrarum! nolite vos ipsos turbare, vel inquietare; sed elevate cogitatum vestrum usque ad Deum, ad exemplum divini magistri vestri. Quando

Dei Filius, in horto olivarum, sibi ipsi dolores, & opprobria passionis instantis repræsentavit; obruebatur vehementi apprehensione, & horrore; non poterat absque terrore aspicere spectaculum adeò horrēdum. Verùm considerans deinde, Patrem suum cœlestem esse, à quo calix iste passionis propinaretur ad bibendum, quamcūque amarus fuerit, dulcis tamen ipsi videbatur; acceptavit illum cum gaudio, quādo manum illius vidit, à qua offerebatur; cum indignatione rejecit à se, qui eum à morte hac tam crudeli perferenda avertere volebant; *calicem quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Joan. 18. 11. ità & nos agere debemus in infirmitatib9 nostris, qui eas nobis immittit, causa nobis esse debet, ut cum submissione eas acceptemus. *Non est malum, quod tam bonum habet authorem.* S. Ambr. l. de bono mortis. Igitur dicamus ad imitationem JEsu Christi; ità Domine! tu es, qui mihi sanitatem concessisti, quâ tam malè usus sum; tu es, qui hanc infirmitatem mihi immittis ad meam correctionem, vel ad excitādum fervorem meum in tuo servitio; ah noli permittere; ut tam favorabili occasione abutar, & pro eo, ut te placem, de novo contra me te irritem, per resistentiam & impatientiam meam; *ita Pater, quoniam*

sic

sic placitum fuit ante te. Math. 11. 26. Ità est, submitto me omninò castigationi tuæ; *ego in flagella paratus sum.* Ps. 37. 18. Sum omninò contentus, quia taliter me abstrahere vis ab amore creaturarum, purificare affectiones meas, & ad talem me statum reducere, ut frui non possim deliciis hujus mundi, & dulcedine vitæ istius. *Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei.* Mich. 7. 9. Hæc est prima dispositio ad fructum capiendum ex morbis; oportet eos acceptare cum submissione ad voluntatem divinam. Veniamus nunc etiam ad 2dam, nempe ad tolerantiam dolorum in spiritu pœnitentiæ.

PUNCTUM II. Morbi æquè ac mors pœna sunt peccati; possunt tamen evadere in remedium pro illo, si in spiritu pœnitentiæ perferantur; hinc vult S. Gregorius M. inter alia documenta, & consilia ægrotis danda, etiam hoc unum esse debere; *admonendi sunt ægri, ut considerent, quanti sit numeri molestia corporalis, quæ & admissa peccata diluit & admitti ea, quæ poterant, compescit.* Pastor p. 3. admon. 13. Moneri debent ægroti, ut considerent, quã proficuum eis sit, quòd corpus ipsorum sit afflictum; quòd afflictio hæc serviat ad illos à peccatis eorum purificandos, quæ commisêre, & ad non committenda, quæ

potuissent committere. S. Chrysostomus hom. 24. in Math. ait: *omnis adversitas, quæ nos tribulat in hoc mundo, baptismus est ignis, & magnâ quidem semel baptizamur; in igne autem hoc penè dum vivimus.* Ut mentē S. hujus Doctoris comprehendas, notare oportet, habere nos in hac vita tria tribunalia, ubi pœnæ illæ præscribuntur, quibus ad expiationem criminum nostrorum uti possumus; tribunal confessionis, ubi Deus per os ministrorum suorum pœnitentias peccatis nostris debitas imponit; tribunal conscientiæ, ubi nobis inspirat, ut per nostrum zelum suppleamus insufficiētiam pœnarum; quas confessarius nobis imposuit, quæque plerumque valdè leves esse solent; tribunal justitiæ divinæ, quî videns repugnantiam nostram ad satisfaciendum, modo peccatis nostris proportionato, nobis immittit afflictiones, cruces, morbos, ut sic simul illa puniat, & expiet, si talia perferamus, prout oportet. *Tanta est*, ait concil. Trident sess. 14. c. 9. *divinæ magnificentiæ bonitas, ut non solùm pœnis spontè à nobis, pro vindicando peccata susceptis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum satisfacere valeamus.* Conformemus nos tantæ huic Dei in nos bonitati, si nos

ipsos,

ipsos, quasi obliti simus durante sanitate, curemus saltem in infirmitate, nos ipsos convertere, & taliter nos geramus, ut verificetur in & de nobis; *Domine, in angustia requisierunt me.* Is. 26. 16. Recurramus prius ad medicum animarum, antequam medicos corporis advocemus, prout ecclesia mandat; *districtè præcipimus, medicis corporum, ut, cùm eos ad infirmos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, & inducant, quòd medicos advocent animarum* concil. Lateran. sub Innoc. III. c. 22. & si ad statum gratiæ nos reduxerimus, offeramus nos tanquam victimas Deo, ad quidlibet perferendum, certò de hoc persuasi, hominem quantumcunque justum, necesse tamen habere purificari à pluribus adhuc defectibus, in camino tribulationis. *In igne probatur aurum, & argentum, & homines receptibiles in camino humiliationis.* Eccles. 2. 5. Dicamus cum S. Aug. Domine! longè plura promeritus sum; *hìc ure, hìc seca, modò parcas, & in æternum parcas*; vel cum S. Fulgentio: *Domine, da mihi modò patientiam, & postea indulgentiam.* En! quales esse debeant cogitationes, & sensus tui in infirmitate! habuistìnè tales? considerastine morbos tuos, tanquam remedia apta, ad sananda mala animæ tuæ? tanquam favores cœli? & portionem quamdam cru-

cis Christi? acceptastíne illos cum gaudio, vel saltem cum submissione ad divinam voluntatem? usùsne es quamprimum SS. sacramentis, ut infirmitates magìs meritorias redderes? tolerastìne dolores tuos in & cum spiritu poenitentiæ? an non potiùs lapsus es in querelas, murmurationes, & impatientias? o quàm pauci sunt, qui taliter à morbis suis proficere student! *pauci ex infirmitate emendantur.* de imit. Christi l. 3. c. 23. Pro Missa; propone, quòd iis omni meliori modo imposterum uti velis, & imitari illustrem quemdam poenitẽtem, quem certè pro exemplari nostro sumere, & imitari debemus, ac dicere cum illo; *ô Domine, in tribulatione me exercere; flagelandum judicas omnem filium, quem recepturus es, qui nec unico pepercisti; ille quidem sine peccato flagellatus est, ego autem dico, miserere mei; sana animam meam, quoniam peccavi tibi; si secatus est, qui putredinem non habebat; si medicina ipsa nostra ignem medicinalem non respuit, impatienter ferre debemus urentem medicum, & secantem,* S. Aug. in Ps. 40. n, 6. id est, omnibus tribulationibus nos exercentem, & à peccatis sanantem? S. Pius Pontifex Maximus in ultima sua ægritudine, ubi violentissimos calculi dolores passus fuerat, sæpius ad Deum dicebat; *Domine, adde ad dolorem, dummodo ad-*

das ad patientiam. apud Bolland. T. 1. Maj. append.

DIE SABBATHI.

Credidit ipse, & domus ejus tota. Joan. 4. 53.

OBLIGATIO PATRISFAMILIAS ERGA SUOS DOMESTICOS,

1. Quoad temporalia. 2. Et spiritualia.

PUNCTUM I. FIdes hujus reguli, de quo in hodierno evangelio, diversos habuit gradus, ait venerabilis Beda. Initium sumpsit; quando ad JEsum misit, ut filio suo sanitatem peteret; crevit, quando ad eum dixit Christus; *vade, filius tuus vivit.* Denique perfecta evasit, quando à suis audivit, filium suum sanatum fuisse illo ipso tempore, quo JEsus verba hæc dixit, *filius tuus vivit.* Tunc enim non contentus, ut ipse tantùm crederet, omnes suos domesticos eò adegit, ut & ipsi fidem in JEsum Christum amplecterentur, *Credidit ipse, & domus ejus tota.* En modum agendi, qui pro exemplo servire debet omnibus patribus familias, ut nec ipsi negligant salutem suorum domesticorum. Materiæ huic insistamus. Si S. Bernardus l. 4. consid. c. 6. putavit se de hac ipsa materia loqui debere cum magno ac summo Pontifice, cui suas consideratio-

nes inscripsit, haud dubiè etiam clericis non erit inutilis, qui ordinariè etiam suos domesticos habent, si semel saltem in anno considerent, ad quid eos lex divina quoad hoc punctum obliget. Obligationes talium dominorum respiciunt tam temporale, quàm spirituale bonum suorum domesticorum. Quoad temporalia oportet 1mo ut eos alant, & honestè occupent. Obligatio patris familias subministrandi suis domesticis vitæ necessaria, fundatur in jure naturali & divino. *Dignus est operarius mercede sua*, ait Christus Dominus. Ipsi enim tempus, & sudorem suum impendunt vobis; an non igitur æquum est, ut ipsi quoque alimenta eis præbeatis; non dico, quòd delicatè eos tractare debeatis, hoc enim esset fovere insolentiam illorum, & ut ità dicam, ad eos contra vos animandos; sed nolite eos ad servitium vobis exhibendum ineptos reddere per sordidam quamdam vestram parcitatem, adeò ut eis non nisi reliquias aliquas cum indignatione concedatis, & has ipsas eis exprobretis. An non videtis, quòd taliter eos tractando culpabiles vos reddatis murmurationum, furtorum, aliorùmque deinde excessuum, quos exercebunt, si occasionem quamdam nanciscantur? nolite eos nimio labore gravare, nec vestra authoritate seu

po-

potestate supra illos abuti. Etiam jumentis tuis parcis, & non parces servo tuo? scio quidem, quid dicas, nempe equum v. g. tibi magni constitisse, minimè autem servum talem. Anne ità observas id, ad quod te apostolus Coloss. 4. hortatur? *Domini, quod justum est, & æquum servis præstate; scientes, quod & vos Dominum habetis in cælo.* 2do. oportet iis subvenire in necessitatibus ipsorum; curam illorum gerere in ipsorum infirmitatibus; illos protegere, & loco Patris illis esse. *Servus sensatus*, ait Sapiens Eccles. 7. 23. *sit tibi dilectus, quasi anima tua; non defraudes illum libertate, neque inopem derelinquas illum.* 3tio. oportet domesticis seu servis fideliter solvere mercedem, sub quâ conducti sunt. *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè.* Levit. 19. 13. Non potest retinere, vel differre illis salarium absque injustitia, si damnum exinde sentiant, quorū clamor deinde usque ad thronum DEI perveniret. Si ille contra charitatem delinquit, qui pauperi eleemosynam denegat, & pro homicida habetur, juxta S. Ambr. *si non pavisti, occidisti.* Cujus criminis ille reum se faciet, qui legem justitiæ violat, denegando salarium debitum servo suo? crimen hoc tale est, quod vindictam DEI inclamat ait S. Jacobus, cap. 5. 4. *ecce merces operariorum, qui*

messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat; & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introivit. Quot nihilominus sunt ex clericis, qui in hunc errorem prolabuntur? per plures quandoque annos differuntur salaria, & si qui solutionem seu mercedem suam expetant, aliud non experiuntur, nisi impatientiam, indignationem, iram, juramenta, imò etiam minas experiuntur, Annon & ipse in tales excessus incidisti? *non lædas servum in veritate operantem.* Quia verò hoc totum non est, si illis tantùm temporalia, ac vitæ necessaria subministres;

PUNCTUM II. Vide insuper, ad quid circa spiritualia obligatus sis? debes igitur illis 1mo. instructionem & ædificationem. Solicitus esse debes, ut sciant principalia mysteria fidei nostræ; ut sacramenta frequentent; ut manè & vesperi preces suas fundant, ac christianè vivant. Attendísne ad ista? sæpissimè domestici clericorum minus sciunt, & dissolutiores sunt, quàm servi laicorum. Qualis confusio! quid? ait S. Paulus, quomodo audeat quis curā ecclesiæ in se suscipere, si neque capax est, ut propriam domum suam regere valeat? quomodo illi concredantur animæ extraneorum, si eas negligat, quæ illius sunt, & quorum quasi pastor naturalis, & pater est?

si quis autem domui suæ præesse nescit, quomodo ecclesiæ DEI diligentiam habebit? 1. Tim, 3. 5. 2do. invigilare debet supra domesticos suos. S. Bernardus circa hoc neque cum Papa Eugenio dispensat, quamvis cura & solicitudo totius ecclesiæ illi incumberet; en! quomodo loquatur! *non oportet, ut vitia domûs tuæ ultimus scias, quod quàm plurimis novimus contigisse; quapropter, ut dixi, alius alia dispenset, de disciplina tu provide; illud nemini credas. Si insolentior coram te vel sermo sonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua super ejusmodi; tu ulciscere injuriam tuam. Impunitas ausum parit; ausum excessum; domum episcopi decet sanctitudo; decet modestia, decet honestas; horum disciplina custos, sacerdotis domestici, aut cæteris honestiores, aut fabula omnibus sunt. In vultu, in habitu, in incessu illorum, qui circa te sunt, nihil residere impudicum, nihil indecens patiaris.* En monitum, supra quod clerici omninò reflexionem facere deberent. 3tio. corrigere debet domesticos suos. Habent illi defectus suos, dices, & quis est, qui non aliquos habeat? oportet eos corrigere absque commotione seu irâ; non debent ruditer tractari; & minæ ipsis intentari; sed loquendum illis cum mansuetudine & charitate, supra teipsum te reflectendo, ac intra te dicendo; quid? si tam difficile mihi

acci-

accidit, me ipsum corrigere, non obstante tantâ curâ eorum, qui me à juventute mea in moribus informare studuerunt, si iisdem adhuc imperfectionibus, & defectib9 subjaceo, an mirum sit, si homines rudes, ruri nati, & educati, talibus subjaceant, qui tot auxiliis caruêre? si eorum errores & defectus ex malitia non proveniunt, sed tantùm ex inadvertentia, & tarditate ingenii, supporta eos patienter sub spe ista, fore, ut cum tempore alii futuri sint. Dissimula aliqua; noli aliqua extollere, vel ex musca elephantem facere; noli in ira exardescere ob fragile vitrum fractum; tandem noli esse in domo tua terribilis instar leonis, memor, te etiam eundem Dominum habere in cœlis, quem servi tui; *remittentes minas*, ait apostolus. Eph. 6. 9. *scientes, quia & illorum, & vester Dominus est in cœlis; & personarum acceptio non est apud eum.* Pro Missa; admirare humilitatem & charitatē divini magistri tui, qui de cœlis in terram venit, ex amore pauperis servi sui. *Ecce de cœlo venit*, ait S. Gregorius, hom. 28. in Evang. *qui servo in terra occurrere non despicit.* Roga ipsum, ut te sanet, ac deinde domesticos tuos à defectibus eorum, quos habent. Dic ad eum cum isto regulo; *Domine, descende, priusquam moriatur filius meus*; & quia tanquam clericus populum christia-

stianum instruere, & docere debes, noli oblivisci, ut patresfamilias admoneas, quã culpabiles sint coram Deo, si huic suæ duplici obligationi erga suos domesticos desint; *si quis autem suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior,* 1. Tim. 5. 8.

* * * * * * * * * * *)(†)(* * * * * * * * * *

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

Confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus, induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli. Ephes. 6. 11.

De pugna spirituali.

1. Vita nostra continua est pugna.
2. Debemus proinde continuò invocare auxilium Dei.

PUNCTUM I. HOrtatur nos S, Paulus in hac epistola ad pugnandum generosè, & ut vitam hanc nostram aliter non consideremus nisi tanquam bellum continuum. Verùm quàm pauci sunt christianorum, imò etiam clericorum, qui reflexionem aliquam faciant ad hanc grandem veritatem? & quî persuasi sint de hoc, pugnandum nobis esse, quamdiu præsens vita durat juxta famosam hunc sancti Jobi sententiam; *militia est vita hominis super terram,* Job. 7. 1. Igitur in

in præsenti meditatione hanc nobis ipsis veritatem benè persuadere satagamus. Vita hominis non solùm plena est tentationibus, ait S. Gregor. moral. l. 8. c. 3. sed est potiùs continua quædam tentatio. Quia ex eo, quòd lapsus voluntariè fuit homo à statu innocentiæ, in quo creatus fuerat, ipsemet per suam propriam corruptionem factus sibi est quodammodo origo & radix tentationis, & miseriarum. Vita enim hominis christiani non minùs pugna quædam est, & bellum. Christianum esse idem est, ac inscriptum esse in militia Christi JEsu, ad impugnandos inimicos illius. Hinc post acceptum semel baptismum, cõfertur nobis etiam sacramentum confirmationis, ut per hoc, mediante infusione Spiritûs S. qui per illud nobis datur, novæ vires nobis accrescant, ad resistendum generosè contrariis nobis potestatibus mundi & inferni. Bellum hoc omninò ex omni parte sanctum est, eoquòd agatur de conservando thesauro gratiæ divinæ, & ut magis ac magis crescamus in sanctitate, quam in baptismo consecuti sumus. Quia verò homines naturam belli hujus, ante incarnationem Filii DEI, ignorarunt, ipse Christus JEsus exemplum nobis præbere voluit; quia statim post baptismum Spiritûs S. instinctu se in desertum recepit, ut

con-

contra principem tenebrarum bellum iniret. Ipse primus campum nobis armorum aperuit, cœlùmque nobis proposuit, tanquam pretium & coronam, quam promereri possemus, si strenue decertaverimus. Itaque haud despondere debemus animū, in consideratione, vitam hanc esse locum tentationum; quia quemadmodùm illi, qui in acie stant, & primis ictibus expositi sunt, henerosiores & animosiores præ cæteris sunt, sic etiam anima quælibet, quò magis per tentationem probatur, & exercetur, eo plus meriti, & gloriæ acquirit; *quia tentatione probatur, & exercetur virtus*, ait S. Augustinus, l. 3. de Gen. ad litt. c. 15. *& est palma gloriosior, non consensisse tentatam, quàm non potuisse tentari.* Si ergo vita cujusvis simplicis christiani continua quædam puga est, quid censendum de vita clerici, si obligationibus statûs sui satisfacere, & laborare velit ad destructionem regni diaboli? quid cogitandum de vita pastoris, qui in se suscipiendo curam gregis sui cum fiducia in Christo JEsu dicit; *& princeps hujus mundi ejicietur foras?* Joan. 12. 31. oportet, ut diabolum ejiciam è parochia mea. Putásne, serpenti caput conteri posse, quin clamet? leoni huic prædam eripi posse, qui rugiendo circumit, ùt S. Petrus 1. Ep. 5. 8. ait, quin validius adhuc rugiat?

pu-

putásne hunc irreconciliabilem inimicū ad terram prosterni posse, quin victori suo insultet? minimè; igitur tales boni clerici & pastores aliud exspectare non debent, nisi terribiles assultus; sed quid tunc agēdū?

PUNCTUM II. Oportet incessanter vocare in auxilium: *confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus*. Nam qui sumus nos, ut defendere nos valeamus contra tam formidandos inimicos salutis nostræ, qui nos tam acriter impugnant; qui mille laqueos nobis tendunt, & præcipitia, & abyssos nobis ex omni parte minātur? quomodo assultum tam violentum & inæqualem sustinebimus, & ictus eorum dextrè declinabimus, qui arundine debiliores, & fragiliores sumus? nos, quorum intellectus non nisi ignorantia est; quorum voluntas non nisi infirmitas, & corruptio est? qui vel levissimis etiam tentationibus succumbimꝰ quandoque? consideratio hujus nostræ impotentiæ adigere ad hoc nos debet, ut incessanter ad Deum recurramꝰ, eùmque rogemus, ut pugnet pro nobis. *In nobis quidem non est tanta fortitudo, ut possimus huic multitudini resistere, quæ irruit super nos, sed cùm ignoremus, quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te Deus noster &c. Tu scis, quæ cogitant in nos, quomodo poterimus*

subsi-

subsistere ante faciem eorum, nisi tu adjuves nos, 2. Paralip. 20. 12. Igitur non desistamus petere assistentiam illius, sine quo nihil possumus, non dico, non vincere, sed nequidem cogitare de pugna ineunda; arma nostra preces nostræ sunt, vires nostræ gratia JEsu Christi; *Dominus fortitudo mea &c. Auxilium meum à Domino*, Ps. 17. 2. Ps. 120. 2. Omnes sancti sacerdotes, maximè autem sancti pastores fuêre homines orationis; *orationibꝰ vixerunt*. Visi sunt in difficillimis pugnis totas noctes & dies in oratione transegisse. S. Ambrosius ab Imperatrice Justina oppressum se videns, aliud non faciebat, nisi orare; totus populus plenus zelo, ait S. Augustinus, l. 9. conf. c. 7. resolutus erat mori cum suo episcopo, & in hunc finem integris noctibus in ecclesia vigilabant. Et in hac occasione, ut populo levaretur tædium, quod in tot gravibus & diutursis laboribus ipsis subrepere poterat, ordinatum fuit, ut hymni & psalmi tali modo secundùm ecclesiæ orientalis usum decantarentur. O si sancti tali modo oraverunt, quid nos facere convenit, qui undique invenimus, unde nobis timeamus, non solum foris, & extra nos, sed etiam intus. Igitur oremus instanter & sine cessatione ad Deum auxiliatorem nostrum recurramus. O Domine mi-

ſerere mei; noli permittere, ut ſim ulterius in gaudium hiſce malignis ſpiritibus, qui non minùs tui, quàm noſtri ſunt inimici; tu ſcis, quid de nobis, & contra nos cogitent, nec aliud intendunt, niſi perdere nos; ah! quomodo coram illis ſubſiſtere poterimus, ſi in adjutorium noſtrum non feſtines! libera nos ab his famelicis leonibus, ab his rugientibus, præparatis ad eſcam & prædam. Deus meus, in adjutorium meum intende, repelle à me draconem hunc, qui in me inſurgit; Tob. 6, *ecce enim invadit me. In te inimicos noſtros ventilabimus cornu, & in nomine tuo ſpernemus inſurgentes in nobis.* Pſ. 43. 6. Si temetipſo me veſtias! ô JEſu, non ſolùm ero invincibilis, ſed etiam invulnerabilis, in te ſolo totam fiduciam meam pono, totum à te ſpero, & exſpecto. *Miſericordia mea, & refugium meum, ſuſceptor meus, & protector meus; ſuſceptor, ne cadam; erector, ne hæream, protector, ne feriar* S. Auguſtinus in Pſ. 143. n. 2. Pro præparatione ad Miſſam; uni te huic adorando capiti, & duci totius militiæ chriſtianæ indue te juxta exhortationem apoſtoli, armaturam Dei, ut poſſis ſtare adversùs inſidias diaboli; verum eſt, diabolum inimicum omninò formidabilem eſſe, & gigantem armatum; ſed ſpoliavit illum armis ſuis Chriſtus JEſus; affixit illum cruci, tam

quam

quam currui suo triumphali, *principatus & potestates traduxit confidenter, palam triumphans in semetipso*, Coloss. 2, 15. Pedibus eos substravit millionum fermè christianorum, infinitorum quasi infantûm, & simplicium puellarum; exemplum generosorum istorum athletarum animos nobis addat; & quia discimus à SS. PP. sanctissimã eucharistiam eos specialiter in pugna ipsorum confortasse, studeamus etiam nos dignè communicare; & non habebimus, quod timeamus; *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. 8. & pro gratiarum actione addamus etiam hoc cum S. Augustino in eundem Psalmum n. 10. *qui hanc annonam dedit pugnanti, quid servat innocenti?*

FERIA SECUNDA.

Non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs principes & potestates; adversùs mundi rectores tenebrarum harum; contra spiritualia nequitiæ in cælestibus; propterea accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. Ephes. 6. 11.

De inimicis nostris, contra quos pugnare debemus.

1. Quinam sint?
2. Quem ordinem in hac pugna servare debeamus?

PUNCTUM I. DAnt nobis ista apostoli verba locum & ansam examinandi pro continuatione antecedentis meditationis, quinam sint inimici, quibus cum nobis pugnandum? primus & maximè formidabilis, est diabolus, quem S. Paulus hìc nominat principem tenebrarum; *& alibi Deum hujus sæculi;* 2. Cor. 4. per quod discimus, quanta sit ipsius vis, & potestas nempe talis, ac tanta. ut juxta sententiam S. Jobi, nulla ei comparari possit super terram; *non est super terram potestas, quæ ei comparetur,* Job. 41. 24. Mortalis est inimicus, & irreconciliabilis, ac juratus in ruinam nostram; applicat se solicitudine & vigilantiâ quadam infatigabili, ut hanc suam intentionem & finem in opus deducere valeat; adhibet in hunc finem omnia artificia, insidias, & vires suas; nunquam quiescit; *nunquam malitiæ suæ otium facit.* Primis ecclesiæ sæculis, ait S. Augustinus, in Ps. 39. *hostis ille noster leo fuit cum apartè sæviebat; modò draco est, cùm occulte insidiatur;* maximè ac præ aliis aggreditur bonos, & malos adhibet, per quos illis bellum inferat; relinquit superbos, avaros, & impudicos, quia amici ejus sunt, & ut ità dicam, *voluntarii ipsius, diabolus non persequitur, nisi bonos; malos enim, luxoriosos, cupidos, & superbos persequi*

dia-

diabolus non consvevit; amici enim sunt sui, & semper voluntatem ejus faciunt; & in tantum eos non persequitur, ut etiam per illos persequatur, ibid. En primum inimicum, quem timere debemus, & qui quotidie infinitos propemodum christianos laqueis suis capit & illaqueat. Secundus est mundus, mundus hic accipi non debet pro cœlo, & terra, neque pro iis, quæ à Deo creata sunt, sed pro infectione, & corruptione, quam peccatum in mundum invexit, ait S. Augustinus. Mundus, seu sæculum istud corruptum est, quod non nisi peccatum spirat; societas est malorum, hominum carnaliū, & vitiosorum. Variè nos impugnat hic mundus; per sua prava exempla; per suos periculosos discursus; per sua principia perversa; per minas suas, & persecutiones, imò etiam per favores suos æquè, ac per suas delicias, ac blanditias, adeò ut illum impugnare debeamus, ni Dei inimici esse velimus; ait enim S. Jacobus; *adulteri, nescitis, quia amicitia hujus mundi inimica est Dei? quicunque ergo voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur*, Jacob. 4. 4. Tertius inimicus, quem impugnare debemus, est caro, seu corpus nostrum, quod nos impugnat per suas corruptas inclinationes. Est hic inimicus eò magìs timendus, quò intimior nobis est; *inimici hominis*

domestici ejus, Matth. 10. 36. *Ubique circumferimus inimicum nostrum*, ait S. Bernardus, serm. 5. in Quadrag. n. 1. *Carnem hanc loquor, de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimìs ipsâ origine, sed multò magìs pravâ consuetudine vitiatam. Hinc est, quod tam acriter caro adversùs spiritum concupiscit; quòd assiduè murmurat, & impatiens est disciplinæ; quòd illicita suggerit; quòd nec rationi obtemperat, nec inhibetur ullo timore.* En inimicos nostros, contra quos nobis certandum! quilibet eos cognoscere, clerici verò perfectiorem illorum cognitionem habere præ aliis debent; quia de hoc non solùm instruere debent populum suum, sed etiam ideò, quòd magìs quàm alii iis expositi sint, prout nos monet Salvator in persona S. Petri; *Simon, Simon, ecce sathanas expetivit vos, ut cribraret, sicut triticum*, Luc. 22. 31. Ista repetitio, *Simon, Simon*, denotat, monitionem hanc summi esse momenti, igitur & scire, & timere debemus inimicos adeò periculosos; quia autem hoc nondum sufficit, sed insuper etiam impugnari debent;

PUNCTUM II. Considera nunc modum, & ordinem in hoc certamine observandum. Hunc juxta veterem quemdam authorem, docet nos S. Paulus, quando 1. Cor. 9. ait; *sic pugno, non quasi aërem verberans*,

rans, sed castigo corpus meum, & in servitutẽ redigo. Ostendit per hæc verba apostolus, ut non præcisè aërem verberemus, oportere ordinem quemdam observàri in hoc prælio, quod idem est, ac si dicat, initium fieri debere ab hoc, ut propria caro dometur, antequam pugnam ineamus contra dæmones, ex qua victores recedamus; *sic pugno, non quasi aërem verberans &c.* Vide hìc, ait Cassianus Instit. Lib. 5. 17. 18. Apostolum totam suam pugnam reducere ad castigationem seu mortificationem corporis sui, hoc enim superato, & quasi pedibus suis subjecto, quasi super cuurru triumphali positus vehebatur, *ut sublimis triumphator invehitur;* post tot reportatas coronas merebatur pugnam inire, etiam cum potentissimis quibusvis inimicis; *robustiorum incipit hòstium subire certamina,* & ut victor aliorum omnium causam habet exclamandi cum fiducia, *non est nobis colluctatio adversùs carnem & sanguinem; sed adversùs principes & potestates tenebrarum harum &c.* ibid. c. 16. Sequamur & nos hunc ordinẽ, si cum fructu certare velimus, initium sumamus à mortificatione carnis rebellis, & postquam hunc in servitutem reduxerim9, tentare etiam certamen possumus cum dæmonibus, ac spem de victoria contra illos concipere: *illud enim est cunctorum lu-*

ctaminum. velut solidissimum quoddam fundamentum, ait Cassianus, ibid. *ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur; nam nullus, carne propria non devicta, legitimè decertare poterit, & qui legitime non decertat, sine dubio nec in agone confligere, nec coronæ gloriam, victoriæ gratiâ, poterit promereri.* Secutúsne es hunc ordinem? didicistíne superare tentationes diabolicas, per & ex victoriis, quas à temetipso reportasti? qualis apparentia, & verisimilitudo, quòd vincere possis dæmones, spiritus istos malitiæ per sex millia annorum, damno tot magnorum virorum in hac pugna omninò versatorum & exercitatissimorum, si quotidiè in bello, quod tibi caro tua movet, vel mundus suscitat, succumbis? scitò, quòd hi spiritus superbi *non nisi victoribus tantùm concertare dignantur.* ibid. Pro Missa; roga Christum JEsum, ut doceat te artem hanc vincendi inimicos tuos, & quia, ut in hac pugna victor existas, corpus tuum mortificare, & spiritum hujus mundi abnegare debes; noli despondere animum, Memento, locum te tenere pauperum discipulorum JEsu Christi, qui evãgelium illius ideò ubique divulgarunt, quia viri erant mortificationis; quia gloriã & divitias hujus mundi contempserunt. Si fuissent homines voluptuosi, negotiatores,

res, circumforanei, quemadmodũ tot clerici nostri temporis, nequaquã regnũ diaboli subvertissent; eosdẽ inimicos debellare debes; imitare illos; & antequã ad altare accedas, applica tibi ipsi pulcherrima verba ista S. Greg. hom. 32. in Math. *quicunque ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus; nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident; nudi ergo cum nudis luctari debemus; nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs in terram dejicitur, quia habet, unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat.*

* *

FERIA TERTIA.

State ergo succincti lumbos vestros; in veritate, & induti loricam justitiæ, & calceati pedes in præparatione evangelii pacis; in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere; & galeam salutis assumite, & gladium Spiritûs quod est verbum Dei Ephes. 6. 14.

De armis contra inimicos salutis nostræ necessariis; principalia sunt.

1. Scutum fidei. 2. Et gladius verbi divini.

PUNCTUM I. Postquam hortatꝰ nos fuit apostolus ad pu-

gnam; nobisque inimicos nostros indicavit; armis quoque nos instruit pro defensione nostra, illáque explicat, prout S. Hier. in h. l. advertit, sub figura nostrorum armorum ordinariorum, quibus uti solent milites nostri, quando ad pugnam se armant, datque nobis pro *cingulo* veritatem; *state ergo succincti lumbos vestros in veritate. Pro thorace*, justitiam, *induti loricam justitiæ;* pro *calceamentis*, obedientiam prædicandi evangelium; *calceati pedes in præparatione evangelii pacis;* præ omnibus aliis autem scutum fidei nobis commendat; *in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere &c.* uti & gladium spiritualem, *quod est verbum Dei*. Quia verò hæc ultima arma specialiter nobis commendat apostolus, præsentis meditationis materia erunt. Fides igitur generalis nostra defensio est, quàm adhibere debemus contra salutis nostræ inimicos, scuto fidei protecti esse debemꝰ. Nota, quòd cætera arma respectu, seu comparativè ad scutum imperfecta sint; galea caput defendit; lorica pectus; sed non nisi scutum totum corpus protegit; idem etiam est, quoad virtutes particulares respectu fidei; defendunt illæ quidem quasdam animæ potentias, sed sola fides omnes; ad hanc igitur recurrere debemꝰ

in

in prælio, quod contra inimicos nostros nobis gerendum est. *In omnibus certaminibus fide muniamur; quia sicut scutum ipsorum quoque armorum defensio est; & sine hoc, omnis armatus inermis est, ità & hæ virtutes sine fide salvare non possunt. Nam sicut scutum omnia injecta repellit, & recutit, ità & fides omnes diaboli persuasiones extinguit, quamvis quasi lumen rationis habere videantur.* S. Hier. ibid. Tentaris errore aliquo, aut hæresi? sume scutum fidei; oppone tentationi verba ista Christi JEsu; *qui non credit, jam judicatus est.* Joan. 3. 18. Tentaris differre conversionem tuam? utere verbis istis; *ideò & vos estote parati, quia quâ nescitis horâ, filius hominis venturus est.* Math. 24. 44. Tentaris invidiâ, vindictâ, impudicitiâ? repelle à te hæc ignita tela, quæ angelus sathanæ etiam purissimis quandoque animabus objicit, per verba ista, quòd, qui talia agunt, non intrabunt in regnum DEI. Habuistíne hunc recursum ad fidem in tentationibus? o quot victorias amisisti, ideò, quòd hoc fidei scuto te non armaveris! quia verò apostolus alia adhuc arma nobis subministrat;

PUNCTUM II. Assume præter scutum fidei, etiam *gladium Spiritûs, quod est verbum DEI.* Gladius iste, quem apostolus nobis in manus dat, necessarius nobis

est

eſt ad defenſionem noſtram contra illuſiones diabolicas; ſic etiam videmus in evangelio, Chriſtum Dominum alio non fuiſſe uſum medio ad confundendum ſuperbiſſimum hunc ſpiritum, qui eum tentare auſus fuit, niſi verbo Dei; gladius hic ex utraque parte acutus, prout illum alibi vocat apoſtolus, eſt, qui uſque ad cor penetrat. *Cur autem bis acutus?* quærit S. Aug. in Pſ. 149. n. 12. *Dicit de temporalibus, dicit de æternis; in utroque probat, quod dicit, & eum, quem ferit, ſeparat à mundo.* An non verbum hoc gladius eſt? quia Chriſtus JEſus dixit, ſe non veniſſe in mundum, afferre pacem ſuper terram, ſed gladium. En! quàm penetrans ſit gladius iſte! vîſné cernere diviſiones, quas facit? pergit S. Aug. ibid. *disjungit ſanctos, disjungit impios; ſeparat à te, quod te impedit; filius vult ſervire Deo, pater non vult; venit gladius, venit ſermo Dei, dividit filium à patre. Filia vult, mater non vult; gladio dividuntur ab invicem.* Adjungamus & hoc; vult clericus ſervire eccleſiæ, & obligationi ſuæ ſatisfacere, nolunt hoc approbare parentes illius, vel conſanguinei; gladius hic, utraque parte acutus, quæſtionem & litem hanc decidit; noli impediri, vel à patre, aut matre, fratre, ſorore, amico, quicunque demum ille ſit, non placeat tibi, quod à Deo te ſeparat;
&

& sic *utiliter te ille gladius separat, malè te tu conglutinas.* ibid. Gladius hic quotidie in manibus clericorum versatur; utuntur illo, ut rescindant ea, quæ in aliis mala & nociva esse inveniunt. Infelices sanè forent, si ad eundem usum pro seipsis illum non adhiberent, nam ùtút perfecti sint, invenient tamen semper aliquid, quod abscindant sive in verbis, sive in desideriis, sive in affectionibus &c. Nam quis est clericorum qui non sæpiùs in ejusmodi delinquat? qui taliter non utitur gladio hoc in ista vita, in magno periculo versatur, ne ad finē illius animam suam gladio mortis consignet, à quo separetur in æternum à Deo suo, qui vera & sola vita animæ est. Resolve te igitur ad utendum hoc gladio verbi divini, & scuto fidei, ad impugnandum inimicum salutis tuæ; his enim armis reportarunt sancti tot victorias, prout alibi apostolus dicit; *per fidem vicerunt regna; operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum.* Hebr. 11. 13. Pro præparatione ad Missam roga caput & ducem omnium sanctorum, ut sibi unire te velit in sanctissima eucharistia, armisque suis spiritualibus te vestire, & certò tibi persuade, si iis utaris, prout oportet, nunquam te in prælio succubiturum. *Hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra.* 1. Joan. 5. 4.

FE-

FERIA QUARTA.

Assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, & cùm cepisset rationem petere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta. Math. 18. 23.

De peccato habituali.

1. Effectus illius. 2. Remedia contra illud.

PUNCTUM I. AGnoscamus humiliter in persona hujus servi nos ipsos, qui debebat Domino suo decem millia talenta. Quid! possétne quis majoribus debitis gravatus esse quàm nos? an non innumera sunt peccata nostra, prout idipsum quotidie in Missa confitemur? & si Deus rationem nobiscum inire vellet, quid fieret de nobis? tutissimum ac securissimum pro nobis erit, si lacrymis & precibus nostris iram, & justitiam illius flectere, & mitigare studeamus. *Pœniteamus, & indulgentiam ejus fusis lacrymis postulemus.* Judith 8. 14. Nescio, an audere possimus, prout servus iste, ad pedes Salvatoris nostri prostrati petere ab eo modicum adhuc temporis pro dilatione; fecimus hoc jam toties; & quāvis Dominus noster omnem possibilem jam dilationem concesserit, abusi fuimus hâc ipsius gratiâ; & pro eo, ut debita nostra solverimus, nova contraximus, & multi-

multiplicavimus, toties in eosdem defectus relabendo. Ingemiscamus itaque super hac mala consuetudine nostra, & pro materia hodiernæ meditationis eam assumamus; & si fortè Deus abea nos liberasset, tamen haud inutilis erit meditatio, eo quòd tanquam clerici laborare debeamus, ut & alios peccatores ab ea eruamus, & liberemus. Per habitum seu consuetudinem istam intelligitur infelix illa facilitas cadendi sæpiùs in certa quædam peccata, quibus jam assueti sumus! en! quales post se trahat effectus! 1mo. facit, ut facilius labamur; ante talem contractum habitum etiam minimam occasionem labendi timebamus; quandò verò quis talibus peccatis assuevit, nil ampliùs timetur; sopiuntur conscientiæ remorsus; audiamus S. Bernardum l. 1. de consid. c. 2. de hac re loquentem; *quid non evertit consuetudo? quid non assiduitate duratur? quid? quod non usui cedat? quantis, quod præ amaritudine prius exhorrebant, usu ipso malè in dulce conversum est? audi justum, quid lamentetur super hujusmodi. Quæ prius tangere nolebat anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Primum tibi importabile videbitur aliquid; processu temporis, si assuescas, judicabis non adeò grave; paulò post & leve senties; paulò post nec senties, paulò post etiam delectabit.* Ità nempe

pe ſucceſſivè aſſueſcimus, & peccatum familiare nobis fit, quod prius inſupportabile nobis videbatur; facit habitus & conſuetudo, ut facilè labamur. 2do. facit, ut difficulter reſurgamus. *Lex enim peccati eſt violentia conſuetudinis*, ait S. Aug. l. 8. cōf. c. 5. qui triſtem de hac re in ſeipſo habuit experientiam in adoleſcentia ſua. Peccator conſuetudinarius mancipium eſt peccati, & licèt, neſcio, quæ formet ſecum propoſita reſurgendi, vix tamen ſe ab ejuſmodi vinculis exſolvet; ſi quandoque oculos ſuos in cœlum levet, & bonam quamdam de converſione ſua cogitationem formet, ſtatim conſuetudo contracta ſe in contrarium opponet. *Ego ſuſpirabam, ligatus ferro non alieno, ſed mea ferrea voluntate; velle meum tenebat inimicus; & inde mihi catenam fecerat, & conſtrinxerat me; ex voluntate mea perverſa facta eſt libido, & dum ſervitur libidini, facta eſt conſvetudo, & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas.* Ità loquebatur S. Aug. ibid. ante converſionē & baptiſmum ſuum; ex quo apparet difficultas à malâ contractâ conſuetudine deſiſtendi. 3tiò. facit, ut quis obdormiat, & indureſcat in malo; *putruerunt, & corruptæ ſunt cicatrices meæ à facie inſipientiæ meæ.* Pſ. 37. Peccator in tali ſtatu neque concutitur timore inferni, neque nauſeat fetorem peccati, neque
per-

persuaderi se permittit ab hominibus, neque minas Dei attendit; & sic in suis excessibus pergit, ac permanet, quin ex hoc statu exire velit, vel quia amore voluptatis tenetur, vel quia putat, impossibile sibi esse correctionem, vel denique, quia falsò sibi adulatur, Deum adhuc in morte sibi futurum propitium; *impius, cùm in profundum venerit, contemnit.* Prov. 18. 3. Hinc est, quod scriptura hanc peccatoris emendationem inter res omninò difficillimas numeret; *si mutare potest æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cùm didiceritis malum.* Jerem. 13. 23. O quàm periculosus est hic status! vide, utrum non ipsemet fortè in eo hæreas? quod si Deus hanc tecum misericordiam habuit, ut ab illo te præservaverit, vel eduxerit, ostende peccatoribus, quanto in horrore illis esse debeat peccatum habituale seu consuetudo peccandi; & ut hoc efficias, ab eáque illos retrahas;

PUNCTUM. II. Vide, qualia remedia in contrarium adhiberi debeant? primum, idque omnium efficacissimum, est voluntas, & sincerum desiderium propriæ conversionis, & emendationis. Siquis salvari velit, oportet, ait S. Aug. ibid. c. 8. *velle fortiter, & non semisauciam, huc atque illuc, versare voluntatem.* Si quis infirmam

non nisi & languidam voluntatem habet; suspendet ad tempus malam suam cõsuetudinem, sed tandem iterum in illam cadet, eò quòd non nisi debiles conatus adhibuerit; *similes conatibus expergisci violentiam, qui tamen superati soporis altitudine remerguntur,* ibid. c. 5. 2dum oportet habitui peccandi opponere contrarium habitum, quemadmodum morbi corporis contrariis medicinis curantur; *nam,* ùt ait S. Greg. hom. 32. in evang. *cælestis medicu singulis quibusdam vitiis obviantia adhibet medicamenta; nam sicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur ita Dominu noster contraria opposuit peccatis medicamẽta, ut lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* 3tium. magna solicitudine & curâ sibi ipsi invigilet quis, ne tal consuetudine abripiatur; *laborasti, ut nutrires, labora, ut vincas,* ait S. Aug. hom 45. oportet esse exactum, ac sibi ipsi præscribere pœnitentiam quamdam, quoties quis relabitur, *ut violentiæ pœnitendi,* ait id S. P. tract. 44. in Joan. *cedat consuetudo peccandi.* Denique instanter à Deo petenda est gratia nostræ conversionis. En! aliquo remedia, quæ adhibere potes contra malam consuetudinem! utere illis apud eos qui se curæ tuæ committunt, sed noli tei psum

psum negligere. sit fortè, quòd non verseris in quadam consuetudine peccati mortalis, ob quam omninò indignus fores ad exercendas functiones ministerii tui; verùm an non in consuetudine peccati cujusdam venialis constitutus es? aut multis omninò imperfectionibus subjectus, quas nequidem emendare cogitas? an non mancipium es tuarum passionum quibus non nisi debiliter resistis? teipsum parumper examina; & si hodie celebras, pro præparatione ad Missam roga JEsum Christum, ut animam tuam per attactum sanctissimi corporis sui resuscitet. Resuscita me, divine Salvator, priusquam sepulchro meo inferar; inimici salutis meæ foderūt mihi sepulchrum quoddam, & in illud me conjicere festinant; festina tu quoque Domine Deus meus ad adjuvandum me; quia non nisi duobus digitis absum ab hoc præcipitio; in momenta singula me eò pertrahere intendunt passiones meæ; passio superbiæ prima, & ante alias incedit; passio intemperantiæ, quæ omnibus sensibus meis dominatur, nec quidquam de mortificatione admittere vult, se illi conjungit; passio iræ & impatientiæ alias quoque urgent; socordia mea, quasi vivum me sepelit; impudicitia nonnisi corruptionem generat, quæ meipsum mihi quasi insuppor-

tabilem facit; &c. non possum omnes satellites istos mortis enumerare. O JEsu! erue me de manibus horum inimicorum meorum; confringe catenas malæ consuetudinis, & fac, ut te amem, ubique majori cum fidelitate deinceps serviam. *De necessitatibus meis erue me; age, Domine, fac; excita, & revoca nos; accende, & rape, flagra; dulcesce; amemus; curramus.* S. Aug. conf. l. 8. c. 4.

)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(*)(

FERIA QUINTA.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat illi centum denarios, & tenens suffocabat eum, dicens; redde, quod debes. Et procidens conservus ejus rogabat eum dicens; patientiam habe in me, & omnia reddam tibi; ille autem noluit. Math. 18. 28.

De processibuus.

1. Quantùm ab illis abhorrere debeant clerici,
2. Rationes, quare evitari debeant.

PUNCTUM I. MEritò detestamur processũ hujus ingratissimi, & inhumani servi, qui acceptâ hâc à Domino suo gratiâ remissionis, & cõdonationis decem millium talentorũ adeò crudelis fuit,, ut conservum suum violenter apprehensum penè suffocaverit, tamque immisericorditer eum urserit, quoadusque solveret centum illos denarios, quos eidem

eidem debebat; & tamen minimè attendimus ad tot alios, qui hunc ipsius immitē agendi modum imitantur. Fecit nobis Deus gratiam; communis hic Dominus omnium remisit nobis debita im̄ensa; & tamen an non quotidie videre est christianos, immo & clericos qui fratres suos immaniter cruciant & torquent etiam ob minima quæque. Ferè ubique tristia hæc verba audire est: *redde, quòd debes.* Neque contēti sunt hoc dicere; intimantur iis etiam juridicè, & processus instituuntur, sub nescio quibus gravibus expensis. Opponamus nos hodie ejusmodi juridicis processibus, quorum plerique etiam clerici, ac ministri ecclesiæ tam amantes sunt sub specioso prætextu, & titulo, conservandi jura beneficiorum suorum. Ostendamus illis in hac meditatione, quòd ejusmodi processus evitare deberent. Admonitio hæc est ipsius Christi Domini, data discipulis suis; *si quis vult tecum judicio contendere, & tunicam tuam tollere,* ait apud S. Math. cap. 5. 41. *dimitte ei & pallium.* & in S. Luca, cap. 6. 30. *qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* S. Paulus, magnus hic interpres evangelii, scribens ad Timotheum, 2. ep. 2. 24. absolutè ait; *servum Domini non oportet litigare.* Adhuc expressius & clarius mentem suam aperit; *jam quidem omninò*

delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos. 1. Cor. 6. 7. Quare non patimini potiùs injuriam? nota, ait hìc S. Chrysost. apostolum non solùm reprehendere Corinthios, quòd causas suas detulerint ad infideles & gentiles judices, sed etiam ideo, quòd inter seipsos contenderent; *duplex est crimen, & quod judicio quis contendit, & quod apud infideles.* En authoritates, quæ sanè persuadere hoc nobis possint. Verùm est, exinde non inferri, processus juridicos absolutè malos esse, & prohibitos; sed solummodò tales sunt, si quis illis abutatur. Cōveniunt omnes, permissos esse, imò quandoque necessarios; verùm, quia raro evenit, ut quis absque peccato talibus processibus se implicet, hinc quilibet eos cavere debet, præsertim clerici, qui ratione professionis seu vocationis, & statûs sui, ad majorem renuntiationem rerum temporalium obligati sunt, & ut omnem occasionē divisionum, seu dissensionum, & litium inter fideles tollant, & præscindant. Et tamen eò jam deventum est, ut ordinariè plerumque præ aliis in publicis audientiis, & judiciis compareant, & audientur clerici, si vel minimam quamdam causam, vel occasionem inveniant; *clamant in foro, silent in claustro,* ait quidam summus pontifex, loquens de certis quibusdam religiosis,

Non

Non debet dissimulari hoc; experientia id satis declarat; non ardentius, non obstinatius, non intractabilius litigatur, nisi à clericis, si semel processum aliquem inceperint; si ii, contra quos jura sua, vel prætensiones urgent, contra illos indignationem, amaritudinem, vel etiam odium concipiant, & foveant, parùm ipsi hoc curant, modò tandem sententiam sibi favorabilē obtineant. O quam longè absumus ab illo perfectionis statu, in quo fuêre clerici primorum sæculorum ecclesiæ! processus tales erant tunc temporis tam rari, & incogniti, ut plures episcopi gloriari potuerint, neque ipsos, nequè clerum suum, ullum unquam habuisse processum; hanc sibi gloriam vindicabat Theodoretus Epist. 81. ità scribens; *annos viginti quinque ita vixi, ut nec in jus vocatus sim à quoquam, neque ipse quemquam accusarim. Nullus religiosissimorum clericorum, qui sub me fuerunt, tribunalia frequentavit unquam.* Anne inveniri possit diœcesis aliqua, vel clerici, qui eandem ab episcopo suo laudem mereantur? verùm quia tales processistæ non carent suis prætextibus;

PUNCTUM II. Veniamus etiam ad rationes, quare vitari debent tales processus. 1mo. jactura temporis. Cur putas, Dei Filium separasse ministros suos à re-

liquis fidelibus, seu plebe, & specialiter pro servitio S. altaris eos deputasse? factũ hoc fuit, ait S. Ambr. l. 2. de fuga sæc. c. 2. ut discerent exinde, *cui Deus portio est, nihil debere curare, nisi Deum; & quòd ad alia officia confertur, hoc religionis cultui decerpitur.* Si juxta mentem sanctorum totum illud tempus deperditũ censeri debet, quod ad acquisitionem bonorum æternorum non applicatur, quid cogitandum, & judicandum de tempore illo, quod ministri ecclesiæ insumunt ad instituendos & prosequendos processus suos, ad consultandos advocatos, ad excitandam negligentiam Procuratorum; ad lucrandos Judices, vel illos, qui authoritate quadam apud illos pollent, ut causa ipsorum per eos commẽdetur; & promoveatur? anne ideo sacerdotes consecrati, & facti fuêre, ut ejusmodi negotiis vacarent? qualis prævaricatio & abusus sacri ministerii, videres pastores seu curatos pluries in judiciis apud Advocatos, Procuratores, quàm in ecclesia, aut parochia sua? an non ingemiscere debemus cum propheta: *dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum,* Thrẽ. 4. 1. 2do. ad jacturam temporis adjungi debet jactura quietis, seu pacis, reddituũ sacrorum, & spiritûs ecclesiastici. Quam requiem habere poterit talis inter strepitũ juda-

judicalem, inter clamores & contentiones Procuratorum & Advocatorum. Inquietantur tales, modò per longas & molestas prolongationes; modò ab eventu, & fine processûs, nunc solutione expensarum, quæ magnæ solent esse; & si peccunia hæc à redditibus ecclesiasticis sumatur, en! patrimonium pauperum in usus profanos expensum! denique amittitur spiritus ecclesiasticus; processus aliquis juridicus continua quædam distractio est; talis parochus litigator sine scrupulo parociam suam deserit, & nil boni in ea facit; est talis sacerdos in altari, in confessionali, in divino officio, absque attentione; pro eo, ut suis se functionibus applicet, totus occupatus, & immersus est processui suo; die, noctùque de his rebus cogitat; *dies diei eructat lites*, ait S. Bernardus l. 1. de Consid. c. 3. ad Eugenium Papam, *& nox nocti indicat malitiam.* Denique peccata, quæ ejusmodi processus, seu lites comitari solent, fugam illorum certè nobis persuadere deberent; hinc tanti momenti consilium dat Sapiẽs: *abstine te à lite, & minues peccata.* Eccles. 28. 10. Oriuntur ordinariè tales processus ab avaritia, ambitione, vindicta, vel alia simili peccaminosa passione, *unde lites in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris*, ait S. Jacobus cap. 4. mala fides, mendacium, injustitia,

processum extendunt; & quandoque corruptio inter ministros justitiæ tanta est, ut ipsi quoque violent leges, qui tamen constituti sunt ad eas conservandas; & nullum quandoque innocens auxilium, vel subsidium reperit in tribunalibus; *inter leges ipsas*, ait S. Cyprianus, Epist. ad Donat. *delinquitur; inter jura peccatur; innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur.* Nemo innocentē defendit; nam quis est, qui illius in se defensionem suscipiat? *advocatus?* sed hic ipse quandoque ministerium suum deturpat, *Patronus prævaricatur, & decipit. Judex?* hic quandoque sententias suas venales habet, *sententiam vendit.* Fortè ille ipse eadem crimina committit, qualia vi officii sui punire deberet, & parum solicitus est, etsi innocens condemnetur, modò, ut reus compareat; *qui sedet crimina vindicaturus, admittit, & ut reus innocens pereat, fit nocens Judex.* Annon tam grandes excessus cohibeant in clericis aliquibus pruritum illum ad litigandum, & processus? ergo bona mea amittere debeo? ais; quæso, quis prohibet, quin arbitros eligere valeas? *non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare fratrem?* 1. Cor. 6. 5. sed si fortè absolutè necessarium sit, judicem convenire, memor esto, præstare aliquid perdere, quàm vel veritatem, vel justitiam, vel charita-

tem

tem lædere. En! qualiter comparatus esse debeas! Pro Missa roga Dominum nostrū, ut taliter sentire valeas; & si defactò jam abhorres ab ejusmodi litibus & processibus, pete à Deo gratiam istam pro omnibus clericis, litium amatoribus. Ad hoc te invitat ecclesia; fac ô Domine, ut nunquā amplius inter nos sermo audiatur de processibus; *ne litis horror insonet. Extingue flammas litium* in cordibus omnium ministrorum tuorum; & fiat per gratiam tuam, ut hanc ipsam resolutionem nos hodie capiamus, quam olim cuidam prophetæ tuo inspirasti: *non enim in sempiternum litigabo*, If. 56. 16.

FERIA SEXTA.

Tunc vocavit illum Dominus suus, & ait illi; serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit & te misereri conservi tui, sicut & ego misertus sum tui. Math. 18. 32.

FINIS PROCESSIBUS IMPONENDUS.

1. Præcipuè pastores laborare debent, ut finis processibus imponatur.
2. Qualem modum seu regulas circa hoc observare debeant.

PUNCTUM I. NOn sufficit, si clerici solùm evitant ejusmodi processus, seu lites, prout heri diximus; sed debent insuper talem aversionē

etiam

etiam populo suo inspirare, & validè se opponere ejusmodi pruritui ad lites, qui quandoque in parochia ipsorum regnat. Exemplum illis quoad hoc præbet rex iste evangelicus, dum adeò graviter reprehendit, & correxit servum hunc malū, qui adeò crudeliter in conservum suum desæviit. Christiani, qui inter seipsos lites tales habent, debent ex parte sua recursum suum habere ad clericos sapientes, & prudentes, præcipuè ad suum proprium pastorem, ut funestas sequelas talium processuum evitent. Debent certò sibi persuadere, decisionem talium temporalium negotiorum melius tractari à quodam prudente, & pio viro, quàm coram tribunali judicis, qui etsi fortè majori intelligentia & scientia præditus sit, sæpe tamen se pecuniis corrumpere sinit, vel ab amicis, vel donariis. Clerici præsertim autem pastores sunt sapientes isti, ad quorum tribunal, seu judicium confugere christianos vult apostolus juxta explicationem SS. PP. *Quibûs nos molestiis aflixit apostolus*; ait S. Augustinus de opere Monach. c. 9. *quem tamen laborem non sine consolatione Domini suscipimus pro spe vitæ æternæ, ut fructum afferamus cum tolerantia; servi enim sumus ejus ecclesiæ, & maximè in infirmioribus membris*, Pergit idem S. P. c. 29. *Nos excusare possumus*

sumus, etiamsi contemptibiles simus, quia & hos collaborare voluit apostolus, si sapientes defuissent, potiùs quàm ut negotia christianorum deferantur in forum. En igitur unam ex obligationibus tuis, ad quam fortè nullam hucusque fecisti reflexionem, prout oportet. Debes pacem invehere inter familias; impedire injustitias, & dissensiones, recōciliare patres cum filiis, & vicissim. Et quomodo hoc facies, si non studeas eorum differentias seu lites componere? ad quos vis ut confugiant pauperes rustici, si à divitibus vel dominis suis injustè vexentur, nisi ad suum parochum, quem tanquam patrem suum communem considerant, & ùt protectorem oppressorum habent, ac venerantur. O quot mala impedire posses, si laborem hunc eos audiendi in te susciperes, illísque bonum quoddam consilium suggereres! & ut ad praxin deveniamus;

PUNCTUM II. Postquam vidisti obligationem clericorum, præcipuè pastorum, ad terminandas ejusmodi controversias eorum, qui ad eos in hunc finem confugiunt, æquum est, ut modus quidem, & certæ regulæ assignentur, ad faciendum hoc ipsum, prout oportet. Non possumus melius hoc præstare, quàm si eis proponamus exemplum & modum agendi, quem ipse S. Augustinus tenuit. Possidius, discipulus

hu-

hujus sancti episcopi, qui vitam illius scripsit, ait: eum, ut huic præcepto apostoli satisfaceret, multum temporis insumpsisse huic negotio, ut suorum differentias, & contentiones componeret, si ad eum recursum habuêre. Minimè hoc faciebat ex spiritu quodam ambitionis proprii interesse, vel prujtu authoritatem quamdam ex hoc sibi acquirendi, sed unicè ex motivo purissimo pietatis, admirabili sedulitate ad hoc se applicabat; *causas audiebat diligenter, ac piè!* faciebat etiam ideo, ut exinde in cognitionem veniret, *quantum quisque vel in fide, bonisque operibus proficeret, vel ab eis deficeret.* Utebatur ejusmodi occasionibus, ad inspirandum illis certas quasdam sanctas regulas seu principia christiana; *& eos, quò adipiscerentur vitam æternam, admonebat, & docebat. Nihil aliud quærens ab iis, nisi tantùm obedientiam, & devotionem christianam,* in Vita. c. 14. Denique schola erat virtutis, sanctuarium pietatis, & cathedra veritatis, ubi docebat contemptum falsorum bonorum, & vanorum honorum terræ hujus; amorem pacis & concordiæ, spem & ardens desiderium felicitatis æternæ. Magnus hic episcopus, ait Possidius, ibid. *faciebat hoc tanquam speculator à Domino constitutus domui Israël.* Ipse hic S. Doctor docet nos in quodam sermone mo-

dum

dum omninò paternum, quo usus fuit ad terminandas ejusmodi suorum clericorum & religiosorum differentias, non adhibendo ultimum rigorem, & severitatem juris, instar judicis; sed plenas charitate dando decisiones, prout patrem & pacificatorem decet; *sed si pueri isti,* ait serm, 49. de divers. *servi Dei sunt; litem hanc inter illos citò finimus; audio illos ùt pater, & fortè melius, quàm pater ipsorum.* Item ait, *videbo, quid sit juris, sicut Deus voluerit, cum paucis, fratribus fidelibus honoratis de numero vestro, id est, de plebe ista.* En modum quemdam excellentem pro omnibus pastoribus & ecclesiæ ministris! felices illos, qui eum imitentur, & sequantur; facilè enim terminabunt processus, & magna bona in populo præstabunt. Fac reflexionem super illũ, antequam ad altare accedas; & roga Salvatorem animarum nostrarum, ut tibi concedere dignetur talenta, & gratias necessarias, ut in negotio tam difficili ritè procedere valeas, O Domine, qui vis, ut ministri tui sint *sacerdotes pacis*, Ter tull. de Spectac. c. 18. qui nos misisti pacem nobiscum ferre, quocunque ibimus, fac, ut ministerium hoc nostrum ità exerceamus, ut corda illorum, qui ad nos recurrunt, unire, & differentias illorum componere valeamus, ut tandem consequi mere amur

præ-

præmium illud pacificis promiſſum; *beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*, Math. 5. 9.

DIE SABBATHI.

Sic & Pater meus cœleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris, Math. 18. 35.

De odio & inimicitiis.

1. Quamprimum iis reſiſtere debemus.
2. Et cauſas ſeu occaſiones reſcindere.

PUNCTUM I. Concluſio evangelii hujus, finis eſt & intentum parabolæ, quam Chriſtus JEſus in illo nobis proponit, ad perſuadendum nobis, ut invicem nobis ignoſcamus, & longè à nobis rejiciamus odia, & inimicitias. Verùm imaginari nobis non debemus, quaſi verò Salvator iis tantùm minetur, qui notabiliter; & quaſi viſibiliter exulcerati ſunt; qui inimicitias publicas fovent; qui malè tractant próximum ſuum, eíque neſcio quas violentias inferunt; damnat enim etiam eos, qui averſiones quaſdam ſecretas fovent, & charitatem fraternam in cordibus ſuis extingui permittunt; id, quod inter clericos ordinariè fit modo quaſi inſenſibili, & imperceptibili; ſubitâ indignatione abripimur; amaritudinem concipimus, averſiones admittimus; omnia nobis diſplicent, quæ ab aliis nobis obveniunt,

unt, quos pati non possumus; & sic tandem permittimus, ut extinguat in cordibus nostris diabolus charitatem, modo quodam eò periculosiore, quò minus ad illam attẽdimus; fitque aliquis instar illius homicida, non quidem in oculis hominum, qui non nisi exteriora vident, sed coram Deo, qui ad intima cordis penetrat, juxta hæc verba apostoli; *omnis, qui odit fratrem suum, homicida est*, 1. Joan. 3. 15. Contingit etiam quandoque, ut odium tale, quod secretò apud semetipsos fovent clerici, exterius apparent per discursum, dum malè de talibus loquuntur, ex quo inimicitiæ nascuntur, quæ populum fidelem scandalizant. An non jure omnes boni super hoc ingemiscant? igitur resistamus omnibus occasionibus, & causis talis odii, & dissensionum, quas in cordibus nostris seminare vult inimicus salutis nostræ diabolus. Memores simus, Christum Dominum nil aliud nobis adeò commendâsse in evangelio, quàm charitatem; est hoc ipsius magnum mandatum, ex hoc cognoscimur esse ipsius discipuli; mediùmque hoc est, quo etiã alios lucrari poterimus. Etsi omnem & quidem maximum zelum pro gloria Patri sui habuerit, nihilominus vult, ut oblationem & munera nostra in altari relinquamus, ac prius reconciliari cum fratribus nostris

curemus, eoquòd acceptabilius sacrificiũ & oblatio illi esse non possit, quàm cor charitate plenum. Quidquid nos à charitate elongat, à Deo nos separat; nec quidquam jure ab ipso petere possumus, vel ut debita nostra remittat nobis, nisi seriò testari, & contestari possimus, nos quoque ex corde remisisse fratribus nostris offensas; sine hoc enim oratio dominica, quam quotidie, & toties recitamus, nostra erit condemnatio: & dicet nobis Christus JEsus, ex ore tuo te judico, serve nequam; & mensurâ eâdẽ utar contra te, quâ tu mensus fueris aliis. Noli exspectare talem reprehensionem, sed quamprimum reprime in temetipso omnẽ motum, & affectum odii, inimicitiæ, aut vindictæ. Statim, ut tale quid in animo tuo exoriri animadvertis, suprime illud extingue scintillam talem quantocius, ne magnum exinde oriatur incendium, *& sol non occidat super iracundiam vestram.* Cum serpente dormis in sinu tuo, si in corde tuo iram quamdam tecum in lectum feras quod si ira tua est periculosa, odium adhuc longè periculosius est. *Quid est odium?* quærit S. Aug. hom, 42. *ira inveterata; ira festuca est; odium trabs.* Sed penetremus usque ad radicem & originem hujus mali In hunc effectum

PUNCTUM II. Studeamus causas illius

lius tollere, & abscindere, unde nascitur odium? quô nutritur, & conservatur? ordinariè triplicem hanc radicem seu originem habet, proprium interesse, superbiam, & & falsas relationes, seu narrata. Propriũ interesse sæpè intimos amicos separat ab invicem; turbat integras familias; armat fratres contra fratres, & quando agitatur de *meô* & *tuo*, pauci sunt, ait S. Aug. qui non ab invicem diffideant; *meum & tuum; frigidum illud verbum.* Non minores inimicitias etiam superbia causat; feralis & insolens passio ista totum mundum contemnit, à nullo autem contemni, seu sperni se patitur. Aliqua indignatio, vexatio, dicterium quoddam, verbum aliquod pungentius, disputatio quædam ardentior, leve quoddam punctum honoris, sufficit, ut ab invicem separentur, qui prius in optima intelligentia vixêre; *inter superbos semper jurgia sunt.* Prov. 13. 20. Denique falsa narrata magnarum diffidiarum incentiva sunt, hinc notabilem hanc sententiam pronuntiavit Sapiens, Prov. 26. 20. *cùm defecerint ligna, extinguetur ignis, & susurrone subtracto, jurgia conquiescent.* Ut igitur sopiatur & suffocetur in corde nostro odium, quod contra proximum nostrum exurgit, oportet sufferre omnes hasce causas, ex quibꝰ nasci solet. Inducit te proprium tuum in-

tereſſe ad talem ſeparationem? remitte aliquid de jure tuo, ut pacem conſerves; ſi ſuperbia te inſtigat, recurre ad humilitatē; præbet quoad hoc nobis *S*. Greg. Nazianz, exemplum tale, quod ſummæ ædificationis eſt pro omnibus clericis. Agnitus erat pro legitimo epiſcopo Conſtantinopolitano, ex deciſione integri cujuſdam concilii, non fuit unquam ulla electio magis canonica; interim quidam epiſcopi de novo in illud concilium adventantes, offenſi per hoc, quod aliquid ante illorum adventum fuerit deciſum, proteſtati ſunt deinde contra hanc electionem & promotionem. Quamprimum ſanctus hic intellexit, periculum eſſe alicujus turbationis, ſtatim ceſſit jure ſuo, & etiam totius mundi imperio ceſſiſſet prius quam ut pacem turbari permiſiſſet; *ſi propter me commota eſt iſta tempeſtas, dicebat cum Jona, dejicite me in mare, ut vos jactari deſinatis*, Theodoret. l. 5. c. 8. Quantùm ad falſas narrationes, fugere debemus eos, qui alios ad odium & vindictam excitare ſolent; modus cum talibus agendi eſt, ut eos non audiamus; ut pro ſuſpectis habeamus, qui nobis adulantur; & pro inimicis illos, qui inimicos nos eſſe vellent fratrum noſtrorum, ùt S. Bernar. in Dedic. Eccleſ. ſerm. 3. loquitur. Quamcunque humilis, manſuetus, & patiens fuerit

erit David, non invenit tamē melius quoddam medium, & remedium, quàm hoc ipsum, ne odium contra Saulem conciperet, vel se vindicaret. Occasionem habebat optimam; cernebat inimicum in suis manibus; milites, qui cum ipso erant, eum exhortabantur, ut Saulem occideret; & ut efficacius hoc ipsi persuaderent, dicebant: *ecce dies, de quâ locutus est Dominus ad te: ego tradam tibi inimicum tuum, ut facias ei, sicut placuerit in oculis tuis*, 1. Reg. 24. Quid non fecisset David, si eos audire voluisset? sed respondit illis constantiâ summè mirabilî; *propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem.* O si sanctum hunc regem imitareris, certè remitteret, & languesceret brevi passio tua, rejiceres, & propelleres longè à te seductores tales, qui odium in te excitare, & fovere desiderant; brevì certè ad teipsum redires, & insensibiliter te mutatum experireris, Sed maximum & præstantissimum medium cohibendi ejusmodi passionem, quòdque tibi pro præparatione ad Missam servire potest, est, ut oculos conjicias in JEsum Christum cruci affixum, qui se occidi & jugulari permisit instar agni ducti ad victimam, qui nos suum contra aperuerit, nisi præcisè in ultimis vitæ suæ momentis, ut pro suis inimicis & crucifixoribus oraret, quos ùt fratres habebat. *Vide pen-*

dentem, audi precantem: Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt, ait S. Aug. serm. 49. de verbis Michææ c. 6. Ah! quodnã odium subsistere possit in consideratione talis, tantique spectaculi! ô amor crucifixe! Christe JEsu! *vincant misericordiæ tuæ antiquæ, Domine; vincant sapientia malitiam. &c. Planè foderunt impatientiæ foveam, occasiones indignationis plurimas, & quàm maximas ministrantes; sed quid horum fovea ad abyssum mansuetudinis tuæ?* Bern. serm. de passione Domini.

* *

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

Confidimus in Domino JEsu, quod qui cœpit in vobis opus bonum, perficiat in diem Christi JEsu. Philip. 1. 6.

De perseverantia

1. Maximum est ex Dei donis.
2. Quid facere oporteat ad illud obtinendum.

PUNCTUM I. NIl invenio magìs cõsolatorium, quàm epistolam hodiernam, in qua apostolus ait, se minimè dubitare, Deum, qui in nobis opus salutìs cepit, illud quoque perfecturũ; sed non invenio etiam, quod nos magìs animare, & excitare debeat ad orandum, siquidem hìc agitur de perseverantia, quæ ex omnibus Dei donis maximum, & summe,

me, ac præ cæteris nobis necessarium est. Nam, quamvis omnes reliquæ gratiæ, quas Deus nobis largitur, sint infinitè æstimabiles, & æterna gratitudine dignæ, fateri tamen oportet, donum perseverantiæ, quæ corona est omnium aliorum, prorsus singulare, & primas meritò mereri. Hinc est, quod illud S. August. de dono persev. apellet *magnum Dei donum, quo cætera conservantur* & diabolo potestatem aufert ea nobis rapiendi. Est instar ultimi gradûs, super quo ad thronum ascendimus; ultimus lapis, qui concludit, & firmat ædificium salutis nostræ; uno verbo, sigillũ est, & ultimus annulus pretiosæ hujus catenæ prædestinationis nostræ, infallibiliterque nos ad possessionẽ gloriæ inducit; *sola est, cui æternitas redditur, vel potiùs, q hominem æternitati reddit; incassum quippe bonum agitur, si ante vitæ terminum deseratur.* Et sanè; quid prodesset vocatos nos esse ad christianismum, & ad statum ecclesiasticum, si obligationi nostræ ad finem usque non satisfaciamus; siquidem salus tantummodò illorum est, qui perseveraverint in via bona, & in praxi, ac exercitio virtutum usque ad vitæ finem; *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit,* Math. 10. 22. *Absque perseverantia, nec qui pugnat, victoriam, nec paleam victor conse-*

quitur &c. Tolle perseverantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo, S. Bern. Epist. 129. Ministri Domini, estote persuasi de hac veritate; prædicate illam etiam aliis; serviat illa ad vosmetipsos humiliandos, & ut de propriis vestris viribus non confidatis. Si adeò felices estis, ut in fide & justitia inter tot excessus, qui ubique in mundo regnant, perseveretis cavete, ne putetis, à vobis hoc provenire, date gloriam soli Deo eique gratias agite; *nisi gratiâ mea plenus esses*, dicebat Deus juxta S. Aug. serm. 10. de verb. evang. ad Eliam prophetam, *nonne ante Baal etiam ipse genu flecteres? gratiâ autem plenus es, quia nihil de tua virtute, sed totum de meâ gratiâ præsumpsisti. Cave ô christiane*, pergit idem S. P. *cave superbiam; licèt enim imitator sanctorum sis, totum semper gratiæ reputa, quia, ut esses aliquid reliquum, gratia in te Dei, non tuum meritum fecit.* Postquam coram Deo agnoveris perseverantiam tuam ab ipso dependere;

PUNCTUM II. Examina nunc media ad eam perveniendi. En duo, quæ te certò eò perducent, si iis, prout oportet, usus fueris; primum est, fideliter cooperari gratiis à Deo acceptis, nam, prout S. concilium Trident. sess. 6. c. 13. ait, *Deus, nisi homines ipsi illius gratiæ persuerint, sicut cœpit opus bonum,*

bonum, ità perficiet, operans velle; & perficere. Visne accipere coronam vitæ? dicebat Spiritus S. in Apocalipsi ad episcopũ Smirnensem, *esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Apoc. 2. Ad nihil serviet tibi benè incepisse, si malè finias. Si ab infantia tua in viis justitiæ, & pietatis ambulasses; si totum mundum ad Deum convertisses, & opus evangelistæ peregisses, si postea vias Domini deseras, ejusque sanctam legem violes, totum, quod fecisti bonum, obliviscetur Deus. Omnia tua opera bona ex ejus memoria, pro tota æternitate, delebuntur, neque aliud exspectare debes, si in tali statu decederes, nisi æternam à Deo vindictam ex tua propria culpa. *Si averterit se justus à justitia, & fecerit iniquitatem, omnis justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur.* Ezech. 18 24. Esto igitur extremè fidelis gratiæ Dei, & in exercitio bonorum operum; quia non dat Deus de via ordinaria gratiam perseverãtiæ, nisi iis, qui benè vixerint; si quandoque etiam aliis eandem dedit. miraculum quoddam erat, cui minimè inædificare, seu fidere debes. 2dum medium, donum perseverantiæ obtinendi, est oratio; *hoc donum Dei suppliciter emereri potest,* ait S. Aug. de dono persev. c. 6. sed requiritur oratio humilis, & quæ ipsa sit perseverans

& constans. Una sola oratio, quamvis ardenter facta, haud sufficit ad impetrandū illum magnum numerum gratiarum, & auxiliorum, quæ necessaria sunt ad superandas tot tentationes, & ad perseverandum usque in finem. sed affirmare possumus perseverantiam in oratione obtenturam, perseverantiam bonæ vitæ. Si clericus huic sancto exercitio insistat, & cum fervore ac fiducia à Deo hanc gratiam petat, ut suis obligationibus satisfacere queat, obtinebit hanc ipsam gratiam pro hac die; si manè hoc ipsum faciat, recipiet similem gratiam; & sic perseverando in exercitio orationis, tandem feliciter ad hoc inæstimabile bonum, & donum perseverantiæ pertinget. O Domine, qui gratiam tuam humilibus denegare non soles, peto à te cum omni humilitate hanc gratiam perseverantiæ, fateor tamen simul, me illâ omninò indignum esse. Ah! etiam justissimi, & sanctissimi viri agnoscere debent, perseverantiam purum donum esse misericordiæ tuæ, quod ipsis non debeatur, quid dicat peccator, qualis ego sum? ô Domine! lubens fateor, me nullum ad donum hoc jus habere, imò quòd potiùs à te derelinqui promeritus fuerim; sed quantumque magna sit indignitas mea, omnia tamen spero de tua infinita misericordia; dirige

rige

rige gressus meos, ô Domine! præserva me à lapsu usque in finem, pro gloria gratiæ tuæ; *usque in senectam, & senium, Deus, ne derelinquas me.* Ps. 70. Pro Missa vel cōmunione; cura, ut tam in præparatione, quàm in gratiarum actione correspondeas amorosissimæ intentioni, & consiliis Christi JEsu in sanctissima eucharistia, qui te ad se trahere cupit. Considera hoc divinum sacramentum tanquam medium quoddam efficacissimum, & certissimum pignus tuæ perseverantiæ in via bona; instanter eum roga, ut modo, quo ipsi placet, id ad finem perducat, quod tanta cum misericordia in te & tecum incepit. *Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.* Ps. 67. 29.

FERIA SECUNDA.

Testis enim mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in visceribus JEsu Christi. Et hoc oro, ut charitas vestra magìs ac magìs abundet in scientia, & in omni sensu, ut probetis potiora &c. Philip. 1. 8,

De zelo S. Pauli pro salute Philippensium.

1. Erat zelus ardens, prudens, & gratuitus.
2. Zelus clericorum has easdem qualitates habere debet.

PUNCTUM I. ADoremus Dominū nostrum J. C. qui

cor

cor Pauli tali, tantòque zelo pro salute a-nimarum implevit; admiremur illum, qui hìc Philippensibus testatus fuit. 1. Est zelus ardens, & quidem adeò, ut illum exprimere haud valeat, sed Deum in testem assumere cogatur; *testis est mihi Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus JEsu Christi.* Videtur, ait in hunc locum S. Chrysostomus, viscera Domini JEsu, in quibus invenire volebat omnes suos, eidem ipsi communicâsse viscera prorsus ignea, quæ omnem ardorem amoris cujusvis naturalis excedant; ut hoc meliùs apprehendamus, audiamus ipsum in sequenti capite ardentiùs adhuc loquentem, *sed & si immolat supra sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis.* Si quis benè perpendat, & meditetur hæc verba S. Pauli, facilè sibi persuadebit, inveniri haud posse desiderium ardentius, quam quo hìc S. apostolus pro salute fratrum suorum ardebat, adò erat zelus prorsus gratuitus, minimè lucro, vel propriis commodis studens; totum quod pro hoc populo petit à Deo est, ut Deum amet, hìcque ipsorum amor semper magis, ac magis crescat; *& hoc oro, ut charitas vestra magis ac magis abundet.* Quid aliud desiderare posset cor divino amore ac charitate proximi ardens? etsi charitas Philippensi-
um

m satis fortis & valida jam fuerit, & ad
ubeundum martyrium; nihilominus hor-
tatur illos ad magis semper laborandum,
ut indies augeatur; quia charitas limites
nescit, & mensuram. *In omni scientia, & in*
omni sensu. 3tio. zelus Pauli erga populum
tum erat prudens. Vult, ut charitas illo-
rum tam illuminata sit, ac ardens, & in-
flammata, ut securi sint ab omni errore
& seductione; *ut probetis potiora; ut sitis*
sinceri; & sine offensione in diem Christi. Cu-
pio; ad eos ait, in vobis charitatem tam
illuminatam, prudentem & intelligentem,
ut sciatis discernere bonum à malo; ut si-
tis puri, & sinceri, & ambuletis benè us-
que in diem adventûs JEsu Christi, quin
cursus vester interrumpatur. Reflectamus
nos super zelum tam grandem, & videa-
mus, an non causam habeamus nos ipsos
humiliandi, & debilitatem cordis nostri in-
cusandi, & reprehendendi? interim quia
hoc grande exemplar est, quod omnes viri
apostolici imitari debent;

PUNCTUM II. Considera zelum tu-
um, ut verus sit, debere habere easdem
qualitates cum zelo hujus S. apostoli; de-
bet esse *ardens*; qui zelum dicit, activitatē
& fervorem dicit; clericus, qui zelum ha-
bet, experitur in anima sua vivum quem-
dam ardorem, à quo accenditur, & inflam-
ma-

matur, quotiescunque Deus viam seu occasionem aliquam aperit, aliquid pro gloria ipsius agendi; debet infimè tangi, & cruciari, si tot peccatores videat errare in via iniquitatis. Potestné ille dicere, se habere zelum, qui tranquillus, & indifferens permanet, quando fratrem suum pereuntem videt? non possumus dissimulare peccata, quae in mundo fiunt; nimis aperta sunt scelera, quae committuntur, quàm ut celari possint injuriae illae capitales, seu gravissimae, quae à tot creaturis rebellibus quotidie Deo inferuntur. Verùm est, dari quidem abusus quosdam, & excessus, quibus remedium aliquot haud apportare possumus; verum est, dari multos peccatores, quos corrigere nequimus, ingemiscere tamen possumus coram Deo, in consideratione tot peccatorum, quae in mundo fiunt, id quod principaliter quaedam sacerdotum zelosorum obligatio est. Narrat S. Gregorius Naz. de S. Basilio, quòd in consideratione malorum, quibus tunc ecclesia affligebatur, adeò pariter afflictus fuerit, ut somnus ab oculis ejus recesserit, prae solicitudine & cura penè emarcuerit, neque finem fecerit, & divinum & humanum implorandi auxilium; continuò in id intentus & occupatus, ut plagis adeò profundis remedium quaereret & invenire

Ità

Ità nimirum seipsum consumere debet bonus pastor pro gloria Dei; debétque studium illius, quod ex zelo adhibet, non solùm ardens esse, sed etiam liberum ab omni proprio interesse, & commodo. Clericus, qui solummodò à respectu humano ducitur, suô ministeriô abutitur; falsus est zelus illius, quia destitutus vero illo motivo, quo animatus esse debet; *non quærimus vestra, sed vos.* 2. Cor. 12. 14. Ecce, quid sibi ipsi bonus sacerdos dicere debeat; nempe non alligare se divitibus, illis solis non servire, zelus est gratuitus; si verum zelum habes, quære pauperes, labora pro illis. Divites solvent, pauperes non habent, unde solvant; sed hoc ipsum est, quod pretiosum & charum tibi reddere debet servitium pauperum, quia Christus JEsus obligavit se, quòd velit solvere, si humanâ recompensatione non movearis, si ejusmodi humanis & terrenis respectibus non ducaris. Denique, quia quandoque zelosus se nimium, quàm oportet, extendere posset, debet insuper esse prudens. Duplex est zelus, unus secundùm scientiam, alter indiscretus. Minimè secundùm scientiam, S. Paulus loquens de Judæis Rom. 10. 2. ait, se quidem fateri, eos zelum habere, sed non secundùm scientiam. v. g. foret zelus, si quis in consideratione

tan-

tantæ multitudinis malorum, seu pecca
torum, quæ sunt in mundo, hujus esse
sententiæ: oportere Deum statim ostende
re justitiam suam, eòsque punire illico
adhuc magis indiscretus foret, si dum af
fligimur ab aliis, & aliquid patiendum oc
currit, nobis imaginaremur, debere Deum
statim causam nostram defendere, & per
secutores nostros castigare. In eundem
nempe errorem incideremus cum illis du
obus discipulis, qui ignem de cœlo petie
runt, ut ingratam civitatem consumeret
eandémque cum ipsis reprehensionem me
reremur; *nescitis, cujus spiritus estis; Filius
hominis non venit animas perdere, sed salva
re.* Luc. 9. 55. Cave, ait S. Aug. in Ps.
93. ne unquam in tales excessus labaris:
*Noli, quia tu transiisti, velle misericordiæ Di
partem subvertere.* Verum medium evitan
di ejusmodi extremitates, in quas conjice
re nos posset indiscretus zelus, est, si qui
suæ propriæ prudentiæ diffidat, & paratu
ac promptus sit, audire aliorum consilia
ipse zelus quandoque zelum ipsum mode
rari debet. Pro Missâ, pete à Christo JEs
zelum talem, qui omnes has qualitate
habeat, quas primùm meditatus. O JEsu
qui facis ministros tuos, angelos tuos, spi
ritus, & ignem urentem; Ps. 103. 4. fa
nos tales par gratiam tuam; dona nobis
quæ-

quæsumus, zelum tam ferventem & ardentem, quem nullæ aquæ tribulationum extinguere valeant; tam purum, & proprii commodi nescium, ut aliud non quæramus, nisi solam gloriam tuam; tam discretum, prudentem, & illuminatum, ut nil unquam moliamur, nisi quod regulis prudentiæ conforme sit; tam firmum & constantem, ut nunquam defatigemur. *Zelum inflammet charitas; informet scientia; firmet constantia; sit fervidus, circumspectus, invictus; nec teporem habeat; nec careat discretione, nec timidus sit.* S. Bern. cant. serm. 20. n. 4.

)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(**)(

FERIA TERTIA.

Abeuntes pharisæi consilium inierunt, ut caperent JEsum in sermone. Math. 22. 15.

De Pharisæis & Christo.

1. Malitia pharisæorum. 2. Prudentia Christi, 3. Confusio inimicorum suorum.

PUNCTUM. I. EVangelium istud in generali tria comprehendit, malitiam pharisæorum, prudẽtiam Christi, & qualiter inimicos suos cõfuderit. Malitia pharisæorum inexcusabilis est. Peccant non per ignorantiam, sed ex præmeditata sententia; *abeuntes consilium inierunt, ut caperent JEsum in sermone.* Demonstrabat illis Dei Filius in tri-

bus parabolis, providentiam Dei continuò vigilâsse super eos, nec quidquam omisisse, quod ad eorum salutem conducere poterat; & hoc ipso tempore, ait S. Chrysost. quo ad se redire, & ad compunctionem moveri debuerunt, & admirari mansuetudinem JEsu Christi, & contremiscere ob ea, quæ ipsis prædicta fuerant, eò quòd ex præteritis de futuro conjecturam facere potuissent; malignitas illorum, & invidia in tantum crevit, ut, dum non auderent eum palam aggredi ob magnam illius apud omnes existimationem, ad artificia & dolos recursum habuerint, ut eum perderent; *invidiâ ebrii, ad insidias convertuntur.* S. Chrysostomus hom. 40. in Math. Proponunt illi quæstiones copiosas & dubias, ut in responsas illius invenirent quid, de quo eum accusare, & odiosum reddere possent apud principem seu imperatorem, & apud populum. O malitiam! ô furorem! ô maledictione omni dignissimâ cœcitatem, quam S. scriptura contra malos & impios pronuntiat! *percutiat te Dominus amentiâ, & cœcitate, ac furore mentis; & palpes in meridie, sicut palpare solet cœcus in tenebris.* Deut. 28. 28. Quantumcunquè detestandus sit modus hic agendi pharisæorum, habet nihilominùs sequaces suos, & imitatores. Valde frequenter contingit

tingit in mundo, ut in id intenti sint homines, quomodò quis capere, & supplantare valeat ministros Christi JEsu; quò magis adhærent, & inhærent veritati evangelicæ, eo plures ipsis tenduntur laquei; denigrantur, quod partes sequantur doctorum severiorum & rigidorum; punguntur verbis amaris, & ut aliis odiosi reddantur, insimulantur, quasi doctrinas suspectas proponunt Quid faciendum tunc ejusmodi veris ministris evangelii? orare debent pro suis persecutoribus, & imitari prudentiam divini magistri sui.

PUNCTUM II. Admirare hìc sapientiam Christi JEsu; potuisset nihil prorsus respondere ad interrogationem & quæstionem pharisæorum, utpotè alio ex fine non interrogantium, quàm ut eum caperent. Nihilominùs responsum dedit, ut spiritus hosce inquietos sedaret, sed modô tali, ac tam prudenti, ut tensos sibi laqueos evaderet dexterrimè, quin eos offenderet. Disce exinde partem aliquam prudentiæ christianæ, nimirùm ut alios, præsertim in authoritate constitutos, omni modô offendere caveas. Generositas christiana, neque crudelis est, nec imprudens; non vult se magnam ostendere, seu jactare per indiscretam quamdam libertatem; cavet, ne sibi negotia quædam & difficultates ad-

ſcidat, abſque neceſſitate; ſolet ſemper cō-
jungere prudentiam ſerpentis cum colum-
bæ ſimplicitate, juxta monitum Chriſti
JEſu in evangelio nobis datum. Omnes
chriſtiani ad hanc circumſpectionem ſunt
obligati; præcipuè verò clerici nunquam
approbare debent aliquod malum ad tur-
piter complacendum aliis, ſed neque de-
bent inutiliter, & abſque fructu irritare il-
los, qui veritati nocere, vel eos in exer-
citia bonorum operum, & miniſterii ſui
impedire vel turbare poſſent. Debent pa-
tienter tolerare infortunia, ſi iis aliqua ac-
cidant; non tamen ultrò ſe iis indiſcrete
exponere; multa talia patientur, ſi fideliter
officio & muneri ſuo ſatisfaciant, non eſt
neceſſe illa prævenire, & abſque ſpeciali
inſtinctu divino iis ultrò occurrere, æquè
malitia chriſtiana, quæ mundana prohibet
ut quis ſe abſque licentia aut mandato du-
cis periculo exponat. Uſúſne fuiſti hac
circumſpectione? quot imprudentias huc-
uſque commiſiſti, quarum te meritò pœ-
nitere debet? eſto impoſterum circumſpe-
ctior; & poſtquam miratus es prudentiam
Salvatoris;

PUNCTUM III. Conſidera, qualiter
inimicos ſuos confuderit. Conjunxerunt
ſe Phariſæi cum Herodianis, ut ſic eum
facilius caperent; & quid aliud tam uni
quàm

quàm alii, nisi confusionem, & dedecus reportant? otdurat illis JEsus os suum per sequentem responsionem ipso planè dignissimam; *reddite, quæ sunt cæsaris, cæsari; & quæ sunt Dei, Deo. O plenam miraculi responsionem, & perfectam dicti cœlestis absolutionem!* exclamat hìc Hilarius comment. in Maih. can. 22. Non decebat dicere iis, qui ex parte Herodis erant, non oportere dare tributum cæsari, qui responsionem hanc pro seditiosâ interpretari potuissent; neque decebat dicere populo quòd obligati sint solvere hoc tributum, quia injuriam populo Dei factam interpretati fuissent. Satisfacit igitur Salvator Herodianis per hoc verbum, & sententiam nimìs quam veram; oportere dare cæsari, quæ cæsaris sunt; neque offendit Judæos, eo quòd absolutè non deciderit tributum hoc cæsari competere, aut non competere, dicit solummodò, dandum esse pro casu, quo illi debeatur. Nemo igitur causam habebat conquerendi, neque accusandi eum, quasi eorum prætensiones damnâsset. Relinquendo autem indecisam hanc quæstionem circa temporale interesse Herodis & Judæorum, occasionem exinde capit stabiliendi hanc regulam, seu fundamentum, *quod dari debeat Deo, quæ Dei sunt.* Principium per seipsum adeò clarum, ut propriâ

suâ evidentiâ confundat malignitatem eorum qui id impugnare, illique cotradicere vellent; silere sic coëgit pharisæos, & satìs clarè iis occasionem præbuit, ut defectus suos hucusque comissos invenire, & agnoscere potuerint, eo quòd homines aliter non peccent, nisi ex eo, quòd Deo non reddant, *quæ Dei sunt*. Semper iis etiam utiles sumus, qui nos tentant, & capere desiderant, si limites moderationis non excedamus. Nunquam ad violentiam recurre, neque ad verba injuriosa contra tuos peccatores, sed stude eos lucrari per tuum silentium, per mansuetudinem tuam & modestiam. Pro præparatione ad Missam, roga divinam hanc sapientiam, quæ mensam hanc, ad quam accessurus es, paravit, quæque te invitare tam sæpè dignatur; ut Spiritu suo te impleat, verùmque fiat id, quod dixit; *ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarii vestri.* Luc. 21. 15.

FERIA QUARTA.

Magister scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces; & non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum. Math. 22. 16.

QUALITATES VIRO APOSTOLICO NECESSARIÆ.

I.

1. Debet esse sincerus. 2. Docere sanam doctrinã.
3. Et esse constans

PUNCTUM I. SEparemus verba ista à malignâ & peccaminosâ intentione pharisæi, & inveniemus in illis omnes qualitates viro Apostolico necessarias. 1mo. debet esse sincerus, & amans veritatis. *Verax*. 2do. debet sanam doctrinam & evangelicas veritates omninò purè docere; *viam Dei in veritate doces*. 3tio. debet esse firmus & constans, & minimè respicere ad personam quamcunquè, si obligationi ministerii sui satisfacere oportet; *non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum*. En qualitates veri alicujus clerici. & boni pastoris, Expendamus illas. Sinceritas, quæ ex modo agendi alicujus clerici elucere debet, non est solummodò illa sinceritas humana, opposita spiritui simulationis, & duplicitatis, ac inimica omnis artificii, & fallaciæ, sed est talis dispositio cordis, vi cujus omnia verba & actiones nostræ regulæ veritatis conformantur; itaque sincerum esse idem est, ac exercere, seu facere veritatem in charitate; *veritatem in charitate facientes*. Ephes. 4. 15. sincerum esse, est totum Dei esse absque divisione; est non habere duos dominos, aut duos thesauros; sincerum esse, est nullum fucum facere in

modo agendi, adeò ut quis fidere tutò possit verbis illius, & minimè imitari hos falsos doctores, contra quos conqueritur Apostolus Tit. 1. 16. *confitentur se nosse Deum factis autem negant.* Clericus, ut primã hanc qualitatem possideat, quam hodie Christo JEsu attribuunt pharisæi, nunquã debet fallaciæ cujusdam argui posse in suis verbis aut actionibus; nunquam inveniri debet apud ipsum, *ita*, & *non*; non debet subjicere veritatem suis consiliis, suis cõmodis, suis passionibus, & secretis intentionibus; non debet se accomodare suis propriis prætensionibus; fides ipsius non debet esse fides temporum, sed debet audacter dicere posse cum S. Paulo 2. Cor. 1. 17. *nunquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundùm carnem cogito, ut sit apud me est & non?* magis adhuc interest, ut omnes ipsius actiones, ac modus agendi veritati confermes sint, & lõgè absit ab eo, ut de ipso dici possit, quod habeat pondus & põdus, mensuram, & mensuram, sed potiùs à contrario debet vita illius esse continua quædam censura & condemnatio hominũ illorum, qui vanitati adhærent, & mendacio pascuntur. Acquisîstine hanc sinceritatem? potestne dici vitam tuam adeò exẽplarem esse, ut publicos excessus, & morũ corruptelam condemnet prout ecclesia id

à te

à te requirit? *censuram morum, exemplo suæ conversationis insinuent.* Pontif. Rom. Si ità est, gratias Deo age; &

PUNCTUM II. Considera, adam qualitatem ministri evangelici esse, *ut viam Dei in veritate doceat.* Via hæc Dei aliud non est, nisi angusta via Christi JEsu, quam ait, ducere ad vitam, opposita nimirum viæ spatiosæ, & largæ, quæ ad mortem ducit. Hanc viam angustā nobis signavit in omni vita sua per omnes suas actiones, præcepìtquè nobis, ut eam nomine suo hominibus annuntiaremus, & prædicaremus; *prædicate evangelium,* quod fieri debet *sine corruptione simulationis,* ait S. Aug. in Ps. 11. ad hæc verba eloquia casta, *multi enim prædicant veritatem non castè; quia vendunt illam pretio commoditatum hujus sæculi.* Proprius amor, qui se per viam hanc arctam nimìs constrictum videt, facit invenire mille media & modos ad reddendam hanc viam spatiosam, largam, & magìs commodā. Volunt homines humiles esse, quin tamen vel minimam humiliationem sustinere velint; pænitentes absque mortificatione sēsuum, & quin sibi ipsis ullam vim inferant; devoti & recollecti absque renuntiatione rumorum hujus sæculi; uno verbò, volunt cœlum intrare, & tamen modò in hac vita gaudere omni commoditate; & quod est

complementum eorum infelicitatis, pro eo, ut homines quærant, qui viam Dei in veritate ipſos doceant, *quærunt magiſtros prurientes auribus* 2. Tim. 4. 3. qui deſideriis, ac inclinationibus ipſorum blandiantur, remorſus conſcientiæ ſopiunt, lacrymas abſtergant; qui dicant malum bonum, & bonũ malũ, tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras qui añuntiẽt ipſis viſiones cordis eorũ, & falſã pacẽ promittant, æquè fatalẽ iis, qui eam dant, ac iis, qui eam accipiũt. Verus JEſu Chriſti ſervus omnia hæc blandimenta & adulatoria evitare debet, *tu autem loquere, quæ decent ſanam doctrinam.* Tit. 2. 1. Oportet tractare peccatores cum omni poſſibili manſuetudine, ſed ſimul etiã iis inſpirare amorem pœnitentiæ, abſtractionem à mundo, obligationem ſerviendi Deo in ſpiritu & veritate, abnegationem ſui ipſius, ut crucem Chriſti portent, eumque ſequantur, obſervando doctrinam evãgelii; *hæc loquere, & exhortare.* Verùm quia impoſſibile eſt, docere puram veritatem, quin homines exaſperentur aliqui, & in nos conſurgant; hinc ſuperiores eſſe debemus ipſorum dicteriis, judiciis, & calumniis, eorumque contradictionem ſpernere, & contemnere mala illa, quæ nobis facere poſſunt; ideò

PUNCTUM III. Ultima qualitas viro apo-

apostolico necessaria, firmitas seu constantia est, dici de illo posse debet illud; *non est tibi cura de aliquo; non enim respicis personam hominum.* Fortè ratione officii & muneris nostri, obligati sumus eos aggredi, qui in authoritate & potestate constituti sunt, illisque sive in confessionali, sive alibi, tales veritates proponere quæ duræ ipsis videbuntur; in hisce occasionibus animum sumere oportet, meminisséque, ordinationẽ nostram non contulisse nobis spiritum timiditatis, sed fortitudinis & generositatis; *non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis.* 2. Tim. 1. 7. Spiritus iste fortitudinis in eo consistit, ut opponamus nos, absque ullo timore, excessibus, & licentiæ vivendi, morum perversitati ac scandalis; ut impugnemus falsa hujus mundi principia, quin ab occurentibus difficultatibus; & contradictionibus absterreamur; ut disciplinam florere studeamus, ac regnare veritatem & evangelium, non obstantibꝰ quibuscunque obstaculis, minis, vel conspiratione malorum ac perversorum hominum. Hic est verus ac genuinus character veri ministri Christi JEsu, quem S. Paulus 1. Tim. 6. 11. ideò vocavit, *hominem Dei*, id est, virum, qui ex sua vocatione & statu, totus Deo dicatus est; qui causam Dei facit suam; qui illius honorem defendit in omni-

omnibus, & contra omnes, quemadmodũ regii vocantur, qui ex officio ſuo obligati ſunt ad defendenda jura, & commoda regis. Hinc etiam atque etiam obteſtatur apoſtolus Timotheum, ut veritatem liberè añuntiet, ut prædicet opportunè, importunè inſtet, obſecret, increpet, tanquã bonꝰ & ſtrenuus miles Chriſti. *Nam arma militiæ noſtræ*, ait, *non carnalia ſunt, ſed potẽtia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem, ſe extollentem adversùs ſcientiam Dei.* Habéſne hanc firmitatem ſeu conſtantiam, quam in miniſtro Chriſti JEſu requirit apoſtolus? quæque adeò emicuit in omnibus ſanctis ſacerdotibus. Tam longè abes fortè ab hac magnanimitate ſacerdotali, ut potiùs ſis unus ex illis debilibus & timidis, qui potentibus hujus ſæculi blandiuntur, qui eos admonere, & corrigere formidant, etiam cùm neceſſe foret, ne ex gratiâ illorum excidas; qui ſe omnibus accomodant, & turpiter negligunt jura & commoda Dei & eccleſiæ ſuæ; *non aſcendiſtis ex adverſo, neque opposuiſtis murum pro domo Iſraël, ut ſtaretis in prælio in die Domini*, Ezech. 13. 5. Pete veniam à Deo ſocordiæ & negligentiæ tuæ præteritæ, antequam ad altare accedas; & pro præparatione ad Miſſam hoc propoſitum fac, quòd nunquam vacillare velis.

velis, si de hoc agatur; quam partem amplecti, & defendere debeas Dei, an hominum? quoties videris, & agnoveris, homines à te tale quid petere, quod Deo contrarium sit, absque hæsitatione dic cum S. Petro; *obedire Deo magìs oportet quàm hominibus*, Act. 5. 29. Vel cum S. Paulo, *si hominibus placerem, Christi servus non essem.* Galat. 1. 10. Vel denique recursum habe ad ista verba JEsu Christi; *nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non possunt occidere; sed potiùs timete eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam*, Math. 10. 28.

* *

FERIA QUINTA.

Cognitâ autem JEsus nequitiâ eorum, ait, quid me tentatis hypocritæ. Math. 22. 18.

DE HYPOCRISI.

1. Quàm odiosum Deo.
2. Et saluti perniciosum sit hoc crimen.

PUNCTUM I. Reprehensio ista à Christo Domino, in hodierno evangelio, pharisæis facta, jure merito non solùm in plurimos ex communi plebe christianorum quadrat, sed etiam multis clericis fieri potest. Non est hoc vitium certæ tantùm professioni seu statui conveniens, & consuetum; sed, quia se apparentiâ virtutis vestit, etiam in ipsam ecclesiam

clesiam, & monasteria, æquè ac in domos sæcularium se ingerit; & quandoque melius, ac tutius latet sub habitu quodam sancto & religioso, quàm sub mundano, & prophano. Verùm quantumvis se occultet, & latere vesit, non est minus abominabile coram Deo, qui animas ejusmodi hypocritarum omninò detestatur; *abominatio est Domino omnis illusor*, Prov. 3. 32. Ministri Domini! qui sacram scripturam legitis; percipite, quomodo de hypocrisi loquatur! ait per os regii prophetæ, Ps. 5. *virum dolosum abominabitur Dominus. Disperdat Dominus universa labia dolosa, & linguam magniloquam*, Ps. 11. 4. Per os Sapientis Prov. 14. 15. monet nos, tales hypocritas & insinceros in suo modo vivendi & agendi nil boni exspectare posse; *filio doloso nil erit boni*. Fulminat maledictionem contra duplicem corde; *væ duplici corde, & labiis scelestis, & manibus malefacientibus; & peccatori terram ingredienti duabus viis*, Eccles. 2. 14. Quilibet in evangelio videre potest aversionem illam Christi JEsu contra hoc vitium, ob illa terribilia anathemata, & maledictiones in pharisæos, Math. 23. qui in hac arte magistri erant. Verùm si quamcunque speciē hypocrisis adeò detestatur Deus, dicamus, eum specialem horrorem contra eos concipere,

qui

qui illam ad usque sacrum altare afferunt, & ad usum rerum etiam sanctissimarum; si nimirùm clerici malè viventes tali velô utuntur, ad suos excessus, & scelera contegenda; nam, quia res sanctæ cum omni respectu & reverentia, ac sanctitate tractari merentur, & exigunt, hinc nil tam injuriosum est Deo, quàm ad talia accedere cum spiritu hypocrisis, & simulationis, *Ne fueris hypocrita in conspectu hominum*, ait Ecclesiasticus, *ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonorationem, & revelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te; quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolô & fallacia*, Eccles. 1. 37. Hinc est, quòd SS. PP. comparent hypocritas, præcipuè omnes illos ministros dolosos & fallaces, qui scelera & excessus suos contegere solent, sub velamine functionum suarum sanctarum, quandoque cum proditione Judæ, qui perfidiã suam sub osculo pacis, & amicitiæ signo occultavit; quandoque cum insolentia Judæorum, qui genuflexi adorabant Salvatorem, & alia eidem signa exteriora exhibuêre, quasi regem eum agnoscerent, ut sic ei illuderent; vel cum crudelitate Herodis, qui tantâ solicitudine in recens natum infantem JEsum inquisivit sub prætextu, & simulatione, quasi eum adorare

vel-

vellet, quem non nisi occidere volebat; *adorare velle se simulat, ut si invenire possit, extinguat*, ait S. Greg. hom. 10. in Evang. ità pariter agere solent tales ministri hypocritæ, qui sub cultu quodam exteriori, quem Deo suo exhibent, vel exhibere simulant, tegunt, & obvelant, injurias reales, quas ei inferunt, longè culpabiliores in aliquo sensu, quàm Judas, Herodes, & Judæi; qui divinitatem JEsu Christi non credebant, dum eum modô adeò indignô tractârunt. Illudunt tales Deo, cujus magnitudinem & majestatem agnoscunt; & contemptus illorum usque ad altare, & sancta sanctorum pertingit; utuntur sanctîs suîs functionibûs ad honorandum Deū destinatîs, ad offendendum illum criminosiùs & sceleratius. Qualis impietas! verùm si hypocrisis adeò horrîbilis & abominabilis est coram oculis Dei,

PUNCTUM II. Non minus perniciosa etiam est saluti, quod facilè intelligi potest; quia hypocrisis destruit 1mo. veram pietatem. Hypocritæ non nisi exteriorem quamdam apparentiam de illa habent; potéstque illis benè applicari, quod Sapiens Eccles. 38. 28. ait; *dabit cor suum in similitudinem picturæ.* En angelos istos in nostris tabernaculis depictos, in forma supplicantium, manibus junctis, oculis demissis,

sis, ac si unicè orationi intenti essent; in qui tamen minimè orant! en! imaginē hypocritæ! si quis eum videat, & audiat ecclesia cantantem, vel alias sacras functiones peragentem, pro sancto haberi posset; sed non est, nisi pura imago, vel pictura; videtur orare, & non orat; valdè modestè & reverenter se gerit, cor autem illius lōge abest à Deo; neque aliud quærit, nisi videri, & æstimari ab hominibus; *tota eorum substantia, mendax est*, S. Hier. 2do. destruit hoc vîtium meritum omnium operum bonorum; *amen dico vobis, receperunt mercedem suam*, Math. 6. 2. Hypocrisis, ait S. Chrysologus, serm. 7. est venenum subtile, & gratum, quod virtutem per ipsam virtutem destruit; *crudeli arte virtutes truncat, mucrone virtutum; jejunium jejunio perimit; orationem oratione evacuat, misericordiam misericordiâ prosternit.* Vocat hic ipse S. P. hypocrisin *tineam sanctitatis*; nam quemadmodum tinea vestem, quam occupat, omninò corrumpit, quam sensim radit, & corrodit; sic hypocrisis omnem sanctitatem destruit, & opera etiam præclarissima, & lucidissima in oculis hominum omni merito coram Deo privat, eoquòd minimè à principio vitæ procedant. Infelix hypocrita! putaris esse bonus! vivis in oculis hominum, coram Deo autem

 mor-

mortuus es, qui totum id rejicit, quod pro gloria ipsius non fit; *nomen habes, quod vivas, & mortuus es*, Apoc. 3. 3tio. denique vitium hoc ordinariè reprobationem post se trahit, ità est, ait S. Greg. M. l. 26. Mor. c. 29. applicens hypocritis hæc verba Jobi cap. 36. 13. *cùm vincti fuerint, non clamabunt.* Si semel in abyssum hunc lapsi fuerint, & scelera sua fallacî apparentiâ virtutis contegere velint, non audiunt amplius clamorem conscientiæ suæ, inebriati vanitate, & falsis laudibus, quas referunt, obliviscuntur malum statum suum, in quo sunt, & tantâ cum fiduciâ moriuntur, ac si pleni essent meritorum: *humanæ laudis aviditatem superati sanctos se esse miseri, etiam cùm in peccatis moriuntur, putant.* Sed invanum, perversitatem & excessus suos sub larva pietatis occultant. Exprobrabit illis aliquando Christus JEsus hypocrisin suam, discedite ministri fallaces, & operarii iniquitatis; voluistis semper in oculis aliorum apparere tales quales non fuistis; non nisi simulata omnia erant, nescio vos; poterunt quidem allegare, quòd in nomine illius prædicaverint, & nescio quam figuram in ecclesia fecerint; *tunc confitebor illis, quia nunquam novi vos; discedite à me, qui operamini iniquitatem*, Math. 7. 23. Discedite infelices, non agnosco

vos;

vos; rejicio vos à me tanquam extraneos & incognitos. *In terra sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam Domini,* Is. 26. 10. Hic falsus pastor, ille sacrilegus clericus usus est habitu suo sancto & religioso, quô indutus fuerat ad tegendas suas infamias; profanavit altare meum, polluit sanctuarium meum; nunquam ingressum inveniet ad me in cœlum. O terribilem sanè comminationem! faxit Deus, ut nunquam in nos cadat! ad evitandum hoc malum, si hodie communicas, vel Missam celebras, hoc tibi faciendum est, ut coram Deo protesteris, te imposterum aliud non quæsiturum, seu intenturum in omnibus functionibus tuis, & toto vitæ, & ministerii tui cursu & tempore, nisi illum solum; & quòd fugere velis omnem respectum, & fines humanos, qui virtutem tuam corrũpere, & omni mercede te privare possent, quam Deus suis ministris fidelibus reservavit, qui simplici corde, & ex solo desiderio ipsi placendi, ei servierint. *Nunc ergo timete Dominum, & servite ei perfecto corde, atque verissimo,* Josue 24. 14.

FERIA SEXTA.

Quid me tentatis hypocritæ. Math. 22. 18.

DE HYPOCRITIS.

1. Quantùm noceant ecclesiæ hypocritæ clerici,
2. Obligatio vitandi illos.

PUNCTUM I. QUamvis ex præcedenti meditatione magnum horrorem contra vitium hypocrisis conceperimus ob injuriam, quam Deo infert, & quod nobismetipsis adeò noceat, nihilominus adducemus hodie novum quoddam motivum, ad illud odiendum, & detestandum nempe, si consideremus extraordinaria illa mala, quæ in ecclesia causant clerici hypocritæ. S. Greg. ait, inter omnes peccatores nullū esse, qui majus præjudiciū ecclesiæ afferat, quàm malos sacerdotes, sed inter malos sacerdotes dicere possumus, etiā nullos magìs nocere ecclesiæ, quàm sacerdotes vel pastores perversos, & hypocritas, qui cor corruptū habent. Isti sunt operarii falsi, & dolosi ministri sathanæ, prout eos S. Paulus appellat, qui se transfigurant in angelos lucis, & in apostolos JEsu Christi ut homines seducant, *operarii subdoli transfigurantes se in apostolos Christi,* 2 Cor. 11. 13. Hi sunt lupi rapaces, qui corrumpunt, perdunt, & jugulant animas, eò majori facilitate, quò sub pelle ovina, quâ contecti sunt, commodius simplicitati fidelium nocere possunt. O quot scelera velantur sub velamine scientiæ vel exterioris cujusdam devotionis! quot

hæreses disseminatæ in mundo per hoc artificium! nunquam Arius, Pelagius, Nestorius, & alii, qui zizania inter triticum seminarunt in agro ecclesiæ, tot post se sequaces traxissent, nisi spiritum hujus sæculi, per pomposam quamdam ostentationem pietatis, & splendorem vitæ alicujus austeræ occultâssent. S. Hilarius Epist. ad Constant. ait, omnium maximè periculosam, quam ecclesia unquam passa sit, persecutionem, fuisse illam, sub imperatore Constantio, qui Arianus erat; quia crudele bellum gessit contra veros fideles, quin eum pro persecutore agnoverint; qui ædificando ecclesias, & altaria construendo, fidem antiquam ecclesiæ pessumdedit; qui se simulando nescio quam religiosum & pium, erga Deum, religionem & fidem destruxit, denegando divinitatem JEsu Christi, quæ ipsius principale fundamentum & gloria est; *ecclesiæ tecta struit, ut fidem destruat &c. Nulla gravior jactura, quàm sub religionis specie Christum opprimere.* En verũ caracterem falsorum Doctorum, & ministrorum hypocritarum; videntur nihil, nisi pietatem, & devotionem, ac reverentiam erga ecclesiam spirare; & sunt illius maximi persecutores; qui corrumpunt puritatem doctrinæ illius; disciplinam subvertunt, principiis, seu doctrinis evangelicis

mundana substituunt; qui morum depravationem inducunt, & pro eo ut animas à peccatis exonerent, quandoque majorum excessuum causa, & occasio existunt. *Ex his enim sunt*, ait S. Paulus, 2. Tim. 3. 6. *qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis*. Est hæc una ex maximis plagis, seu vulneribus ecclesiæ, adeò ut cogatur, prout S. Bernardus ait, usurpare verba Isai cap. 38. 17. ut doloris sui vehementiam exprimere valeat; *ecce in pace amaritudo mea amarissima*. Verum est, dolorem illius satìs amarum fuisse in trucidatione filiorum suorum in tot sanguinolentis persecutionibus gentilium imperatorum; verum est, quod amarum illi acciderit bellum hæreticorum, qui puritatem fidei impugnârunt; sed est modò dolor illius amarior longè, ob bellum istud, quod illi, proprii filii sui, & ministri sacri inferunt per morum suorum corruptionem; maximè autem, si excessus suos sub falsa apparentia alicujus pietatis occultent; *amara priùs in nece martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amarissima in moribus domesticorum*. Ingemiscamus cum S. Bern. serm. 35. in Cant. & serm. in Rom. super tanta perversitate & excessibus, quorum causa hypocrisis malorum clericorum existit, & PUN-

PUNCTUM II. Consideremus modò obligationem nostram, tales hypocritas evitandi. Non ignorant clerici, quòd fugere debeant pravas societates; æquè enim illis, ac cæteris fidelibus dictum est ab apostolo, 2. Thess. 3. 6. *annuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini nostri JEsu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre malè ambulante.* Sed quomodo imaginari sibi quis possit jam sufficere, si quis solùm non adhæreat hominibus impudentibus, quî de malitia sua etiam gloriantur, & non dari obligationem cavendi sibi ab iis, qui nequitiam suam apparentiâ virtutis vestiunt? contrarium sanè nos docet S. Paulus hoc consilium Timotheo 2. Ep. 3. dans; *scito, quòd in novissimis diebus erunt homines habentes speciem pietatis, & hos devita.* Videtur quidem primâ fronte, haud magni præjudicii, vel consequentiæ quid esse, & minimè necessarium, fugere tales personas, quarum externa species pietatem redolet, quam tamen intùs in corde minimè possident; nam videntur tales potius ædificare nos posse, quàm ut nobis noceant. Sed planè haud ità esse debet, siquidem apostolus non in genere tantùm omnibus christianis, sed proprio suo discipulo, & magno episcopo præcipit, devita ejusmodi homines. Ità est; noli dubitare talium

hominum societatem, & commercium longè periculosius esse, quàm publicorum peccatorum; de his enim intelligi debent hæc verba apostoli, 1. Cor. 15. 33. *nolite seduci, corrumpunt bonos mores colloquia prava.* Et in 2da ad Tim. cap. 2. ait: *sermo eorum ùt cancer serpit.* Nemo fidit peccatori aperto; quilibet sibi ab eo cavet; quod malè dicit & facit; neminem movet, quia cautela præcessit, & quivis sibi cavet; verùm nemo diffidit homini, præsertim si sacerdos vel omninò pastor sit, cujus exteriora omnia sunt composita, nec aliud, nisi virtutem spirantia; facilè quis in favorem ipsius se præveniri patitur; dicitur, *homo sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos,* 1. Machab. 7. 14. Paratus quilibet est, audire talem cum reverentia; quidquid dicit, impressionem in anima nostra facit, & sic insensibiliter venenum perversæ doctrinæ illius sugitur, à quo sensim, quidquid sanũ fuit, corrumpitur. Ministri Domini! æquè vobis, ac Timotheo præscribit hoc apostolus, ut ejusmodi homines hypocritas evitetis. Fugite igitur illos, si eos agnoscatis; quia verò non sufficit, vitium istud solummodò in aliis impugnare, vide, an non ipsemet hoc morbo labores; quia difficile est, se ex toto ab illo exemptum putare. Examina igitur teipsum coram Deo, &

quin

quin tibi ipsi blandiaris, vide, utrum interiora tua respondeant exterioribus? utrū devotio & pietas tua tam solida sit, ac tibi ipsi imaginaris? solida pietas consistit in sincera charitate, in humilitate vera, in castitate inviolabili, in constanti & perseverante patientia, in obedientia exacta; quē progressum fecisti in ejusmodi virtutibus? ô quàm meritò adhuc de teipso, & contra teipsum conqueri potes, ac dicere? *Deus lumen cordis mei, lux tua, non tenebræ meæ, loquantur mihi*, S. Aug. Conf. l. 12. c. 18. Pro Missa roga Deum virtutum, ut eas in te augere velit, ita quidem, ut exterior devòtio, & pietas tua, quæ in tuis actionibus elucet, non nisi radius quidam sit ab illa interna cordis devotione, emicans; tunc enim talis coram oculis angelorum eris, qualis coram hominibus appares; & dicent illi, & isti, dum te vident, planè est iste homo de felici illo semine, cui benedixit Dominus; *omnes, qui viderint eos, cognoscent illos; quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus*, If. 61. 9.

* * * * * * * * *)(✝)(* * * * * * * * * *

DIE SABBATHI.

Reddite ergo, quæ sunt cæsaris, cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Math. 22. 21.

De clericis propriis lucris intentis.

 Qui

Qui tales sunt. 1. Sunt ministri temerarii, qui contra voluntatem Domini sui agunt.

2. Ministri inutiles, qui inepti sunt ad functiones statûs sui.

3. Ministri scandalosi, qui ministerium suum inhonorant.

PUNCTUM I. NOn possumus satìs admirari responsionem hanc Christi JEsu; reddite, quæ sunt cæsaris &c. En, per quid obturet ora pharisæorum, qui tanquam avari & superbi liberi esse volebant, à tributo cæsari pendendo? ostendit eis JEsus, hanc solutionē minimè incompossibilem esse cum servitio Dei; ipse solvit hoc tributum, & pro se, & pro Petro, Math. 17. 26. exemplò suo nos docuit, nos non sulùm satisfacere debere obligationi nostræ erga principes, sed oportere cor nostrum abstrahere à bonis hisce temporalibus, quibus aliás tam tenaciter inhæremus; *qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, Luc. 14. 33. En! quid non solùm facere conveniat, ministros & pastores gregis sui, sed insuper omnes illos, qui se ei consecrant, & illum pro Domino ac magistro suo agnoscunt. Veniamus nunc ad clericos, & videamus, quid ab apostolis & ministris evangelii sui exigat. *Euntes prædicate, dicentes, quia appropinquavit regnum cælorum; infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos*

sos mundate, dæmones ejicite; gratis accepistis, gratìs date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris; non peram in via, neque duas tunicas; neque calceamenta, neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo, Math. 10. Benè hæc omnia expende! non petit à te Salvator tantùm; benè autem vides, & colligere potes ex hac instructione apostolis datâ, quod minimè proprii commodi, & lucri studiosus esse debeas; *gratìs accepistis, gratìs date*. Non denego tibi, quòd de altari vivere possis; hoc tamen non impedit, quin gratis dare debeas, id est, nullam facere differentiam inter divitem & pauperem, ratione muneris & statûs tui omnibꝰ debitor es; peribis, si mensura zeli tui cōmodum, & lucrum temporale sit, si quam recompensationem accipias; debet hoc fieri à te adeò generosè ut is, à quo eam accipis, persuasus sit, te ex motivo isto minimè hoc fecisse; istáque terrena bona minimè esse objectum, & finem desideriorum tuorum; quòdque aliud tibi cordi nō sit, quàm ut Christo JEsu servias, Domino omnium opulentissimo. Si ab evangelio transeas ad apostolorum scripta, invenies S. Paulum, 1. Tim. 3. 8. dum dispositiones necessarias ministro suo enumerat, inter eas ponere tanquam quid essentiale:

non turpe lucrum sectantes, ad Titum autem: *non turpis lucri cupidum*, Tit. 1. 7. Vide nunc, quale fuerit motivum tuum, in amplectendo statu ecclasiastico? fecistíne hoc ex zelo serviendi Deo & proximo? vel lucri gratiâ? benè hoc tecum expende; & certò persuasus esto, clericos, qui amore lucri statum hunc amplexi sunt, ministros esse temerarios, utpote, qui contra Dei voluntatem servitio ipsius se consecrarunt. Item

PUNCTUM II. Sunt etiam ministri inutiles, qui nequaquam apti sunt ad functiones statûs sui peragendas, sive deinde ob negligentiam, sive ob incapacitatem. Anne statum ecclesiasticum amplexi sunt ad laborandum? minimè. Fecerunt hoc, ut commodius vivere, pinguescere, & vel ipsi locupletes evadere, vel suos locupletare valerent. Verum est, S. Paulum dicere, 1. Cor, 9. neminem propriis stipendiis militare; & qui vineam colit, de vinea, & qui gregem pascit, de lacte ovium suarum vivere possit; neque alligandum esse os bovis triturantis; & quod per has omnes figuras significare voluerit, eos qui evangelium prædicant, etiam de evangelio vivere posse; sed quis reperiet in S. Paulo, stipendium aliquod deberi militi, qui ad bellum non proficiscitur; vel vinitori, qui vine-

vîneam suam non colit? vel quod de lacte comedere possit, qui curam gregis non habet? ubi dicit unquam, quòd de evangelio vivere possit, qui evangelio non servit? non est error perniciosior, & intollerabilior, quàm pro regula habere, posse aliquem gaudere magnis redditibus ecclesiasticis, quin ecclesiæ suæ aliquod servitium præstet. Dices; beneficium meum tantùm simplex est; ad nihil obligat; pejus id ipsum est; sic enim majorem damnationis occasionem habes. Sed quis dicit hoc, quod beneficium tuum ad nihil te obliget? an putas, te quid supererogatorium, & ad placitum facere, si quandoque in loco beneficii tui instrueres ignorantes; te informares circa necessitates pauperum; clericos hortareris, ut obligationibus suis satisfaciant? an non centum habes occasiones, quæ se quotidie offerunt pro ecclesia laborandi? & si nullam prorsus amplecteris, putásne te à Deo, tantâ facilitate tractandum, ac ab hominibus? sed, quod magìs adhuc intolerabile est; dantur aliqui, qui ratione beneficii, & officii sui ad plures functiones, & quidem magni momenti obligati, secum ipsis tamen dispensant, & omnia humeris aliorum imponunt, quæ ipsis gravia sunt, & onerosa. Distinguunt in sua dignitate, quod honorificum, quod lucrosum ab eo, quod

quod laboriosum & difficile est; acceptant honorem; gaudent lucris; quod verò onerosum est, vel solâ umbrâ suâ eos terret; omninò talibus se exonerant; vel si quãdam functionem obeunt, hoc omninò imperfectè ab iis fit, & superficialiter; quia ad bené peragenda talia, deberent se totos ad id applicare, & in id incumbere. *Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibꝰ,* 2. Tim. 2. 4. Clericus, qui per negotia tẽporalia continuò distrahitur, non est aptus, ut omni tempore, & juxta omnem suam obligationem muneri suo satisfacere posset; aliô nempe distrahitur, & aliis longè curis occupatum intellectum & animum habet. Interroga talem curatum, vel pastorem, qui non nisi lucra & commoda sua cordi habet, benè quidem sciet nominare redditus suos, debitores suos; & quale lucrum fuerit, vel commodum traxerit ex hoc vel illo negotio; sed pete etiam ab eo, quot pauperes in sua parochia habeat, in quo statu sint ornamenta ecclesiæ, & vestes sacrae? utrum juventus benè instructa sit; utrum scholæ benè ordinatæ, & regulatæ sint; obmutescet ad hæc. Igitur ministri, à proprio lucro alieni apti; reliqui verò inutiles ministri sunt, qui ad functiones suas non sunt idonei. Verùm ut majorem adhuc horrorem de tam perverso mo-

modo agendi, & excessibus concipiamus.

PUNCTUM III. Addamus etiam hoc, tales esse ministros scandalosos, qui ministerio suo dedecori sunt; qui destruunt pro eo, ut ædificent. Quale scandalum in ecclesia, clericus, qui de alio non cogitat! nisi ut congreget, & ditetur? quæso, quare adeò addictus est, dicunt sæculares, hic sacerdos bonis temporalibus? quā causam habet? non habet liberos ad educandum; neque familiam talem sustentandam, ùt nos; quo prætextu colorare potest avaritiam suam? interim tanta ac talis est cupiditas talium clericorum, ut professionem suam aliter non considerent, nisi tanquam artem aliquam, vel opificium. Si orant; si instruunt; si sacramenta administrant; fit hoc solummodo, quia lucrum sperant & commodum, imaginantur sibi, ùt apostolus 1. Tim. 6. 5. ait, pietatem servire ipsis posse, & debere ad seipsos locupletandos, Sunt de iis, quorum meminit propheta. Ps. 13. qui devorant plebem Dei, ùt escam panis; nam ùt S. August. ibid. advertit; *devorant populum, qui sua commoda ex illo capiunt, non referentes ministerium suum ad gloriam Dei, & eorum, quibus præsunt, salutem.* O quis exprimere valeat excessus illos omnes, quorum causa in clericis avaritia existit? si semel domi-

ne-

netur in illis passio ista, ubique eos comitatur, & insequitur; ad altare, ad confessionale; non erubescunt vel ipsos pœnitentes in lucrum suum obligare, & onerare; vel relinquere eos, turpis lucri gratiâ, in proxima occasione peccandi, vel peccatis habitualibus! sic nimirum inhonorant ministerium suum, & dedecori illi sunt tales quæstuosi clerici. Detestare ex toto corde, hunc spiritum avaritiæ, spiritui statûs & vocationi tuæ adeò oppositum! memento, quòd eis abrenuntiaveris statim in prima tonsura, ubi Dominum pro parte seu hæreditate tua elegisti. Gloria & honor ministri JEsu Christi est, ut proprii lucri non sit amans; *bonum est enim, magìs mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet*, 1. Cor. 9. 15. Vide, ut taliter dispositus sis, & comparatus, vel potiùs roga Christum Dominum in præparatione tua ad Missam, ut talem te faciat. Quotidie in manibus tuis tenes & tractas hunc divinum Salvatorem, qui egenus factus est, ut nos divites faceret; an non moveat te exemplum hoc, quod tibi dat durante celebratione sacrorū mysteriorum, ubi non cessat per hunc ipsum suum statum, ad quem redactus est à suo amore, tibi inclamare: *nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi ærugo & tinea demolitur; & ubi fures effodiunt, & furantur.*

tur. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo; ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur, Math. 6. 19.

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

Fratres, imitatores mei eſtote; & obſervate eos, qui ità ambulant, ſicut habetis formam noſtram. Philipp. 3. 17.

DE BONO EXEMPLO CLERICORUM.

1. Debent inſtar S. Pauli aliis ſervire pro exemplari.
2. Media ad hoc neceſſaria.

PUNCTUM I. NOn ſemel tantùm dixit S. Paulus, id, quod hìc ſcribit, *imitatores mei eſtote.* 1. Cor. 4. 6. & 2. Cor. 1. &c, Dixit hoc non ex motivo vanitatis, ſed ex zelo animarũ, quo ardet, dum ſe pro exemplo propoſuit, noluit ſe ſolum proponere, quaſi ſolus pro exemplari aſpiciendus & conſiderandus foret; ſed quia hoc jam contentus erat, & ſibi ſatisfactum putabat, modo Chriſtus annuntiaretur, ſive deinde per ſe, ſive per alios. Modò divinum hoc originale exprimerent benè fideles; ſive deinde vel ipſum vel alios apoſtolos, pro copia ſeu imagine quadam, præfigerent; & ſi ſplendorem hujus ſolis juſtitiæ ferre non poſſent, ſolummodò conſiderarent illum in Paulo, vel in

Cepha, vel in Apollo, vel in alio quocunque vero miniſtro Chriſti tanquam in totidem ſpeculis; hinc ſtatim adjunxit; *& obſervate eos, qui ità ambulant, ſicut habetis formam noſtram.* Verùm ſi quiſpiam ex miniſtris evangelii jure ſe proponere poſſet pro exemplari, abſque dubio S. Paulus hoc facere potuit, ille nimirum, qui tanta paſſus fuit, amore JEſu Chriſti, ſitim, nuditatem, labores continuos itinerum, labores manuales, maledictiones, injurias, perſecutiones, uno verbo, graviſſima quæque, qui autem his omnibus aliud non oppoſuit, niſi patientiam, humilitatem, beneficia, benedictiones, & orationes pro perſecutionibus; & quod his omnibus majus eſt, ardentiſſimum zelum pro illorum ſalute, & tantam applicationem, ad hanc procurandam, ut non obſtante omni eorum reſiſtentia & contradictione, & averſione, & odio contra ipſum tamen invenerit medium eos lucrandi Chriſto Domino per ſuam patientiam, manſuetudinem, preces, perſeverantiam, & ſanctas inſtructiones; poterat igitur his omnibus conſideratis, optimè & jure merito dicere; *rogo ergo vos imitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti.* 1 Cor. 14. 16. Quilibet clericus, quì eodem modo ſe geſſiſſet, eadem dicere poſſet, quia verò has omnes probationes ſubire, & res
tam

tam difficiles præstare; non semper adest occasio, taliáque Deus à nobis ex speciali sua avertit bonitate, ut debilitati nostræ parcat, hinc taliter loqui nos haud possumus; quod autem nos decet, & ad quod indispensabiliter obligati sumus, hoc est, ut populo nostro pro exemplari serviamus, per sanctitatem vitæ nostræ, continuòque viva voce actionem nostram, quæ longè efficacior ipsis verbis est, dicamus; fratres, *imitatores mei estote*, facite, quòd à me fieri videtis; sequimini semitam & viam, quã nos tenemus; *etenim*, ut S. Aug. in Ps. 39. ait, *in ecclesia iste ordo est; alii præcedunt, alii sequuntur, & qui præcedunt, exemplum se præbent sequentibus; & qui sequuntur, imitantur præcedentes.* Jam verò ignorare haud potes, te tanquam clericum alios præcedere in dignitate; ergo pariter anteire debes in virtute, & iis servire pro exemplari; *liber laicorum, vita clericorum*, synod. Turon. anno 1537. examina te desuper, &

PUNCTUM II. Vide nunc media, quæ arripere debes, ut esse possis exemplar tuorum; indicat illa S. Paulus in instructione desuper data Timotheo & Tito. En! quomodo loquatur; ad primum 1. Tim. 4. 12. ait: *nemo adolescentiam tuam contemnat; sed exemplum esto fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in casti-*

tate. Nunquam debent ecclesiæ ministri ulli dare occasionem aliquam contemptûs sui, sed potiùs conciliare sibi per suum regularem vivendi modum, omnem æstimationem & venerationem *in verbo, in conversatione, in charitate &c.* Id est, non sufficit, ut exemplar aliis simus in una virtute, oportet omnes virtutes habere, ità, ut sit vita nostra instar cujusdam animatæ, seu vivæ imaginis, quam omnes homines tanquam regulam morum inspicere, & quasi vivam legem consulere valeant; *forma facti gregis ex animo.* 1. Petri 5. 3. Idē S. Paulus scribens ad Titum, ait illi; *in omnibus præbe teipsum, exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, & gravitate.* Tit. 2.7. En! paucis verbis expressum characterem boni clerici, boni sacerdotis, ac boni pastoris; non est necesse, in longinquo eum requirere; ad vivum hìc à Paulo illum expressum habes; omnia enim indicavit, quæ quis excogitare posset. Oportet eum esse exemplar omnium bonorum operum, in omnibus rebus, quia omnium oculi in illum versi sunt. Reducit apostolus omnia ad tria; ad puritatem doctrinæ, ad integritatem vitæ, & ad morum gravitatem. Doctrina ipsius non solùm pura esse debet, quantùm ad fidem, sed etiam quoad moralia; errores contra fidem hæ-

re-

resses sunt; corrupta autem doctrina mores etiam corrumpit, & malos facit christianos; debet se clericus opponere prioribus & hos posteriores ad frugem reducere; oportet igitur puram esse illius doctrinam fidei, & morum. Integritas vitæ exigit, ut modo quodam irreprehensibili vivat, ità, ut nihil in illo culpari valeat; *ut iis, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* v. 8. Debet gravitas illius apparere ex incessu, ex gestibus, ex verbis illius, uno verbo, omnia exteriora illius generaliter omnes ædificare debent; *ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet;* ait S. Greg. pastoral. p. 2. c. 3. *& grex qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla melius, quàm per verba, gradiatur.* Hæc sunt media, quibus uti debes, ad dandum aliis bonum exemplum. Vide, qualiter iis hucusque usus fueris? & si fortè infeliciter quoad hoc punctum errasti, pete veniam à Deo, & roga Christum JEsum in præparatione tua ad Missam instanter, ut imitatorem te faciat virtutum suarum, tunc enim dignus evades, quem etiam populus imitetur. O JEsu! fac me per communicationem sanctissimi corporis, & sanguinis tui similem tui! ô sol justitiæ, qui vis, ut simus lux mundi, per vitæ nostræ sactitatem, imprime animabus nostris tuam divinam si-

militudinem, ut omnis populus, modum nostrum videndi considerans, tanquam in speculo videre, & colligere possit, quid sequi, quid corrigere, & emendare debeat. Lux gregis fama est pastoris; *decet enim dominicum sacerdotem moribus & vita clarescere, quatenus in eo, tanquam in vitæ suæ speculo commissa, & eligere, quod sequatur, & videre possit, quid corrigat.* Greg. M. l. 7. ep. 32.

FERIA SECUNDA.

Et observate eos, qui ità ambulant, sicut habetis formam nostram. Philip. 3. 17.

De conversatione cum bonis clericis.

1. Quàm necessarium sit frequenter conversari cum talibus.
2. Et quàm utile.

PUNCTUM I. Solicitè curemus in opus deducere hæc verba Epistolæ: *observate eos, qui ità &c.* Proponamus nobis pro meditatione nostra ex clericis eos, in quibus majorem devotionem, regularitatem, zelum, & applicationem ad functiones statûs sui deprehendimus, quique se præ aliis in ecclesia per ardentiorem charitatem distinguunt; non contrahamus commercium aliquod, & societatem, nisi cum bonis; consideremus omnes

mnes gressus illorum; & modus illorum agendi excitet nos ad reformandum, & regulandum nostrum modum, ut & nos quoque servire possimus pro exemplari fratribus nostris, & reliquis fidelibus. Summi momenti, & necessitatis est hoc consilium. Ordinariè talis quilibet est, quales sunt ii, quos frequentat; *qui cum sapientibus graditur, sapiens erit; amicus stultorum similis efficietur*. Prov. 13. 20. Nil majorem vim in animum nostrum exercet, quam exemplum eorum, quibuscum uniti sumus per amicitiam, & vitæ societatem, ac commerciū. Pauci se applicant ad lectionem librorum utilium; & frequenter instructio, quam in illis inveniunt, parùm eos movet; & si levem quamdam impressionem in animis illorum facit; vix tamen ad cor illorum usque penetrat. Sed exemplum virorum sapientium est quasi vivus liber, ubi quis absque difficultate instruitur; & quandoque etiam, quin aliquis hoc advertat; videmus in actionibus eorum regulas vivendi; cum gaudio notamus prudentiam illam, & admirabilem æqualitatem, quà in omni occasione, & negotiis procedunt; & cogimur quasi insensibiliter, ad condemnandum in vita nostra, quod illorum vitæ contrarium est; & ad reddendos nos similes iis, qui in aliqua veneratione apud nos sunt, quòs-

que æstimatione nostra dignos judicamus, & ut ab aliis etiam æstimentur. Quòd si pro eo, ut cum personis ejusmodi conversemur, amicitiam contrahimus cum iis, quos scriptura insensatos appellat, quia Deum non cognoscunt, qui non nisi suas passiones sequuntur, similes illis, quoque evademus; *amicus stultorum similis efficietur.* Ista mollities (ut non loquamur de apertè malis) & socordia illa, quam in eorū verbis & actionibus videre est, insinuabit se sensim in animum nostrum, modo quodam imperceptibili ac nobis grato; & licet non statim quidem id approbare audeamꝰ, quod ab iis non benè fieri videmus, nihilominus successivè cogitatus nostros eò quoque vertimus, quò exemplum illorum nos allicit, sicque tandem asuescimus eorū imitationi. Veritas hæc evangelica adeò concordat cum recta ratione, ut veteres regulam, & axioma exinde fecerint his verbis expressum; *dic mihi, quocum eas; & ego dicam tibi, quid facturus sis.* Si sententia ista in generali locum habet respectu omnium hominum, ne dubita, quin specialiter verificetur apud clericos, & quòd sit res maximi momenti, ut societas nostra, & conversatio cum bonis, seu piis clericis sit, ut autem magis adhuc te convincam;

PUNCTUM II. Considera commoda,

&

& utilitatem ex tali ſocietate & commercio cum bonis clericis provenientem. 1mo exemplum illorum nos corrigit, vel ædificat. Si quis vitioſus ſit, inſenſibiliter ſe moveri ſentiet, ad mutandos mores ſuos, ſi alios meliores ſe eſſe videat; *dum peccator juſtum conſiderat, ſeipſum arguit, & condemnat:* ait S. Greg. l. 15. mor. c. 9. Si quis in tepore & ſocordia verſetur, fervor illorũ nos inflammabit; *pleriſque juſti aſpectus admonitio correctionis eſt,* ait S. Ambr. in hæc verba, qui timent te, videbunt & lætabũtur. *perfectioribus verò lætitia.* Hinc advertit idem S. P. ideò S. Paulum aſcendiſſe Jeroſolymam, *ut juſtos videret; & cum Petro manſit diebus quindecim, ut ex ejus cohabitatione aliquid proficeret.* Concludit deinde; *ſicubi ergo juſtus ſedeat, ſicubi accumbat, feſtinemus videre eum.* Vides, quod res valdè pretioſa ſit, converſari cum hominibus juſtis, ſiquidem cum iis agendo, verſamur inter imagines Chriſti JEſu; *vides ergo, quia inter multas Chriſti imagines ambulamꝰ.* O ſi ad hoc attenderemus, quàm facilem occaſionẽ inveniremus & haberemus acquirendi ſanctitatem. 2do. diſcurſus ſeu ſermo illorum nos inſtruit & docet; *labia juſti erudiunt plurimos.* Prov. 10. 21. Qui cum bonis clericis ambulat, ſemper de bonis rebus loquitur, ſi difficultatem circa

scripturam S. vel casum aliquem consciē-
tiæ solvendum habet, proponi possunt; si
loquendum de functionibus sacris, de ru-
bricis, & cæremoniis ecclesiasticis, de oc-
currentibus suorum necessitatibus, de li-
tibus & controversiis terminandis, auxi-
lium abiis & consilium sperari & haberi
potest, ut quis sapienter & prudenter in
talibus se gerere possit. Verbo, non est bo-
ni quidquam, quod à societate bonorum
clericorum haberi non possit. 3tio. ipsorū
consilia fiduciam nostram excitant. *Ami-
co fideli nulla est comparatio, & non est digna
ponderatio auri & argenti contra bonitatem
fidei illius.* Eccles. 6. 15. Tali amico indi-
gemus præcipuè, quia directione opus ha-
bemus; clerici autem quemadmodum alii,
etiam hâc indigent, sive deinde in capien-
do consilio, ob occurentes difficultates in
exercîtio ministerii sui, sive in necessitati-
bus propriæ conscientiæ, nunquam grave
ipsis accidere debet, si bonum quemdam
directorem extra domum suam quærere
debeant, quod præcipuè de iis intelligi vo-
lo, qui ruri degunt, & alios vicinos non
habent, quibuscum conversari possent, nisi
îgnorantes, ebriosos, lusores, & scandalo-
sos, à quibus proinde boni nihil exspecta-
re possent. Verùm, quia difficile est bonā
clericorum electionem facere, & bonos à
non

non bonis discernere, roga Dominum JEsum pro præparatione ad Missam pro gratia ista, ut te talibus associare dignetur, quos scit ad sanctificationem tuam utiles tibi esse posse. O Domine! qui nos per prophetam tuum doces, sanctum aliquem fieri cum sanctis, fac me benè comprehendere, quàm necessarium sit ad salutem meam, non nisi conversationem cum sanctis quærere; sunt hi amici tui; sincero & aperto corde tecum conversantur, & deliciæ tuæ sunt familiariter cum iis quoque agere. An non sufficeret hoc, etsi de mea propria utilitate & commodo non ageretur, ut illorum societatem omni alii præferã? ô Domine! hæc est resolutio mea, quam ad pedes S. altaris hodie capio, & quam me etiam impleturum confido auxilio gratiæ tuæ; *cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; sanctis ergo convenit adherere, quoniam ii, qui eis adhærent, sanctificabuntur.* Clem. Alex. stromat. l. 5. p. 4. 7.

* *

FERIA TERTIA.

Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi; quorum finis interitus; quorum DEUS venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Philip. 3. 18. & 19.

DUÆ SORTES CLERICORUM, QUI INIMICI CRUCIS CHRISTI SUNT.

1. Qui passionibus hominum blandiuntur, & adulantur.
2. Et qui ipsi vitam mollem, & deliciosam ducunt.

PUNCTUM I. LOquitur in istis duobus versibus, quos ad meditandum assumpsimus, apostolus contra falsos apostolos, qui ex motivis vilib9 & carnalibus moti, conabantur seducere Philippenses, eósque servituti circumcisionis, & aliis cæremoniis legis subjicere. Vocat eos inimicos crucis Christi, quia, etsi professionem fecerint fidei in Christū crucifixum, minimè tamen justificationem nostram meritô crucis, & sanguinis ipsius tribuebant; sed solūmodò legi Mosaicæ; ex quo sequebatur invanum, seu frustra, pro iis Christum fuisse mortuum; *si enim per legem justitia, ergo gratis Christus mortuus est.* Galat. 2. 21. Quod apostolus addit, illos ventrem suum fecisse Deum suum; quòdque non nisi carnalia saperent, in eóque ponerent gloriam, & honorem suum, ob quod erubescere debuissent, indicat, fuisse eos inimicos crucis omnimodo, utpote māncipia intemperantiæ & sensualium voluptatum, quæ cruci Christi omninò contrariantur. O quot etiam in diebus nostris adhuc habemus inimicos crucis Christi JEsu! quàm

quàm deplorandum hoc ipsum est! *ó! ubi e-lis fontes lacrymarum!* S. Aug. dantur a-dhuc sæculares, qui potius instar Epicuræorum, quàm ut discipuli Christi, vivunt; & quod magis adhuc detestandum, quot sunt clerici, qui possessionibus illorum blandiuntur, & per falsam aliquam mansuetudinem & discretionem destruunt sanctam evangelii severitatem, pérque interpretationes molles, & cupiditatibus hominum accommodatas, seducunt illos, ingerendo eis periculosas doctrinas & fundamenta scientiæ cujusdam moralis valdè commodæ; *magistros prurientes auribus*. 2. Tim. 4. 3. Toto conatu laborant, ut eorum peccata excusent, eìsque promittunt, tantâ facilitate expiare illos posse, etiam gravissima, ac certissima peccata, qualia ab ipsis fuêre cōmissa; tam solicitè inclinationibus corruptæ naturæ illorum satisfacere student; quàm è contrario soliciti fuêre sancti viri ad eas mortificandas, & destruendas; & quidem absque scrupulo, & timore, ne in maledictionem his verbis comprehensam incidant. *Væ his, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manûs & faciunt cervicalia, sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.* Ezech. 13. 18. Pro eo, ut vitam aliorum ad normam evangelii componere studeāt, & legi æternæ, ac immutabili conforma-

rent,

rent, hanc flectunt, & violenter accommodare student, præcepta Dei cum lucro & commodo hominum. Qui terrena sapiunt, an non hoc agere est, instar inimicorū crucis JEsu Christi? non ità laborarunt sancti ad conversionem peccatorum; exhortati sunt illos ad exemplum apostolorum, & JEsu Christi, magistri ipsorum, ad agendā pænitentiam, ad crucifigendam carnem suam cum concupiscentiis & desideriis inordinatis. Certò erant persuasi, magno conatu & labore opus esse ad rumpendos inveteratos habitus, & consuetudines; plus requiri ad expianda gravia scelera, quàm verba tantùm; *in satisfactione ingentium peccatorum, non verba, sed opera quæruntur.* S. August. serm. 57. de temp. Erat certū & indubitatum principium apud eos, difficile omninò esse, à peccatis mortalibus resurgere, & gratiam deperditam recuperare; necesse esse, ingemiscere, orare, jejunare, fugere occasiones peccandi, abstrahere se à commercio mundi, ad originem & radicem fidei redire, & nullos alios limites suæ pœnitentiæ statuere, quàm illos, quos vita nostra habet, nempe mortē. Non peto à te, ut ad extremitatem alicujus severitatis devenias, vel ut pænitentibus onera insupportabilia imponas, sed tātùm, ne in talem excessum labaris, ut pec-
cata

cata dimittas, quin ad aliquod opus pœnitentiæ peccatorem obliges; ut putes, expiari posse per quasdam vocales preces scelera & crimina illa, pro quibus olim ab ecclesia præscripti erant plures anni pœnitentiæ; talìque crudeli mãsuetudine peccatores tractes, qualem semper detestati sunt SS. PP. *detur opera, ne satisfactionib9 & lamentationibus justis delicta redimantur; ne vulnera lacrymis abluantur.* Cypr. de alap. Si confessarii exactè sequerentur id, quod ipsis præscribit concilium Trident: si pœnitentias medicinales, & peccatis proportionatas imponerent; si quilibet practicè sequeretur regulas Ritualis, & ab omnib9 uniformiter procederetur, non cernerentur tot falsæ conversiones; nec tanta regnaret morum corruptio in vita christianorum; sed si dãtur clerici, qui se ùt inimicos Christi exhibent, dum passionibus hominum adulantur; multò adhuc plures tales sunt ob vitam suam mollem & delitiosam; quã ducunt.

PUNCTUM II. *Quorum Deus venter est*, ait S. Paulus; Levitis in veteri lege expressè prohibitum erat vinum, si aliquam sacram functionem exercere, vel solummodò in tabernaculum ingredi debebant; *vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis quando intratis in tabernaculum testimonii.*

nii. Levit. 10. 9. Et sacerdotes novæ legis, qui functiones infinitè sanctiores habent, non timeant ne per excessum in cibo & potu extinguatur in ipsis vigor ille spiritualis, quo opus habent, ut eas ritè ac dignè obire valeant? neque dicas, quòd sufficienter teipsum moderari scias, ne usum rationis amittas; sit ità; sed fumus ille, & vapores, qui à vino & escis ad cerebrum ascendunt, an non attentionem, vel saltem fructum illum impedient, quem sacrū ministerium tuum à te exigit? quomodo ille, qui ventri & appetitui suo adeò indulget, utiliter, & cum fructu, de temperantia vel paupertate JEsu Christi prædicabit, ait S. Hier. epist. 2. ad Nepot. de vita cleric. *Confusio & ignominia est Christum pauperem & exsurientem fartis prædicare corporibus*. Hinc unū est ex principalibus monitis, quæ S. hic P. Nepotiano in quadam epistola seu instructione, circa obligationem sui statûs dat; quodque etiam S. Ambros. S. Augustinum monuit, & ipse observavit. *Convivia tibi vitanda sunt sæcularium, & maximè eorum, qui honoribus tument &c. Consolatores potius nos in meroribus, quàm convivas in prosperis noverint. Facilè contemnitur clericus, qui sæpè vocatus ad prandium ire non recusat. Nunquam petentes; rarò accipiamus rogati*. Quantùm ad mensam tuam debet fruga-

galitas, maximum illius esse ornamentū; & tamen, pergit idem S. P. plures videre est inter clericos, qui sæculares lautiùs tractant, quàm seipsos ipsimet inter se; volūt mensas suas exquisitissimis cibis plenas esse; undique & anxiè quæruntur, quæ luxui, & deliciis servire possint. Annon res pudenda, ministrum talis Dei, cujus tota vita nonnisi martyrium fuit, quíque in cruce felle potatus fuit, & ab synthio, tam esse sensualem, & voluptuosum! & quòd illi, qui aliud scire non deberent, nisi JEsum crucifixum, tam intelligentes sint condimentorum & gulæ irritamentorum! verùm quanta injustitia opiparè vivere, & saginari bonis, sanguine, & substantia pauperum! si superflua divitum ad pauperes spectant, an non injustitia summa in cœlū usque clamans est, bona ecclesiæ, & ipsūmet patrimonium pauperum, in convivia & lautitias consumere? *amico quippiam rapere, furtum est,* ait S. Hier. ibid. *ecclesiam fraudare, sacrilegium est, accepisse, quod pauperibus erogandum sit, & esurientibus plurimis aliquid inde subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat.* Fac ergo hodie sequentia proposita; 1mo. evitandi cōmercia, & frequentationem sæcularium, & adhuc magis clericorum illorum, qui luxui & lautitiis dediti sunt; *noli esse in conviviis*

potatorum, nec in commessationibus eorum, qui carnes, ad vescendum conferunt. Prov. 23. 20. Evita solicitè ejusmodi potatores, qui insuper de hoc gloriantur, de quo erubescere deberent, *potentes ad bibendum*, If. 5. 22. qui vix à prandio surgunt, & statim lusui usque ad cœlum vacant, & ejusmodi rebus occupantur, ac si non nisi animas brutales haberent, quod sanguineis planè lacrymis deplorandum esset; *nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.* 2do regulã tibi constitue, nihil extra horam prandii comedendi; ad quid enim tales extracomestiunculæ, nisi ad solam voluptatẽ, ne dicã, ad gulæ satisfaciendum? 3tio. taliter ama temperantiam, ut alimentis aliter non utaris, nisi tanquã medicinâ, & præcisé quantùm ad vitæ sustentationem necessarium est. Scio quidem vitam sacerdotum & pastorum vitam quamdam esse communem, seu communitati destinatam quæ destrui non debeat per jejunia excessiva, adeò. ut amplius servire non possint saluti proximorum, quæ est primaria illorum obligatio; sed debent etiam non excludere omnem prorsus mortificationem. Pro Missa, roga Deum, ut his tuis resolutionibus benedicere, téque prædicatorem, & imitatorem facere dignetur crucis suæ, ut verè dicere possis cum apostolo & omnibus sanctis,

ctis, quòd continuò mortificationem JEsu in corpore tuo portes. O JEsu, abstrahe corda nostra à deliciis & voluptatibus sensualibus; fac, ut contemnamus cibos Ægypti, ut ità capaces & apti simus, gustare dulcedinem divini hujus manna, quo nos in sanctissima eucharistia pasci, & participes fieri mereamur convivii illius cœlestis, quod electis tuis parasti, ubi inebriabuntur torrente voluptatum; & ubi satietas non nisi famis augmentum erit; *beatus, qui manducabit panem in regno DEI.* Luc. 14. 15.

FERIA QUARTA.

Nostra autem conversatio in cœlis est; unde etiam Salvatorem exspectamus Dominum nostrum JEsum Christum, Philip. 3. 20.

DE ABNEGATIONE AMORIS VITÆ PRÆSENTIS.

1. Debemus ab hac vita amorem nostrum abstrahere, & desiderare esse cum Christo.
2. Unde veniat, quòd tam parùm cùm illo uniri optemus.

PUNCTUM I. NOstra conversatio æquè ac illa S. Pauli debet continuò in cœlis esse; debemus cor nostrum, & affectiones nostras ad cœlestem patriam dirigere, ubi Salvator noster habitat, qui suo tempore descendet, & nos resuscitabit, ut nos glorificet, & se-

cum regnare faciet in æternum; igitur dicamus cum apostolo: *nostra autem conversatio in cœlis est.* Rationes ità loquendi sunt omnino graves; quia, ubi sunt christiani & clerici, quibus non oporteat inspirare talē abnegationem, ut cor suum ab hoc mundo, & à vita hac abstrahant, & ad felicem æternitatem anhelent? S. Cyprianus de mortal. servire nobis hac super re potest pro exemplari; en! quomodo magnus hic sanctus studuerit clero suo populóque, durante persecutione & grassante horribili mortalitate, talem sensum inspirare. Regnum Dei, ait, appropinquat; mundus transit; & ecce venit tempus gaudii, salutis, mercedis, & possessionis paradysi, quem amisimus. Res cœlestes succedunt rebus terrenis; magnæ parvis; æternæ perituris. *Quis inter hæc trepidus & mæstus est, nisi cui spes deest; ejus est mortem timere, qui ad Christum nolit adire; ejus est nolle ad Christum ire, qui se non credat, cum Christo incipere regnare.* Certum est, *justum ex fide vivere.* Rom. 1. 17. si ergo justus es, si ex fide, & per fidem vivis; si verè in Deum credis, quare cum Christo futurus, & de ipsius promissis securus, non lætaris de eo, quòd te ad se vocet, & à dæmonis insidiis liberet? Simeon, homo ille justus & plenus fide, qui adeò exactè mandata Dei observavit, accepta

re-

revelatione, se non moriturum, nisi prius Christum, seu Messiam vidisset; videns infantem JEsum cum Matre sua in templo, illùmque pro Messia cognoscens, plenùsque gaudio, quod brevì moriturus esset, accepit eum in ulnas suas, & benedicens Deum exclamavit: *nunc dimittis servum tuum Domine, secundùm verbum tuum in pace; quia viderunt oculi mei salutare tuum.* Luc 2. 29. Per quod ostendit, servos Dei non fruituros perfecta tranquillitate, nisi postquã liberati fuerint à tempestatibus & turbinibus hujus mundi, ádque portum æternitatis pervenerint facto transitu à morte ad beatam immortalitatem. Sed modò in hac vita, quid aliud habemus, nisi continuam pugnam cum diabolo? ut assultus illius reprimamus, & contra ipsius insidias nos muniamus, quotidie pugnare debemꝰ contra avaritiam, impudicitiam, iracundiam, ambitionem; & valdè difficile nobis accidit, ut semper parati simús ad resistendum inimico tam forti & valido, qui ex omni parte in nos insurgit. Si avaritiam superavimus, tentat nos voluptas; voluptati succedit ambitio, vel iracundia, vel alia similis passio; adeò ut quotidie tales persecutiones experiamur; & stantibus his volupe nobis sit, permanere sic inter medios gladios evaginatos, quos dæmones

contra nos ſtringunt? & non potiùs optamus cum Chriſto eſſe? *tot perſecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur; & delectat hic inter gladios diaboli diu ſtare? cùm magis concupiſcendum ſit, & optandum, ad Chriſtum ſubveniente velocius morte properare,* Cyprianus ibid. Amen, amen dico vobis, ait Dominus, vos plorabitis, mundus autem gaudebit; vos triſtabimini, ſed triſtitia veſtra convertetur in gaudium; quis non optat liber eſſe ab hac triſtitia, & brevi pervenire ad hoc gaudiū? ipſemet Salvator declarat poſtea, quodnā ſit futurum hoc tempus, ubi triſtitia vertanda ſit in gaudium, quando ait; *iterum videbo vos, & cor veſtrum gaudebit, & gaudium veſtrum nemo tollet à vobis.* Quia ergo gaudium hoc noſtrum in eo conſiſtit, ut JEſum videamus, neque abs hoc verum poſſet eſſe gaudium, qualis cœcitas, quanta ſtultitia, amare miſerias, & afflictiones hujus mundi pro eo, ut feſtinemus poſſidere gaudium illud, quod nemo amplius nobis eripere poſſit, unde eſt igitur, quod nihilominus tam parùm optemus ire ad Chriſtū? hoc examinabit, & declarabit

PUNCTUM II. S. Cyprianus in illo ipſo opere, ex quo deſumpſimus materiam hujus meditationis, hujus rei dat rationē; *hoc ſit, quia fides deeſt, quia nemo credit vera*

eſſe,

esse, quæ promisit Deus, qui verax est, cujus sermo credentibus æternus & firmus est. Si vir honoratus tibi quidpiam promitteret, crederes illi, neque putares, quasi fallere te velit; & dum Deus tibi loquitur, tam incredulus es, ut circa illud hæsites, quod dicit; promittit tibi immortalitatem & æternitatem post hanc vitam, & tu dubitas? *hoc est Deum omninò non esse, hoc est Christum credentium Dominum & magistrum peccato incredulitatis offendere; hoc est in ecclesia Dei constitutum, fidem in domo Dei non habere.* Quotidie dicimus juxta præceptum Domini; *fiat voluntas tua*; sed quàm irrationabile hoc est, exclamat magnus hic sanctus, petere, voluntatem Dei fieri, & illi non obedire velle? si ex hoc mundo nos evocat, reluctamur, resistimus, & tanquam mali servi coacti trahimur, in conspectu Dei nostri, dum vitam hanc nonnisi inviti amittimus, & ex necessitate, & post hæc prætēdimus nihilominus ab eo, quem adeò coacti quærimus, compensationem seu remunerationem aliquam? *quid ergo oramus, & petimus, ut adveniat regnum cœlorum, si captivitas terrena delectat? quid precibus frequēter iteratis rogamus, & poscimus, ut acceleret dies regni, si majora desideria, & vota potiora sunt, servire isthic diabolo, quàm regnare cum Christo?* itē salubriter seipsum, clerum suū,

populúmque confundere satagebat S. Cypr. ut sic seipsum, ac illos animaret ad contemnendas res terrenas & ad considerandum se, tanquam peregrinum super terram, & ad aliud non aspirandum, nisi ad cœlestia. Imitemur hunc illustrissimū martyrem; exhortemur nosmetipsos, & alios ad relinquendum hunc miserabilem mundum; sed ante omnia agnoscamus cum hoc ipso sancto; si nimio affectu huic vitæ inhæreamus; id aliunde non provenire, nisi ob modicam fidem nostram. Accede hodie ad altare, ut ibi de novo animes hanc languidam & debilem fidem; roga Christum Dominum, ut adaugeat tibi fidem, & sic crescet etiam in te desiderium cœlestis patriæ; hócque ipsum desiderium attentum te faciet ad laborandum continuò, unde in omnibus Deo valeas satisfacere, & placere. *Amplectamur diem, qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthic ereptos, & laqueis sæcularibus exsolutos, paradyso restituit, & regno cœlesti. Quis non peregrè constitutus properaret, in patriam regredi? patriam nostram paradysum computemus? parentes patriarchas habere jam cepimus; quid non properamus & currimus, ut patriam nostram videre, ut parentes salutare possimus? ad hos, fratres dilectissimi, avidâ cupiditate properemus, ut cum his citò esse, ut citò ad Christum venire*

con-

contingat, optemus. Hanc cogitationem nostram Deus videat; hoc propositum mentis, & fidei Dominus Christus aspiciat, daturus eis gloriæ suæ ampliora præmia, quorum circa se fuerint desideria majora, Cypr. ibid.

FERIA QUINTA.

Ecce princeps unus accessit, & adorabat eum dicens; Domine, filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum tuam super eam, & vivet. Math. 9. 18.

De morte justorum.

1. Nil eos affligit de præterito.
2. Omnia in futurum consolantur.

PUNCTUM I. QUamvis satis hucusque jam locuti fuerimus de morte, tamen hodie iterum de illâ loquemur, eoquòd evangelium nobis ad hoc occasionem præbeat, talísque sit hæc materia, cujus nunquam oblivisci debemus. Consideravimus die Ven. hebdom. 9. post Pentec. mortem peccatorum; hodie mortem justorum examinabimus. Nil utilius nobis proponere possumus, ad acquirendam sanctitatem, quàm si mortē sanctorum intelligere studeamus. Quadrās huic studio datus per diem aptus est ad sanandas & corrigendas omnes nostras passiones; nil magìs mentem & affectum à vanitate hujus mundi avocat, quàm seria me-

ditatio de morte verè christiana. Conjiciamus igitur oculos nostros supra statum alicujus justi morientis. Mors ex quacunque parte spectetur, ei utilis est, & proficua. *undecunque mors pio bona est*, ait S. August. in Ps. 148. n. 11. nil illum cruciat de præterito; quæ futura sunt, non nisi cõsolationem afferunt. Quo ad præteritum 1mo. relinquit mundum hunc absque repugnantia, quia vixit in eo, absque affectione ad illum. Divitiæ, honores, officia, deliciæ, & voluptates nullam ei causant difficultatem vel molestiam, quia nihil horum cor ejus occupavit, Si nil invitè relinquere vis in morte, disce animum, & affectum tuum adhuc in vita ab iis abstrahere, dicebat S. Hieronymus Eusebius de morte Hieronymi. Vísne nihil timere ad advẽtum terribilem mortis? nil ama in hoc mũdo, quod in morte relinquendũ est; si quis mundi falsas voluptates, & illusiones agnovit, & bona illius contempsit, ac maturè falsis illius promissis renuntiavit, uno verbo, si nunquam felicitatem suam in fruitione creaturarum posuit, absque ulla difficultate, omnia in morte relinquet. O *quanta fiducia morituri!* exclamavit hic ipse sanctus, *quem nullius rei affectus detinet in mundo!* 2do. videt se ad finem miseriarum suarum pervenisse. Quid non tolerandum ei

fuit

fuit in vita sua! jocos pungentes, contemptus injuriosos, calumnias atroces, persecutiones sanguinolentas ex parte mundi. Insultus validos, laqueos, artificia, tentationes violentas, malignas suggestiones ex parte diaboli. Continuam rebellionem, pugnam passionum ex parte carnis. Mors illum ab his omnibus eximit, & securũ reddit; *justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori; illi autem sunt in pace*, Sap. 3. 1, *Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum; & mors ultrà non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt.* Apoc. 21. 4. 3tio. non cruciat, nec turbat illum memoria peccatorũ præteritorum; considerat enim illa ùt submersa in sanguine Christi; *abyssi operuerunt eos.* Studuit fideliter ambulare in via mãdatorum Dei, si quandoque erravit à lapsu statim surrexit, confessus est peccata, prout decebat; expiavit illa per pœnitentias salutares; & sic plenus fiduciâ de misericordia Dei, animô prorsus gratô ad Deum ait: *dux fuisti in misericordia tua populo, quẽ redemisti; & portasti eum in fortitudine tua ad habitaculum sanctum tuum*, Exod. 15. 13. O quantum lucrum & utilitas in morte; si quis Deo fidiliter in vita servierit! sed si nil affligit hominem justum in hora mortis; videamus etiam PUN-

PUNCTUM II. Quomodo omnia illũ consolantur, quæ futura seu secutura sunt. Sperat post mortẽ suã, secuturã felicẽ ac beatã immortalitatẽ; *spes illorum immortalitate plena est*, Sap. 3. Exspectat humili fiduciâ remunerationem bonorum operum suorum. En! quàm generosè S. Paulus Jerosolymam proficiscitur; *vincula & tribulationes*, ait, Act. 20. 24. *Jerosolymis me manent, sed nihil horum vereor*. Unde est, quòd hic apostolus, tanta cum fiducia loquatur? causam hujus alibi dat, quando 2. Tim. 4. ait, *reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus judex; non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus*. Talis est fiducia, quam justus per gratiam Dei habet in suis bonis operibus, præcedunt ista illum, comitantur, & sequuntur. 1mo. præcedunt; quia bonitatem Dei solicitant ad aperiendum illi cœlũ, eùmque illuc præcedunt ad designandum illi locum; *anteibit faciem tuam justitia tua; & gloria Domini colliget te*, ait Isaias cap. 58. loquendo de homine justo; gaude & lætare; virtus tua anteibit te, & gloriâ Domini te amplectetur; si super lectulo tuo mortuali jaces, invocabis eum in auxiliũ tuum, & ipse te exaudiet; *clamabis, & ipse dicet; ecce adsum;* effudisti elèèmosynã tuam in sinum pauperum; consolatus es afflictũ, &

& gloria Domini colliget te. 2do. comitantur eum ad mortem. Omnia nos relinquũt; parentes, amici; ab omnibus deserimur; nihil est, nisi sola bona opera nostra, quæ fidelem nobis societatem præstant, & tutos nos reddunt contra terrores hujus ultimi momenti. *Egredere, quid times?* dicebat S. Hilarion ad animam suam; *egredere anima mea, quid dubitas? septuaginta propè annis servîsti Christo; & mortem times?* Hier. Epist. 15. de vita S. Hilar. sic nempe invenit homo justus in morte sua consolationem in bonis operibus suis; quale gaudium pro ipso, si se in tam pulchra societate constitutum, coram Deo præsentare, seu sistere possit! 3tio. sequuntur illum; *beati mortui, qui in Domino moriuntur,* Apoc. 14. & quare hoc? quia secum portabunt sua bona opera, & quidquid pretiosum habent, illos sequetur; *opera enim illorum sequuntur illos*. Solitarii & eremitæ! videbitis in comitatu vestro solitudinem vestram; vestrũ silentium, & continuas orationes vestras. Religiosi! invenietis macerationes, mortificationes, & abstinentias vestras. Sacerdotes, pastores! habebitis vobiscum labores vestros apostolicos; animas, quas Christo JEsu lucrati estis; populum vestrum, quem instruxistis; hi erunt gaudiũ vestrũ, vestra gloria, & corona. Devotæ animæ! in-

invenietis tunc exercitia veſtra pietatis, frequentes communiones veſtras, confeſſiones exactas; & conſtantem veſtram praxin & exercitium perfectiſſimarum virtutum. Qualis conſolatio pro animabus bonorum operum plenis! propone majorem deinceps in iis exercendis fervorem. Víſne in exitu tuo ex hoc mundo hanc habere felicitatem, ut non compareas vacuis manibus coram judice tuo? eſto exactus in adimplendis tuis obligationibus; obſerva fideliter legem divinam, fuge mundum & vanitates illius; doma paſſiones tuas; ama virtutem; applica te deinceps majori zelo in ſalutem animarum; ſint deinceps preces tuæ longiores; confeſſiones frequentiores, vita tua ſeu modus vivendi regularior; uno verbo, vive vitam juſtorum, & ſic deinde etiam morte juſtorum morieris. Hanc gratiam pete hodie in præparatione tua ad Miſſam. O JEſu! per tuam pretioſam mortem, cujus nos quotidie memoriã renovare vis in celebratione ſanctiſſimorum tuorum myſteriorum, largire nobis gratiã ſic ſanctè vivendi, ut vita noſtra continua quædam ſit præparatio ad mortem; fac, ut ſtudeamus vivere vitâ juſtorum, ſed ut adhuc magìs optemus mori morte juſtorum, quatenus ex hac vita in ſtatu gratiæ tuæ migrando, tecum æternùm uniri mereamur

mur

mur in beata æternitate. *Studeamus fratres vivere vitâ justorum, sed morte eorum mori, multò magìs desideremus*, Bern. serm. 2. in die Apost. Petri & Pauli.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

FERIA SEXTA.

Et ecce mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus; dicebat enim intra se: si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero. Math. 9. 20.

De impudicitia.

1. Quàm contrarium sit hoc vitium sanctitati status nostri.
2. Qualem pœnitentiam agere debeat clericus, si post ordinationem suam in illud lapsus sit?

PUNCTUM I. CHristus JEsus accedens ad principem Synagogæ, ut filiam illius à mortuis suscitaret, sequentem post se habuit mulierē, quæ duodecim annis fluxu sanguinis afflicta, propius ad illum accessit retrò, tetigìtque fimbriam vestimenti ejus; quia dicebat intra se; *si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero.* Mulier hæc pro remuneratione, & prœmio suæ fidei; & humilitatis quantotius exoptatam sanitatem consecuta est. Morbus iste, mulieris hujus hæmorroissæ denotat turpe illud vitium impuritatis, & effrœmis libidinis, de quo alias jam egimus. Quia verò vitium hoc adeò

con-

contrariatur sanctitati status clericalis, per utile erit considerare hìc ex occasione mulieris istius miserabilis, quæ ausa non fuit ad Christum accedere, nisi solummodò retrò, & quasi furtivè, quantùm nos à Christo disjungat, & separet hoc infame vitium. Tantum erga illud horrorem habet Salvator, ut non contentus elegisse virginem in matrem suam, nunquam passus fuerit vel minimum quid sibi, neque discipulis suis, objici circa hanc materiã; passi sunt omnes generis injurias & persecutiones, nullus tamen unquam ausus fuit, eos de aliqua impudicitia accusare, ait S. Chrysost. hom. 10. in 1. ad Tim. Etiam ecclesia adeò abhorret ab hoc vitio, & tantã erga illud aversionem habet, ut semper excluserit à S. ministerio illos, qui illius rei probabantur; possem citare plura concilia, quæ etiam illos SS. Ordinibus indignos consulerunt, qui etiam videbantur pœnitentiam desuper egisse; Concil. Carth. 4. c. 4. Concil. Eliter. can. 25. ratio est, ait S. Siricius Papa Ep. 1. c. 14. Tom. 2. Concil. p. 1017. quia quamcunque putantur puritatem per exercitium pœnitentiæ acquisivisse, hæc tamen semper inferior est puritate illâ, quam Deus à suis ministris exigit; *quamvis sint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendo-*

rum

rum sacramentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerunt vasa vitiorum. Concil. Trid. sess. 23. de ref. c. 3. quod omnia à prioribus conciliis circa mores clericorum sancita, iterum confirmavit, statuit, neminem subdiaconum ordinari posse, nisi sub hac conditione; *habentes bonum testimonium, & in minoribus ordinibus jam probati, ac litteris, & iis, quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi, qui sperent, Deo authore, se continere posse.* Certum est, quod attendi quidem debeat, qualis sint scientiæ? sed ad quid serviet quæcunque scientia, & talenta aliás egregia, si virtus desit? quòd ipsum S. Bernardus Brunoni, electo episcopo Coloniensi respondit, à quo fuerat consultus, quid sentiret de hac sua electione. Quia nempe hic Neo-electus in sua epistola sincerè omnia confessus fuerat, quæ prius deliquerat, respondit illi sanctus hic Abbas, Ep. 8. ad Brun. Colon. electũ, se magnam pati difficultatem, quid consilii dare deberet. Videri quidem electionem hanc acceptandam, si illius qualitates naturales, scientiæ, & nobilitatis, considerẽtur, & quòd ipsa electio tantâ concordiâ fuerit facta; *sed dubium reddit consilium, illa in litteris tuis humilis, sed terribilis confessio, quâ vitam tuam, tam graviter (& ùt credo) non nisi veraciter accusas, horreo, fateor, con-*

ſiderans, unde, & quò vocaris; præſertim, cùm nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utrumque hujuſmodi periculoſiſſimus tranſitus fiat, Judica ex hoc, quid timendū ſit iis, qui tranſactâ juventute ſuâ in effrœnatâ vitæ licentiâ, ingredi dein volunt in ipſum ſanctuarium, Sed quia fieri poteſt, ut quis etiam poſt innocentem ingreſſum, poſtea primùm infidelis evadat, & in hac materia delinquat;

PUNCTUM II. Videamus modò, quid faciendum clerico, qui poſt ſuam ordinationem, ùt diaconus, vel ſacerdos, aut paſtor infeliciter animam ſuam contaminavit pudendo hoc vitio, de quo hìc nobis ſermo? tutiſſimum erit, ut à ſacris functionibus deinceps abſtineat, & curæ animarum renuntiet, ſi parochus ſit; ità concilia ſacroſancta ſtatuêre; *ſi quis presbyter, aut diaconus fuerit fornicatus, aut mœchatus, projiciatur, & agat pœnitentiam*, ait concilium Neo-Cæſareæ habitum, cap. 1. conciliū Aurelianenſe ità habet, c. 6. *ſi epiſcopus, presbyter, aut diaconus! capitale crimen commiſerit, ab officii honore depoſitus, in monaſterio retrudatur.* Nemo autem dubitat, quin impudicitiæ crimen ſub nomine criminis capitalis comprehendatur. Non faciam diſcrimen inter vitam diſſolutam clericorum, utrum publicè nota vel adhuc

oc-

occulta sit; suffi cit enim, quòd etiam concilia hæc non distinxerint; sed solummodò cum SS. PP. adverto, quòd, cujuscunque demum naturæ sit incontinentia illorum, si verè pœnitere velint, primus effectus gratiæ divinæ, eos intùs moventis sit, ut abstineant à suis sacris functionibus, quousque Deum placaverint, ejùsque mitigaverint iram, injuriámque ei illatam reparaverint. *Væ ministris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui justitiam fecerint, apprehendunt!* exclamat S. Bernard. de convers. ad cleric. c. 19. *Ve filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur! ve filiis iræ, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt & placere velle præsumunt.* Non sufficit, si minister ecclesiæ in tale crimen lapsus, se à S. altari separet; debet insuper toto hoc tempore facere fructus dignos pœnitentiæ. En quid S. Hieronym. à virgine quadam similiter lapsa exigat. *Lugubris tibi accipienda est vestis,* ait, ad Susannam laps. objurg. Tom. 4. *& manus, & membra singula dignâ castigatione punienda, amputentur crines, qui per vanam gloriam occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lacrymæ, qui masculum non simpliciter aspexerunt; pallescat facies, quæ quondam irrubuit impudicè; totum denique corpus injuriis & jejuniis*

maceretur; cinere aſperſum & cilicio perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudine placuit &c. Grandi plagæ altâ & prolixâ opus eſt medicinâ; grande ſcelus grandem habet neceſſariam ſatisfactionem; inhære pœnitentiæ uſque ad exitum vitæ tuæ. Anne nimiùm exigeretur à ſacerdote, longo tempore in lecto infamium voluptatum prius tranſacto, ſi ſimilis ab eo pœnitentia peteretur? non, non. *Ferat, ferat*, ait S. Chryſologus, ſerm. 167. *Amaram pœnitentiæ curam, qui ſervare debitam noluit ſanitatem.* Minatur Deus impœnitentibus peccatoribus, quòd in fine ſæculorum eos à ſe repellere velit; *diſcedite à me.* Ut huic funeſtæ ſententiæ non ſubjaceas, ſi taliter lapſus fuiſſes, oportet, ut ex vera pœnitentia & dolore peccatorum tuorum, ſimilem contra te ſententiam pronunties, *diſcedite à me* Dicere debes iis, quæ ìtimè amâſti: diſcedite luſus, diſcedite voluptates & deliciæ; abſint lauta & oppara convivia, ceſſent ſocietates & converſationes mundanæ; diſcedite à me omnes creaturæ illæ, quibus tantum amorem hucuſque impendi, cum præjudicio amoris illius, quem Deo meo debueram impendere; æternum vobiſcum facio divortium, *diſcedite à me.* Volo inſuper etiam innocentibus deliiciis, & recreationibus carere, itâ enim diſpoſitus eſſe debet vero

pœ-

pœnitens. *Tantò debet à se licita abscindere, quantò se meminit, & illicita perpetrâsse.* S. Greg. hom. 20. in Evan. Roga Deum, ut spiritum hunc pœnitentiæ omnibus clericis concedere dignetur, qui à sanctitate status sui desciverunt. Si tu constans & fidelis permansisti, non debes nec minùs humilis, nec minus pœnitens esse; certus esto quod non nisi Dei misericordiâ hucusque præservatus fueris. Ora & obsecra illum, ut in finem usque te custodiat, de quo facere potes præparationem tuam ad Missam; & quamvis ad finem cujusque meditationis invenias adhortationem aliquam, ut ad SS. mysteria accedas, noli tamen oblivisci; oportere, ut quandoque ex humilitate abstineas præsertim si in conscientia tua agnoscas necessarium esse, ut per pœnitentiam purificeris, memor hujus sententiæ; *qui agnoscens reatum suum ipse se humiliter ab altari ecclesiæ pro emendatione vitæ removere voluerit, ab æterno illo & cœlesti convivio, excummunicari penitùs non timebit.* S. Aug. serm. 152. de temp.

DIE SABBATHI.

Recedite; non est enim mortua puella, sed dormit; & deridebant eum. Math. 9.

De irrisionibus.

1. Quàm peccaminosæ sint.
2. Et quám indignæ clericis.

PUNCTUM I. LOquamur hodie de irrisionibus ex occasione istorum libertinorum, qui Christum Dominum irriserunt; *& deridebant eum.* Ostendit nobis Salvator, quàm sibi displiceat modus iste talium irrisorum, siquidem eos è domo principis Synagogæ ejecit, ubi convenerant‘ & congregati erant, tanquam indignos, qui miraculum illud, quod patraturus erat, viderent. Abominationi Deo esse tales irrisores docet Salomon, Prov. 3. 32. & 34. *abominatio Domini est omnis illusor &c. Ipse deludet illusores.* Irrisio, vel illusio igitur, magnum peccatum est in oculis Dei; & ut ritè de eo judices, duo consideranda sunt in hoc peccato; illius malignitas in suo principio, & funestæ illius sequelæ. Unde nascitur communiter irrisio? ex levitate, vanitate, præcipitantiâ, invidiâ, impietate &c. Quòd nempe quis plenus sit ideis nescio quibus, de suis propriis meritis, ex spiritu quodam satyrico, malè affecto, qui nulli parcere scit, nisi personis gratis & acceptis; quìque quasi exlex foret, & dispensatus ab omni lege civitatis, & christianismi, insolenter omnes aggreditur, & pungit, quasi rem aliis gratam facturus, & ut ipse prò illis æstimetur; uno verbo: *cùm verba omnia à cogitatione & moribus emanent,* ait S. Clemens

Alex.

Alex. l. 2. pædag. c. 5. *fieri non potest, ut verba aliena amittantur ridicula, quæ non procedant à moribus ridiculis* Sed, si peccatum hoc grande est in suo principio, majus adhuc est propter illa, quæ ex tali irrisione seu illusione sequuntur. Quæ non ex tali subsannatione excessus & scandala oriuntur? irrisus, & subsannatus fit negligens; perdit omnem gustum religionis & pietatis; illusio est mater actionum turpium, excitat vindictas, querelas, inimicitias; quia cùm nemini placeat, si irrideatur, & illudatur, rarum est, quòd is, qui ità offenditur, contra illusorem & derisorem suum non concipiat aliquam aversionem; non tam facilè invenire est homines tam patientes prout Job fuit, quique ejusmodi irrisiones, & amaros lusus, aquæ instar, bibant, & deglutiant; *quis est vir, ùt est Job, qui bibit subsannationem, quasi aquam?* Job 34. O quàm funestos affectus talis irrisio & subsannatio producit! vide, utrum non etiam huic defectui obnoxius sis; scio, dari jocos innoxios, & innocentes; verba acuta & ingeniosa, quæ charitatem lædant, neminem scandalizent, neminem contristēt; scio, occasiones dari, in quibus liciti sint quandoque joci, si e. g. refutandus sit error quidam, & mendacium, quia uti possumus tunc doctrinâ Tertulliani, qui advers.

Valent. ait *congruit veritati ridere, quia lætans; & de æmulis suis ludere, quia secura est.* Sed ordinariè loquendo ejusmodi irrisiones peccaminosæ sunt, si nimirùm graves proximo accidant, & offensivæ. Nunquã usus es talibus, ex quodam contemptu, & ad finem proximum contemptui exponendi? adhuc peccaminosiores sunt, si fidem, res sanctas, personas Deo sacras, aut pias, & devotas concernant, & aggrediantur. Nunquam lapsus es in hanc impietatem, quæ non nisi impostoribus illis, ac præcursoribus Antichristi convenit? *in novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua, ambulantes in impietatibus.* Epist. Judæ. Postquam teipsum desuper examinaveris;

PUNCTUM II. Considera, quàm indigna res sit clerico, talibus irrisionibus & illusionibus vacare; *omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet.* Ephes. 5. 3. En quid S. Paulus communibus christianis, seu simplici populo prohibeat; collige exinde, utrum clericis permissum sit uti verbis ejusmodi inhonestis, frivolis narrationibus, impertinentibus jocis, & irrisionibus, quibus vel maximè his temporibus locus est in visitationibus & conversationibus; expende parumper tecum hæc verba

ba S. Bernardi, l. 3. de consid. c. 13. *inter sæculares nugæ, nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ &c. Consecrasti os tuum evangelio; talibus jam aperire, illicitum; assuescere, sacrilegum est; labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent de ore ejus; non nugas profectò vel fabulas, verbum scurrile, quod faceti, urbanìve nomine colorant, non sufficit, peregrinari ab ore; procul & ab aure relegandum; fœdè ad cachinnos moveris; fœdius moves.* Non potest quis dedere se, ejusmodi stultis, & indiscretis gaudiis, multò minùs alios per talia ad cachinnos movere, quin modestiam lædat, quæ est character statûs nostri, quin ad quamdam dissolutionem deveniat; quin notabiles plagas & vulnera in anima sua patiatur; impossibile est, ut quis non reportet dissipationem, turbationem, inquietudinem, languorem in servitio Dei; quin spiritus orationis, qui est vita nostra, extinguatur Qomodo redibit talis in præsentiam Dei? quomodo reassumet exercitia seu sacras occupationes suas? contrahitur per talia talis denique licentia, & libertas, quæ se diffundit in totum corpus omnium actionum nostrarum, & sæpè totum vitæ nostræ statum corrũpit. Debentné ergo conversationes nostræ semper solummodò seriæ esse? nunquam ergo permissum est, aliquid gratiosum seu

jocoſum dicere? ſint diſcurſus noſtri hilares & accepti, ſed hilaritate, & gravitate aliqua ſpirituali, ac ſale ſapientiæ evangelicæ conditi, ità, ut limites modeſtiæ ſemper obſerventur; præſertim autem in præſentia ſæcularium cauti eſſe debemus; ità ut ædificentur per moderationem, & circumſpectionem noſtram, faciléque notare poſſint, quàm profundè nobis inſculptam hebeamus obligationem noſtram. Ante omnia autem cavendum, ne unquam verbîs S. ſcripturæ pro joco abutamur; ſpecies enim aliqua eſſet ſacrilegii, quod nihilominus valdè commune eſt inter clericos; hinc concilium Trid. ſeſſ. 4. expreſse prohibet hoc, & pro profanatoribus verbi divini temerariis habet omnes illos, qui ejuſmodi ſacris textibus ſeu verbis ad ejuſmodi jocos, & ut aliis riſum moveant, abutūtur; ad ſcurrilia, vana, fabuloſa; præcipitque epiſcopis, ut contemptum hunc, & irreverentiam iſtam ſeverè puniant. Propone igitur firmiter, quòd ab ejuſmodi jocis omnino abſtinere velis, non ſolùm, qui Deum & proximum offendunt, ſed etiam ab iis, qui innocentes videntur eſſe; quia difficile eſt, tam exactam obſervare menſurā, ut quis non excedat; in proclivi ſtat talis, & tam parum abeſt quis ad labendum in vitioſam licentiam & libertatem; ad ledē-

dam

dam charitatem proximo debitam, ad perdendam gravitatem statui nostro convenientem, ut brevior via non supersit talia evadendi, quàm ut quis omninò abstineat ab ejusmodi; fac igitur reflexionem super istis in præparatione tua ad Missam. Functio sacerdotalis, quam ibi exerces, memorem te facere debet, tales jocos minimè convenire ministro alicui Dei crucifixi; legimus quidem de ipso, prout aliàs notavimus ex SS. PP, quòd sæpiùs fleverit, nunquam tamen, quòd riserit, obligatio est, ut illum imiteris, & ut à te longè repellas ejusmodi stultas facetias, irrisiones, illusiones, jocos pungentes, & offensivos; inque gemitus & planctus effundaris ob peccata tua. *Hæc à sanctis viris penitùs propellenda, quibus magìs convenit flere, atque lugere.* S, Hier. in ep. ad Ephes.

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

De oratione continua clericorum.

Fratres non cessamus pro vobis orantes. Coloss. 1. 9.

1. Nunquam cessare debent ab oratione pro populo
2. Omnes illorum functiones sunt occasio renovandi preces suas.

PUNCTUM I. GRatias Deo agamus, quòd tam ardentem pro

pro oratione amorem in corde S. Pauli accenderit. Magnus hic apostolus magis indefessus, quàm Moyses, manus suas continuò in cælum porrectas tenebat, ut gratias exinde faceret descendere, & misericordias super fideles. Faciebat hoc non solùm pro Synagoga & solis judæis, sed pro ecclesia Christi per totum mundum diffusa; pro judæis & gentilibꝰ; pro græcis & barbaris; pro provinciis, pro urbibus, & personis etiam minimis. Erat vita illius continua quædam gratiarum actio pro jam obtentis. Potuisſétne pastoribus & ministris ecclesiæ modo quodam efficaciori demonstrare unam ex principalioribus ipsorum obligationibus esse, ut orent pro necessitatibus suorum, quorum cura ipsis incumbit? S. Bern. non veretur dicere, Epist. 201. hanc esse nostram primariam, & maximi momenti obligationem, & prædicationi ac bono exemplo præstare; *manent tria hæc; verbum, exemplum, oratio; major autē his oratio est. Nam, etsi vocis virtus sit opus; & operi tamen & voci gratiam, efficaciamque promeretur oratio.* Per prædicationem, & per exemplum plantatur & irrigatur, sed totum hoc nihil est, si incrementum Deus non dat; hoc ipsum autem est, quod obtinebimus per preces ardentes, & humiles gemitus. Inclamando ipsius misericordiā,

&

& instanter illum obsecrando, misericordes oculos suos ad animas curæ nostræ commissas convertet; sic benedicet curæ, & laboribus nostris; sic impediemus, ut peccata nostra non sint obstaculo, & cursum gratiarum suarum non impediant; sic ministerium nostrum utile & fructuosum efficiemus. Væ igitur nobis, si pro populo Christiano non oremus; quia necessitas ista imposita nobis est per sacrum illum characterem, quo insigniti sumus; dicamus itàque cum Samuele; *absit à me hoc peccatum in Dominum, ut cessem orare pro vobis.* 1. Reg. 12. 23. Oratio thesaurus noster est, ait S. Chrysost. hom. 30. in Gen. *preces, magnus thesaurus*; thasaurus inexhauribilis, qui nunquam magìs accrescit, quàm si solicitiores simus, illô utendi, quìque exsiccatur, si claudatur. Constanter itaque illũ apertum teneamus pro omnibus ecclesiæ necassitatibus, pro veris indigentiis fratrũ nostrorum, pro miseriis nostris particularibus, & pro tantis excessibus, qui in populo christiano regnant, quìque nos summo dolore afficere deberent; *nostrum ergo sit opus, continuis insistere precibus,* concludi S. Chrysost. *& non ægrè ferre, quod differatur, quod petimus.* Verùm, quia non nisi frequenter nos excusare, & nescio quæ prætendere solemus, ut circa hoc dispensatos nos credamus;

PUN-

PUNCTUM II. Notandum, clericos nullum habere obstaculum, à quo impediantur semper orare; nulli meliùs observare possint hæc verba Sapientis, Eccles. 18. 22. quàm ipsi; *non impediaris, orare semper.* Omnes illorum functiones, totidem occasiònes sunt, & media, renovandi orationes suas, & cum Deo convarsandi. Melior pars vitæ ipsorum in ecclesia transigitur; plures occasiones se offerunt, ubi aliud facere non debent, quàm orare; ut, si aliquam functionem Ordinis peragere, Missam celebrare, Breviarium recitare, cantare divinum officium debent. In aliis occasionibus, ubi oratio conjungenda est cum actione, oportet, ut cor oret, & semper oret; *orantes omni tempore in spiritu.* Ephes. 6. 18. Nota S. Paulum, nullum tempus determinâsse; oportet orare de nocte per intervalla, quæ nobis à somno libera sunt, ut ità impediamus cogitationes malas; oportet orare de die, per intervalla, à negotiis & functionibus libera, humiliter Deum rogando, ut dignos nos ministros suos facere dignetur; *frequenter ora, ut Deus te dignum efficiat, neque interdiu, neque noctu sis otiosus, & cùm somnus ab oculis recesserit, tunc mens vacet orationi.* Cyrill. Jerosol. præf. in Catech. Habemus occasionem orandi non solùm, quãdo ad altare servimus, sed etiam toties,

quo-

quoties ſacramentum aliquod adminiſtramus. An non confeſſionale fons & origo inexhauſtus lacrymarum, & gemituum ſit, ſi vel parùm conſideremus, quàntùm Deus offendatur, & quàm modica pœnitentia agatur? ſi corrigendi ſint peccatores, utiliter id haud fieri poteſt, ſine oratione; judicem hujus rei advoco unum è ſanctiſſimis eccleſiæ paſtoribus, qui meliùs ſcivit, quàm nos, unde converſiones oriantur. *Ut advertant, monemus*, ajebat S. Auguſtinus ſerm. 2. de V. A. *ut inſtruantur, docemus, ut convertantur, oramus*. Si concionari, & populum inſtruere oportet, orare pro illis debemus, ut idipſum opere exequantur, quod eos docemus; *quod peto à vobis*, dicebat S. Aug. ſerm. 7. de V. D. *rogo det vobis*. Omnes, uno verbo, actiones, & functiones noſtræ incipere, & deſinere debent ab oratione; ſine hac nequidem os ad loquendum aperire debemus; hinc eſt, quòd eccleſiæ præſcripto toties hoc repetere debeamus; *Domine, labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam*. Pſ. 50. O quot occaſiones habemus multiplicandi preces noſtras, ſed quàm infelices eſſem9, ſi iis benè uti negligamus. Culpabiles & debitores ſumus quoad omnes illas gratias, quibus ex hac noſtra negligentia populus curæ noſtræ commiſſus privatur,

huic

huic defectui imputandus est tam modicus successus & fructus instructionum nostrarum; si soliciti essemus, ut mediante oratione veritate salutis priùs cor nostrum penetrarent, sperare possemus, nos & auditoribus nostris tales persuasuros; frangere possemus illis cum benedictione hunc sacrum panem; vim & efficaciam habitura essent ab oratione verba nostra ad convertendas, & confundendas animas etiam induratas; illa nobis aperta esset via ad secreta conscientiarum, ad agnoscendum, utrum à gratia, vel à cupiditate moveantur; spiritus seu intellectus noster illuminaretur luce coelestis cujusdam prudentiæ; ad manus nobis forent rationes, quibus incredulos convincamus; industria, vis, & mansuetudo, ad persuadendum peccatoribus poenitentiam, & ad obtinendam nobis benedictionem, quâ indigemus, ad exercendum ministerium nostrum tali modo, qui & nobis, & aliis proficuus & utilis foret. Pro Missa; roga Christum Dominum, ut faciat te hominem orationis, & quidem orationis continuæ, plenum bonis cogitationibus & piis desideriis, ad exemplum Danielis; *Daniel vir desideriorum.* Dan. 10. Domine Deus! fac nos tales per gratiam tuam; quamcunque occupationem aut negotium præ manibus habeamus, fac, ut simul

mul in corde, ac internè oremus; & ut fideliter idipsum in praxi observemus, quod quotidie cum propheta repetimus; *concupivit anima mea desiderare justificationes tuas in omni tempore.* Ps. 118.

)(*.*)(*.*)(*.*)(*.*)(*.*)(*.*)(*.*)(.

FERIA SECUNDA.

Et postulantes, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia, & intellectu spirituali, ut ambuletis dignè Deo, per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei. Coloss. 1. 9. 10.

MEDIA PROFICIENDI IN PERFECTIONE.

1. Benè agnoscere statum, & obligationes suas.
2. Sæpiùs se desuper reflectere.
3. Venire ad ipsam praxin.

PUNCTUM I. INtelligentia, & sapientia, quam S. Paulus Colossensibus optat, amoris scientia est, quæ plus ardoris & caloris, quàm illuminationis habet; plus de corde, quàm ab intellectu procedens; à qua potiùs sancti, quàm sapiẽtes redduntur. *Non cessamus orare pro vobis, ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapientia & intellectu spirituali, ut ambuletis dignè Deo per omnia placentes &c.* Coloss. 1. En! quid apostolus huic sibi charo populo optet, quod & nos iis optare debemus cum ipso, quibus evan-

gelium prædicamus. Christus JEsus venit in hunc mundum, *ut mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.* Tit. 2. 14. Clerici, utpote ministri illius, debent laborare pro perfectione populi christiani; sed quomodo laborabũt, si ipsi non studeant, & allaborent fiieri boni & perfecti clerici? videamus in præsenti media quædam, ad eam perveniendi. Primum est, ut quis benè intelligere studeat statum suum, & ad quid vi illius obligetur; nil magìs commune, & ordinarium defactò est in mundo, quàm formare sibi falsam ideam de statu clericali. Hinc est, quòd adeò temerariè plurimi illum amplectantur, & consequenter infelici quadam tranquillitate in eo vivant, parùm soliciti de hoc, ut obligationibus hujus statûs sui satisfaciant. Ad benè cognoscendum statum nostrum non debemus illum nobis imaginari tanquam statum aliquem commodũ, & facilem, sed ùt laboriosum, plenum incommoditatibus & molestiis, qui multis ac bonis talentis, & virtutibus indigeat, & non modicas vires, & magnam generositatem requirat. *Ego dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum &c. Bellabunt adversum te, & non prævalebunt, quia ego tecum sum, ut liberem te.* Jerem. 1. 18. En! quomodo Deus

ad.

ad quemdam pastorem veteris legis loquatur. Non considerârunt sancti sacerdotium, ùt locum, seu statum quietis, sed tã-quam onus valdè grave & ponderosum; *tanquam onus angelicis humeris formidandum*, ut ait concil. Tridentin. En! quomodo S. Chrysost. seipsum explicet ad quemdam suum amicum, l. 6. de sacerd. c. 9. dum mihi locutus fuisti de episcopatu; *ingens pavor animum meum occupavit*. Contremuerunt sancti, fugam arripuêre, sibi ipsis diffidebant, ac defectus in officio sibi commisso, & concredito à se commissos, sibi ipsis exprobrabant. Quæso, unde tantus pavor, si nil est in statu ecclesiastico, nisi commodum, & gratum? quare fugam arripuêre, si nullum statui ecclesiastico inest periculum? quare sibi ipsis diffidebant, dum interim alii absque talentis necessariis nullã putant se invenire difficultatem in exercitio functionum sacrarum, etiam maximi momenti? cur tot inquietudines? an errârunt quoad hoc sancti? minimè; sed potius nos fallimur, & nos metipsos fallimus; ipsi viderunt, nos cœci sumus & nil videmus; ipsi videbant, manifestum esse, perire velle eum, qui se in statum quemdam ingerit, cujus deinde obligationibus non satisfaciat; deprehenderunt in functionibus ecclesiasticis difficultates in magno

numero, quæ terrere possint, & debeant, etiam aptissimos capacissimos, & zelosissimos quoque, qui rem penitiùs, & negotium hoc inspexerunt; considerarunt terribilem illum diem quasi in proximo adfuturum, quo rationem reddituri sunt de tempore, de bonis suis, de suis occupationibus, de officio, de defectibus, & erroribus à se commissis, & quos alii innumeri commisêre, quibus illi auxilium ferre; & mederi debuissent, en! quid eos adegerit, tanto cum fervore laborandi pro salute sua propria, & aliorum; idipsum etiam nos nobis persuadeamus, si in virtute proficere, & statui nostro satisfacere velimus; quia autem non sufficit, aliquam tantùm de hoc habere cognitionem, & agnitionem;

PUNCTUM II. Frequenter nos reflectamus desuper. Bonus clericus quotidie certum sibi tempus seligit, quo ab aliis curìs & solicitudinibus liber secum expendat, & consideret, ad quid obligetur. Exercitium hoc tale est, ut non possit nobis satìs commendarì, & ut quanti momenti sit, comprehendamus, examinemus modum vivendi, & agendi omnium illorum clericorum, qui fideliter muneri suo satisfacere student, & id videbimus, per quod in bono statu conservantur, aliud non est, quàm meditationem obligationis suæ; vigilantiã

con-

continuam, & exactam curam, ac solicitudinem tales formandi resolutiones & proposita, quæ præsentibus necessitatibus cõgruant: & studiosam sui ipsorum observationem. Non est exhortatio in S. scriptura, quæ pluries repetatur, nisi hæc, ut nos supra nosmetipsos sæpius reflectamus, & seriò meditemur, quænam sit nostra obligatio? *fili mi, ausculta sermones meos*, ait Sapiens, Prov. 4. 20. & 21. *& ad eloquia mea inclina aurem tuam;* sufficítne hoc? non; *ne recedant ab oculis tuis; custodi ea in medio cordis tui.* Vult per hoc nobis indicare, verba à nobis audita parvum fructum productura, si quis non curet solicitè, primam illam impressionem conservare, & efficacem reddere per serias & reiteratas reflexiones. Clericus, qui contentus est hoc solo, quòd superficialiter solummodò consideret, & sciat ad quæ obligatus sit, brevi obliviscetur eorum, quæ scivit; similis enim est, *homini consideranti vultum suum in speculo; consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.* Jac. 1. 23. Non est alia via effugiendi hanc infelicitatem quã ut quis sæpiùs se supra seipsum reflectat, & seriò meditetur, quid Deus ab ipso velit, & exigat, *qui autem perspexerit in legem,* pergit S. Jacobus, *perfectam libertatis; & permanserit in ea, non auditor obliviosus fa-*

ctus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Sæpius igìtur talia meditemur; non est medium opportunius ad acquirendam perfectionem, & sanctitatem, *ambula coràm me, & esto perfectus,* ait Deus ad Abraham. Gen. 17. 1. Propheta regius valdè exactus & sedulus erat in hoc exercitio; ait se jugiter Deum sibi præsentem habuisse; considerâsse illum tanquam ad dexteram suã; hancque fuisse rationem, quòd fuerit immobilis. Alius propheta ait; *indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te &c. solicitè ambulare cum Deo tuo.* Mich. 6. 8. Quia verò reflexiones istiusmodi utùt frequentes, nihilominus non sufficiunt, nisi resolutio aliqua, seu ipsa praxis sequatur;

PUNCTUM III. Tertium medium, quod nos infallibiliter ad perfectionē perducet, est, ut ad praxim ipsam deveniamus; in hunc finem oportet in ordinem redigere domum suam, tempus, & occupationes. Domus clerici debet esse instar ecclesiæ; ubi omnia ex ordine fiant, uti quilibet bonis operibus intendat, Deóque & proximo servire studeat; *si quis domui suæ præesse nescit,* ait S. Paulus 1. Tim. 3. *quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit,* Nulla clericis convenientior mansio seu habitatio est, nisi in seminariis; hæc sunt

por-

porta salutis, & securum asylum contra corruptionem, quæ in mundo regnat; quia verò non omnes in seminariis manere possunt, hinc oportet, ut domum suam faciat seminarium clericus, vivendo in solitudine, fugiendo societates periculosas; præsertim vitiosorum clericorum, qui sæpè longè pejores & deteriores sunt ipsis etiã sæcularibus, etiam valdè dissolutis. *Agnoscite*, ait S. Bern. serm. 1. de convers. S. Pauli *& expavescite consortia eorum, qui salutem impediunt animarum*. Item ordinem & certum tempus, præfigere debet occupationibus suis. Oratio, studium, conferẽtiæ scientificæ & dovotionis, exercitia functionum clericalium, labor & cura pro salute animarum, ista sunt, in quibus consumere debet clericus tempus suum; si conservare velit statum suum, & satisfacere characteri suo. Ah! quàm deplorandus est clericus, qui dictâ Missâ, & recitato ex cõsuetudine Breviario suo, cum modica attentione, non scit, quomodo se ulteriùs occupare debeat! quid! nullam aliam habes occupationem? annon scripturam S. legere potes? nullos habes ægrotos, quos cõsoleris? nullos ignorãtes, quos instruas, peccatores quos cõvertas? doctrinã sanctã, quã mediteris? theologos morales, quos cõsulas? nullã habes ergo occupationẽ? quid

itaque facere vis? ludere, venationi vacare, foras ambulatum ire, frequentare convivia, & societates, & consortia sæcularium? éstne hic modus vivendi vocationi tuæ & statui conveniens? pete veniam à Deo, quòd hucusque tam parùm laboraveris pro perfectione tua; esto imposterum fidelior in regulanda vita tua! cognosce & intellige melius statum tuum, & obligationes illi annexas; sæpiùs te desuper reflecte; quotidie bona proposita fac; esto exactus in iis observandis, ut sic per hoc medium ad perfectionem, quam Deus à te requirit, pervenias; id quod præparationi tuæ ad Missam, si hodie celebres, servire potest. Domine Deus, qui vis, ut ministri tui perfecti sint, quibus etiam alios limites, & exemplar non ponis, quàm tuam propriam sanctitatem; *sancti estote, quia ego sanctus sum &c.* Levit. 11. 44. *estote ergo perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est,* Math. 5. 48. adjuva debilitatem & infirmitatem meam; *perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea.* Ps. 16. 5.

* *

FERIA TERTIA.

Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum, in lumine; qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & trans-

trànstulit in regnum Filii dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Coloss. 1. 12. &c.

DE BENEFICIO REDEMPTIONIS.

Debet nos excitare: 1. Ad gratitudinem erga Deum.
2. Et zelum nostrum pro salute animarum.

PUNCTUM I. QUalem amorem, qualem gratitudinē in cordibus nostris excitare debent verba ista; *gratias agentes Deo Patri &c.* Docet nos S. Paulus nunquam oblivisci inæstimabile beneficium vocationis nostræ ad fidem christianam; & ut continuò gratias agamus Deo, quòd illuminare nos dignatus sit purissimo lumine veritatis suæ, in sinu ecclesiæ, quæ est regnum Filii sui dilectissimi, dum interim tot aliæ gentes in tenebris, & in umbra mortis jacent & vivunt, & etiam plurium qui JEsum Christū agnoscunt, noménque christianorum habent, portant, & tamen in schismate, hæresi, & damnatis erroribus defixi hærent, & cōsequenter judiciū idololatrarum portabunt, qui jam sunt damnati. Qualem, quantámque Deo gratiarum actionem pro tam eximio beneficio debemus. Sed ultra progrediamur, & cum apostolo ipsam radicem, & originem felicitatis nostræ perscrutemur, nempe amorem illum æternū, & infinitum, quem Deus nobis ostendit,

dando nobis JEſum Chriſtum, Filium ſuum pro redemptore noſtro; *in quo habemus redemptionem per ſanguinem.* En! quid gratitudinem noſtram infinitè quaſi adaugeat, ſi infinitè grati eſſe poſſemus; videmus in verbis iſtis apoſtoli, Deum non ſolùm voluiſſe, ut à Filio ipſius redimeremur, ſed voluit illum eſſe redemptorem noſtrum *per ſanguinem ejus.* Poſsétne majus quid cogitari ipſo ſanguine divino; & hic ipſe tamen pretium redemptionis noſtræ eſt. Veriſſimè igitur dictũ à S. Paulo 1. c.6 20. *empti eſtis pretio magno.* Meritò exclamat S. Aug. ſerm. 122. de temp. *O pretioſum pretium perditorum;* dicat totus mundus & quidem mundus ſanguine divino redemptus; *magna iniquitas mea, ſed major eſt redemptio tua!* seriò ac ſæpius nos cum S. Doctore deſuper reflectamus, quanti conſtiterimus nos Chriſto JEſu; conjiciamus oculos noſtros in plagas & vulnera, in crucem in ſanguinem ipſius, pro nobis effuſum, & evidenter videbimus: quòd *charitas Chriſti urget nos,* ut à nobis redametur. Planè inſenſibilis ſit, oportet, qui à tanta charitate non movetur! væ nobis, ſi Deo adeò liberali, & diviti in miſericordia, non niſi ingratitudinem rependimus. Si autem totum id, quod pro nobis fecit, & paſſus eſt, gratitudinem noſtram excitare debet;

PUN-

PUNCTUM II. Addamus etiam hoc; nil magis excitare debere zelum clericorū ad laborandum pro salute animarum, quā hoc ipsum, quòd tanta fecerit JEsus. ut nos salvaret; factus est homo, sudavit, infatigabiliter triginta tribus annis laboravit, & denique totum sanguinem suum effudit in cruce pro salute nostra, in eâ mortuus morte omninò dolorosissima. *Vide*, ait S. Aug. ibid. *quanti emit, & sic videbis, quid emit.* Vita adeò pretiosa, tam adoranda, ùt est vita verbi incarnati, alium finem non habuit, & scopum, nisi peccatores salvos facere; non nisi pro pretio redemptionis nostræ eam applicavit, & consumpsit, si usque modò non agnovisti pretium, & æstimationem animarum, conclude illam ex infinito pretio illo, quod salvator mundi pro illarum redemptione exsolvit; *non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso sanguine Christi.* 1. Petr. 1. 18. Dei Filius non adhibuit media extranea ad nos redimendos, sed ipsemet ex suis propriis debitum hoc solvere voluit; propriā carnem suam immolavit, proprium suum sanguinem fudit, unô verbô: totum insumpsit, totum exhausit, quidquid boni, quidquid pretiosi, quidquid magni habuit, omnes vires suas, totam vitam suam, pro redemptione animarum dedit. *Totus mihi*

da-

datus, & totus in meos usus exspensus est. S. Bern. in circumcis. Dom. serm. 3. En sacerdotes & pastores! ex quo desumi debeat valor animarum! nempe ex pretio, quod pro illarum redemptione expendit Dei Filius. *E pretio æstimate.* En! quàm prætiosæ & charæ sint Dei Filio animæ peccatorum, siquidem non prodigè, torrentis instar, profudisse se sanguinem suum putavit, ut eas Patri suo lucraretur. Bone Deus! quam pulchrum speculum in corpore Filii tui sanguinolento & cruentato, in plagis ipsius, in laboribus ejus, per totam vitam, & mortem adeò probrosam exhibuisti ministris tuis, ut eis demonstrares, quãta sit tua animarum nostrarum æstimatio! & consequenter, quam ipsi solicitudinem habere debeant ad procurandam illorum salutem. Anne in consideratione hujus impedire nos possint persecutiones, quas in exercitio ministerii nostri patimur? vel labores, quos subimus, terrere? vel odium hominum, quod propterea incurrimus hoc spirituale & gloriosum lucrum nobis eripere? an non omnia sacrificare deberemꝰ, ad procurandum tam grande bonum? quâ conscientiâ possunt ministri JEsu Christi labori parcere in reducendis animabus ad Deum, quæ tam carò constitêre Christo Jesu Filio ejus! certè haud amat supremum

pa

pastorem, qui adeò negligens est in animabus curæ suæ commissis, & tam seriò recommendatis, pascendis; *omnis negligenter pascens dominicum gregem, summum convincitur non amare pastorem*, ait Damasus Papa, Epist. ad Illyr. Episc. apud Theodor. l. 2. hist. Eccles. c. 22. Accede hodie ad altare, ad hauriendum ibi novum zelum pro salute animarum; roga Christum JEsum per communionem sanctissimi corporis & sanguinis sui, ut continuò ante oculos tuos habere possis, quanta pro redemptione humani generis fecit, ut sic memoria passionum ejus te confortet in tuis functionibus, etiam laboriosissimis, certò de hoc persuasus, sacerdotem omnia illa, quæ pro salute aliorum operatur, propriæ suæ saluti impendere, *si officium presbyteri vis exercere, aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ*, Hieron. Epist. 13. ad Paulinum.

FERIA QUARTA.

Cùm videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto; qui legit, intelligat. Math. 24. 15.

DE VITA SCANDALOSA PEVERSORUM CLERICORUM.

1. Abominatio est coram Deo.
2. Et desolatio quædam pro ecclesia.

PUNCTUM I. NOn inhærebimus hìc sensui literali

verborum iſtorum; videri enim poteſt apud interpretes evangelii, quænam ſit hæc abominatio à Daniele propheta prædicta, in loco ſancto ſecutura. Vide, quid de hoc paucis verbis dicat S. Hieron. in h. l. *poteſt autem ſimpliciter aut de Antichriſto accipi, aut de imagine cæſaris, quam Pilatus poſuit in templo, aut de Adriani equeſtri ſtatua, quæ in ipſo ſancto ſanctorum loco uſque in præſentem diem ſtetit*, Idem S. Doctor explicat hanc deſolationem in ſenſu ſpirituali, de omni perverſa & corrupta doctrina, quam ſpiritus erroris in eccleſiam introducere conatur, & in ea regnare cupit; alii intelligunt vitam ſcandaloſam miniſtrorum eccleſiæ, qui per ſua ſcelera templum Domini inhonorant, & ſanctitatem profeſſionis ſuæ dehoneſtant. Inhæreamus huic ultimo ſenſui & expoſitioni, quæ magnam nobis meditandi materiam præbet; omnes peccatores ut abominabiles haberi debent, quo nomine pluries à Spiritu S. in ſcriptura S. vocantur; *abominabilis & inutilis &c. Facti ſunt abominabiles, ſicut. ea, quæ dilexerunt*. Job. 15. 16. Oſee 9. 10. Non ſatis eſt dicere quòd abominabiles fiant, ſicut res illæ, quas diligunt, quibùſque affectu peccaminoſo adhærent; ſed etiam Deo abominabiles fiunt, ſiquidem ex filiis Dei, quales prius erant, filii diaboli evadunt, Deíque ima-

imaginem ad ultimam usque lineam delēt, & corrumpunt. Sed quanta abominatio, si etiam clericus ad hoc deveniat, ut sanctitatem statûs sui, per nefanda scelera corrumpat? qualis abominatio, videre animā, quæ tot titulis, ac triplici charactere baptismi, confirmationis, & Ordinis Deo cōsecrata est, devenire prædam diaboli, & receptaculum omnis generis sordium, & impuritatum! qualis abominatio! videre eos, qui Deo uniti, & conjuncti esse deberēt, prout functiones ministerii illorum exigūt; qui insuper quotidie novos liberos Christo JEsu generare, & procreare deberent, per vitam suam perversam, & scandalosam evasisse filios Heli, filios Belial, ministros sathanæ, & declaratos, ac apertos Dei inimicos; *filii Belial, nescientes Dominum?* 1. Reg. 2. 12. ah! haud miror amplius, SS. PP. dicere, conversionem sacerdotū scandalosorum moraliter esse impossibilem; & quòd, si eò devenerint, ut absque rubore turpia committere pergant, nullus inveniri possit mediator, qui pro eis interveniat, neque remedia satìs efficacia, ut ex abysso, in quam ceciderunt, extrahantur; *cùm sacerdos*, ait S. Greg. l. 1. in 1. Reg. *in culpam labitur, superior persona non est, cujus precibus expietur.* Non; neque comminatio judiciorum divinorum, neque inferni,

ne-

neque remonſtrationes amicorum, neque cenſuræ eccleſiaſticæ quidquam valent, ad excitandos illos à profundo lethargo, in quem devenêre. Surdi evadunt ad omnem correctionem, inſenſibiles ad omnẽ malum rumorem & infamiam, quam incurrunt; cadunt in cœcitatem ſpiritualẽ, à qua impediuntur facere ullam reflexionem, ad ea, à quibus etiam ipſi laici aliás maximè moveri ſolent, poſt ſimilia perpetrata ſcelera; exinde labuntur brevi in quamdam duritiam cordis, ex qua ſequitur impœnitentia finalis, quin aliquid inveniri poſſit, à quo ad ſalutarem compunctionem moveantur. O ſtupendam abominationem, quæ non ſatìs deplorari poſſit, ſuper quâ nemo ſatìs ingemiſcere valeat! veniamus nunc ad deſolationem, quam clericorum ſcadaloſa vita in eccleſiã inducit.

PUNCTUM II. *Nullum ab aliis majus præjudicium, quàm à ſacerdotibus tolerat Deus; quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus*, ait S. Greg. Hom. 17. in Evang. ah! quàm verum tunc eſt illud Jeremiæ, *quòd mutatus ſit color optimus*, Thren. 4. & facies eccleſiæ turpiter ſit defigurata! ità eſt pergît ulterius hic magnus Pontifex, ſi prælatus, ſi paſtor, ſi ſacerdos, quem Deus poſu-

posuit supra candelabrum ecclesiæ, tanquam pharum luminosam, ut populo pro exemplari deserviat, per suum perversum agendi modum, reprehensibilem, & scandalosum se exhibet, quis exprimat præjudicium illud: quod ecclesia patitur, injuriam illam, quam sanctitati religionis nostræ, ac mysteriis nôstris sacrosanctis infert? quantùm diminuit in populo æstimationem illam & reverentiam sacerdotali dignitati debitam? quàm contemptibilia reddit infidelibus sacramenta nostra, quæ vident modo tam indigno tractari? hinc, *cùm clericum videmus*, addit hic S. D. *admonendus est, quatenus sic vivat, ut exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne, si quid in illo justè reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravetur.* Bone Deus! quis enumerare enucleatius valeat, mala illa omnia, quæ malus & perversus sacerdos inducit, præsertim si cura animarum ei incumbat? debet esse pastor gregis sui, & rapax est lupus; debet esse pater suorum; & latro illorum est; debet omni curâ eorum utilitati invigilare, & ille non nisi damno illorum, & morti intentus est; *omnis, qui malè vivit in conspectu eorum, quibꝰ præpositus est, quantum in ipso est, occidit oves*, ait S. August. lib. de pastoribus. c. 4. Pastor. p. 3. adm. 5. *scire enim prælati de-*

bent, ait poſt illum S. Greg, quia ſi perverſa perpetrant, tot tormentis digni ſunt, quot ad ſubditos ſuos perditionis exempla *tranſmittunt*. Ah! quanta perturbatio invadet talem paſtorem in hora mortis, quādo non ſolùm vocem ſuorum ſcelerum audiet, quæ vindictam clamabunt, ſed etiam illam tot animarum, quibus peccandi occaſio fuit! quam reſtitutionem! quam reparationem facere poterit? quid Chriſto Domino reſpondebit, ſi ab illo ſalutem animarum requiſierit, quæ ipſi tantò conſtitit? ſi ei ob oculos ponet, quòd per ſcandaloſam vitam ſuam damnationem incurrerint illi, quos ille volebat ſalvos? quòd per periculoſa ſua exempla evacuaverit virtutē crucis ſuæ, & ſanguinem ſuum efficaciâ redemptionis privaverit; *periit frater, pro quo Chriſtus mortuus eſt*, exclamat quidā *quis ei refundet ſanguinem innocentem? quis ei reſtituet pretium, quo nos emit?* verùm, quia timendum eſt, ne talis pœnitentia tunc inutilis & fruſtranea ſit, examina teipſum ad finem meditationis, omnéſque actiones tuas percurre, per quas fortè aliis ſcandalum præbuiſti; ſtude impoſterum reparare hoc malum omnî curâ & ſolicitudine, laborando pro ſalute animarum, & per bona exempla ædificando eò magìs alios, quò priùs per mala exempla iis fuiſti

isti scandalo; *nemini dantes ullam offensionē,* 2. Cor. 6. 3. Et pro Missa; si in statu sis celebrandi, roga Christum JEsum instanter pro conversione perversorum clericorum, quorum vita, ùt primum vidisti, abominatio est ante oculos illius, & vera desolatio pro ecclesia; ingemisce desuper cum S. Bernard. in convers. S. Pauli serm. 1. n. 3. cujus gemitus servire tibi possunt pro præparatione ad Missam; *heu! heu! Domine Deus, ipsi sunt in persecutione tua primi, qui videntur in ecclesia tua primatum diligere, gerere principatum! arcam Sion occupaverunt, apprehenderunt munitiones, & universam deinceps liberè, & potestativè tradunt incendio civitatem. Misera eorum coversatio plebis tuæ miserabilis subversio est.*

FERIA QUINTA.

Tunc, qui in Judæa sunt, fugiant ad montes; & qui in tecto, non descendat, tollere aliquid de domo suâ, & qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. Math. 24. 16.

De fuga occasionum.

1. Debemus illas fugere;
2. Quamprimum advertitur periculum.
3. Non debemus subsistere in ista fuga, nec reverti.

PUNCTUM I. PRæscribit nobis hic evangelium, mediū quoddam generale, ad evitandum scanda-

lum, & desolationem, de quibus in meditatione præcedenti; medium istud hoc est; *fugite*. Debemus non tantùm fugere peccatum, sed etiam, occasionem peccandi, loca, & personas; unô verbô, omne illud, quod nos ad peccatum inducit. Est hæc materia meditationis tam clericis quàm sæcularibus necessaria. Nil magìs nobis comendatur in S. scriptura, quàm fuga occasionũ peccandi. Relinquere omnia pro salute animæ suæ, præceptum est, pro omni tẽpore obligans; *fugite de medio Babylonis, & salvet unusquisque animam suam*, Jerem. 51. 6. alius propheta ait: *exite inde, pollutum nolite tangere, exite de medio ejus*, Isai. 52. 11. Si ergo in domo quadam, vel conditione periculosa sumus, vel commerciũ quoddam peccaminosum habemus, voluntas, & mandatum Deì est, ut talia deseramꝰ, & fugiamus; nam qui in talibus permanserit, infallibiliter peribit, id, quod nos monet Spiritus S. Eccles. 3. 27. *qui amat periculum, peribit in illo*. Et in hoc sensu intelligi, & accipi debent verba hæc Christi JEsu; *si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum*, Math. 5. Si pes tuus abutitur libertate, quam ei concedis, & pecaato te exponit, *abscinde eum, & projice abs te*. Quid sibi vult hoc? indicatur nimirum, quòd si persona quædam tam propinqua, támque

cha

chara tibi foret, ac oculus tuus dexter; si professio, seu officium, vel ars tam necessaria nobis ad vitam foret, ac manus, vel pes, totum hoc derelinquendum esset, si nobis ad offendendum Deum occasio foret, S. Aug, l. 1. de serm. Dom. in monte. Ratio est, quia salus animæ nostræ tanti momenti est, ut potiùs quælibet amittere velle debeamus, quàm periculo eam exponere; hanc ipsam conclusionem deducit Salvator dum adjunxit, *bonum tibi est ad vitam ingredi, debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum.* En magnam veritatem, quam sæpius meditari deberemus. Sed eheu! modica ad illam fit attentio. Augetùr indies numerus peccatorum, quia non sufficienter nobis ipsis invigilamus; judicium de metipso forma, & cura, ut & aliis hoc ipsũ persuadeas sive ex cathedra, sive in confessionali, nimirum, quantam habeamus obligationem, evitandi occasiones peccatorum. Sed, quando evitari debent?

PUNCTUM II. Quamprimùm periculum advertitur; *& qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua.* Si gratia Dei nobis necessitatem fugiendi ostẽdit, promptè & sine mora fugere debemus, quin carni vel sangvini aurem præbeamꝰ, vel in crastinum differamus, quod fortè

nunquam deinde amplius faciamus, ſi hodiè non exequamur illud. Nullus hominum, ait S. Aug. Epiſt. 259. ad Corn. poteſt eſſe ſecurus de uno ſolo die vitæ ſuæ; nec eſt quidquam magìs deplorandū, quā ſi converſio de die in diem differatur. Dum angeli à Deo miſſi ad Loth viderunt, quod tardaret, & exitum ſuum è ſodoma differre vellet, eum manibus apprehenderunt, & ſic violenter extra civitatem illum pertraxerunt; ſi non exiſſet, in momento ſimul cum aliis infelicibus habitatoribus civitatis hujus periiſſet. Gen. 19. 16. Per omnes gratias, quas Deus nobis confert, monet nos, ut corruptionem mundi hujus fugiamus; manibus nòſtris nos quaſi apprehendit per afflictiones, quas nobis immittit, compellit nos quaſi, ut ad eum redeamus; ſi non ſtatim ſequamur illum, timendum ſanè, ne à peccato præoccupemur, & medium amplius non ſuperſit effugiendi juſtitiam illius; *non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; ſubitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ diſperdet te*, Eccleſ. 5. 8. Si domus ab igne corrupta ſit, de hoc ſolummodo cogitare ſolemus, quacunque ratione evadere valeamus, parùm ſoliciti de hoc, utrum quidquam nobiſcum ſumere & aſportare valeamus; pari velocitate & promptitudine

fuge-

fugere debemus occasionem peccati; quia quemadmodum stultè ageret ille, qui se periculo exponeret, ut aliquid de suppellectili salvare possit, sic non minùs insipiens foret alius, qui animam suam exponeret periculo mortis æternæ, eo quòd de salute sua primùm tunc cogitare vellet, si priùs passioni suæ satisfecerit. Igitur quamprimùm relinquenda est occasio peccati, obedistìne huic præcepto? ad quos excessus, ad quas profanationes, ad quæ sacrilegia fortasse devenisti? eoquòd in hoc defeceris? ubi es? examina teipsum desuper, & scito, neque ullum interesse, seu commodum neque consanguineos, neque amicos, te ab hac obligatione eximere. *Qui nos scandalizare non deficiunt, quamlibet chari sint, relinquendi, quamlibet utiles, deserendi,* S. Pacianus ep. ad Simplici. Sufficítne fortè, si præcisè ejusmodi occasionem promptè fugiamus? non.

PUNCTUM III. Neque subsistere debemus in hac fuga, neque iterum reverti, id est, semper magis ac magis elongare nos debemus ab hujusmodi occasionibus, & cor nostrum tam longè abstrahere ab iis, ut nunquam nos pœniteat talia generosè reliquisse; *& qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam.* Id, quod castissimus Joseph ad litteram executus est, Gen. 39.

dum se in periculo positum agnovit; fugit nempe, & maluit pallium suum reliquere uxori Putipharis, quàm ad illam reverti, & repetere tunicam suam, & simul vitam perdere, ait S. Chrysostomus hom. 77. in Math. sed hoc ipsum est, in quo quàm plurimi deficiunt; armistitium quoddam initur cum mala consuetudine, ut sic unà cum aliis, tempore paschali, vel Jubilaei cujusdam, comparere possimus, sic statim iterũ id reassumitur quod fuit dimissum; retrogredimur subitò, quin nos reflectamus ad hæc verba; *qui manum suam mittit ad aratrum, & retrò respicit, non est aptus regno Dei*, Luc. 9. 62. Neque ad ista verba; *melius enim erat illis, non cognovisse viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti*, 2. Petr. 2, 21. O quot sunt, qui hujus abusûs& excessûs rei sunt! examia teipsũ, qualiter te geras in hoc puncto? an non ipsemet etiam ad talia reversus es? an non mille prætextus quæsiîsti, ut continuare posses amicitias, saluti tuæ minimé convenientes? non vis fortè hospitia frequentare, quia clericis prohibita & interdicta sũt; sed an non certas domos frequentas, ubi tempus lusu, potu & impuris recreationibus transfigitur? abhorres à comercio scãdaloso cum altero sexu, verùm an non familiarius conversaris, vel diutius apud il-

las te detines, sub prætextu alicujus directionis, devotionis, & pietatis? desere ejusmodi loca, & emenda similes defectus, qui tristes quandoque effectus & consequentias post se trahunt, & clericis minimè conveniunt. Remitte mulieres tales in domos suas, ut rei suæ familiari, ac domui invigilent; utilius hoc ipsis erit, quàm ejusmodi conversatio, & discursus etiam pii, qui plus quandoque de concupiscentia, quàm charitatis in se habent. *Occasiones enim peccatorum amputandæ sunt,* ait primũ concilium Carthag. Can. 3. *Et tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli, sub prætextu charitatis, & dilectionis, incautas animas, vel ignaras irretire consuevit.* Pro Missa seu præparatione ad Missam, bonam cape resolutionem; & quia hìc agitur, ut ad sanctum sanctorum accedas, semper magìs ac magìs declina ab omni eo, quod qualemcunque apparentiam peccati habet. *Ab omni specie mala abstinete vos,* 1. Thessal. 5. 22.

FERIA SEXTA.

Orate autem, ut non fiat fuga vestra in hyeme, vel sabbatho; erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet. Math. 24. v. 20.

QUALITER NOS GERERE DEBEAMUS IN TEMPORE SCANDALI vel PERSECUTIONIS.

1. Humiliare nos debemus coram Deo.
2. Orare pro ecclesia.
3. Illius doctrinæ inhærere.

PUNCTUM I. DIcere possumꝰ cum S. Hier. Comment. in Math. l. 4. c. 24. istud monitum à Christo Domino suis discipulis datum respicere specialiter vel ruinam Jerosolymæ, sub imperatoribus Tito & Vespasiano; vel ultimã illam & horribilem persecutionem, quæ ecclesiœ toleranda erit, in fine temporũ, ex parte Antichristi. Quia verò non solùm hoc tempus Antihristi nobis timendũ est, & hoc iniquitatis mysterium jam modò formari incipit in cordibus infidelium, juxta hæc verba S. Greg. moral. l. 19. c. 4. *Nemo illa persecutionis extremæ tempora quasi sola perhorrescat, apud iniquos quotidie namque res Antichristi agitur, quia in eorum cordibus mysterium suum jam nunc occultus operatur.* Hinc instructioni, & documento alicui generali inhærebimus, quin penetrare velimus id, quod Interpretes S. scripturæ de isto homine peccati dixerunt, qui sanctis tam crudele bellum illaturus est, sufficit itaque nobis hìc dicere aliquid de eo, quid faciendum sit tempore scandali vel per-

persecutionis, quo vel maximè orationi & meditationi incumbendum est. Si turbas quasdam, scandala, vel persecutionē quādam oriri & grassari videamus, ità ut boni affligantur, & ecclesia desolationem patiatur, propter mala, quæ perferenda illi sunt, vel à propriis filiis, vel ab inimicis suis, quid faciendum nobis in his diebus miseriarum & afflictionis? primum, quod nos facere oportet, est, ut nos coram Deo humiliemus, & studeamus iram illius placare, non nos ipsos justificando ab aliis, & separando, quasi nullo modo participes essemus peccatorum, quibus ad iram concitatus fuit, sed annumerando nos inter peccatores, & simul cum illis erubescendo, & plorando ad exemplum tot aliorum sanctorum sacerdotum & pastorum. En! quid Daniel fecerit? erat propheta omnium minimè particeps peccatorum illorum, ob quæ populus Judæorum translatus fuerat à Deo in Babylonem, & tamen minimè se ab iis separat; confitetur cum ipsis peccata sua, & in numero eorum se computat, qui Deum irritaverunt; *peccavimus, iniquitatem fecimus; impiè egimus, & recessimus, & declinavimus à mandatis tuis & judiciis; tibi Domine justitia, nobis autem confusio*, Dan. 9. 5. Et adjungit; *non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciē*

tu-

tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Idipſū etiam ſentiebat, & pari ſpiritu humilitatis dicebat ad Deum S. Sacerdos Eſdras; *Deus meus confundor, & erubeſco levare faciem meam ad te, quoniam iniquitates noſtræ multiplicatæ ſunt ſuper caput noſtrum, & delicta noſtra creverunt uſque ad cœlum,* 1. Eſdræ. 9. 6. Anne ità te humiliaſti coram Deo? an non pro eo, ut ingemiſceres coram Deo, & teipſum confunderes, more ſuperborū illorum te geſſiſti, qui ſe ſolos ſapientes, & fideles Deo reputant; more illorum præſumptuoſorum, qui ſoli loqui volunt, cúm tacere deberent; more inquietorum illorū, ac turbulentorum, qui diſſenſiones & jurgia fovent, cùm talia ſopire, & unitatem ſpiritûs in vinculo pacis, omni modo & conatu conſervare deberent, prout apoſtolus præſcribit; *ſoliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis.* Epheſ. 4. 3. Examina teipſum deſuper,

PUNCTUM II. Non ſit tibi ſatis, ſolū humiliare te, & annihilare coram Deo; in conſideratione eorum, quæ eccleſiæ toleranda occurrunt; ſed ora inſtanter pro eâ; nam quia tempore calamitatum ſimilium publicarum majora ſunt pericula, etiam oratio noſtra longè ferventior eſſe debet; hinc dicitur: *orate autem, ut non fiat fuga veſtra in hyeme vel Sabbatho.* Quod S. Hier.

explicat hoc modo; *hæc præcepit, ut non refrigescat fides nostra, & in Christum charitas; neque ut otiosi in opere Dei torpeamus virtutum Sabbaoth.* Si ecclesiam diligimus, sanè movere nos debet status ille, ad quem ob peccata nostra redacta est; & si aliud nihil pro illa facere possumus, saltem compassionem nostram eidem non denegemus. Non debemus illi solùm manus nostras ad laborandum; sed etiam cor nostrum ad orandum & ingemiscendum propter necessitates illlius, quæ quotidie majores evadunt, pro mensura nimirum iniquitatis, & scandali, quæ quotidie augentur; hinc hortatur nos propheta Is. 13. 6. *ululate, quia propè est dies Domini; quasi vastitas à Domino veniet.* Obligatio nostra est, ut pro necessitatibus populi preces nostras effundamus; ideo enim ordinati sumus in sacerdotes; *inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes, ministri Domini, & dicent: parce Domine, parce populo.* Joël. 2. 17. En munus, officium, & obligationem nostram! quomodo illis fatisfacis? annon solummo redditibus ecclesiæ gaudes? si autem orandum pro eâ, ah! quis est, qui hoc faciat, prout oportet? hinc lamentatio illa Dei; *quæsivi virum, qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inveni, & effudi super eos indignatio-*

nem.

nem meam. Ezech. 22. 30. Verba ista; *quæsivi virum, & non inveni,* cuilibet in particulari terrorem incutere debent; nam nescio, an non ego in causa sim, quare hoc patiatur ecclesia? an non ob fugam meam tam malè defensa sit? nam quis cõprehēdere valeat omnes effectus, quos peccata producunt? *delicta quis intelligit?* fortè exprobrabitur mihi aliquando; quòd si pro Deo laborassem, & cor meum purum custodissem, ut cum assiduitate & zelo orare potuissem, hæc vel illa accidentia, tot ac tales calamitates ecclesiæ, fortè nõ accidissēt. Quid respõdere potero, si mihi dicatur, me fuisse virum illum quæsitum, sed non inventum? & consequenter in causa me fuisse, & rationem à me reddendam, cur ira, & justa Dei indignatio super populum effusa sit? quia, quando Deus aliquem quærit ad cohibendam iram indignationis suæ, signum est, quòd velit ignoscere, consequēter culpa nostra est, si non ignoscat; *quæsivi virum, & non inveni.* Oremus itaque pro ecclesia in tempore afflictionis suæ, recursũ nostrum ad Deum habeamus, qui non permittet, ut tentati simus supra id, quod possumus; si timendum, ne fides nostra succũbat, in aliqua nimis longa persecutione, abbreviabit certò dies, juxta explicationē S. Hier. super verba ista; *propter electos breviа-*

viabuntur dies illi, abbreviati dies intelliguntur, ait hic S. D. ne temporum morâ fides concuciatur credentium. Veniamus

PUNCTUM III. Ad 3tium punctum, quod nobis Evangeliū suppeditat in tempore tribulationis vel scandali; nempe ut caveamus nobis á falsis prophetis; *surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ.* Ut nobis caveamus, & securos nos reddamus contra tales filios perditionis, nunquã curiositatē aliquam admittere debemus circa omne id, quod novitatem aliquam redolet; *si quis vobis dixerit, hic est Christus, nolite credere; ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.* En monitum illud, quod nobis dat Evangelium! ut id sequamur inhærere debemus his duobus principiis. Primum est, fidem Ecclesiæ, extra quam nulla salus est, esse invariabilem; id quod jam à tempore Apostolorum creditum fuit, etiam hodie tenetur, & creditur: & perseverabit usque ad finem mundi, quia etiam Christus JEsus cum sua sponsa manebit; *usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. 20. Et juxta hanc regulam omnis nova doctrina regulari debet; & quandoque hoc solum sufficit ad condemnandam talem doctrinã novam ex hoc solo capite, quòd verè nova sit; *ó Timothèe,* ait S. Paulus 1. Tim. 6. 20.

20. *depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* Credere, & salvari, hoc totum est, quod christianus scire & observare debet, dicebat olim Tertullianus hæreticis sui tēporis; *cedat curiositas fidei; cedat gloria saluti; nihil ultrà scire, omnia scire est.* l. de præserv. adv. hæres. c. 14. Alterum fundamentum, cui inniti debemus est, ecclesiā nostram esse universalem; ex quo sequitur, Christum neque in hâc, neque in illâ sectâ esse; cautos igitur nos esse oportet quoad omnia particularia, seu nova dogmata; firmiter inhærere debemus ecclesiæ catholicæ, apostolicæ, & Romanæ, cujus fides eandem cum ipsa antiquitatem seu ætatem habet; *nolite credere, quòd Filius Dei in deserto gentium sit, aut in penetrabilibus hæreticorum, sed quod ab oriente usque in occidentem fides ejus in catholicis ecclesiis fulget.* S. Hier. Habes hic media, quibus uti oportet ad præcavendum lapsum tempore persecutionum, & scandalorum! amplectamur illa ex corde; & pro communione, vel Missa, roga Christum Dominum pro gratia hac, ut hæc ipsa in praxin deducere valeas; *custodi me Domine à laqueo, quem statuerunt mihi, & à scandalis operantium iniquitatem.* Ps. 140. 9.

DIE

DIE SABBATHI.

℣ *Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum virtute multa & majestate.* Math. 24. 30.

De divino judicio.

Clerici illud præ aliis debent timere:

1. Propter excellentiam statûs sui.
2. Propter singulares & speciales à Deo acceptas gratias.
3. Propter obligationes suas, quæ ipsis ratione statûs sui incumbunt.

PUNCTUM I. Finiamus meditationes istas, quemadmodum eas incepimus, & conformando nos spiritui, & intentioni ecclesiæ, meditationem instituamus de divino judicio, quod continuò mentem boni christiani occupare deberet; maximè autem clericorũ, nam quisnam majorem causam & rationem timendi hoc judicium habet? oraculum enim est Spìritûs S. *durissimum judicium his, qui præsunt, fiet,* si nimirum obligationi & muneri suo non satisfaciant, ergo minimè dubitandum, ministros ecclesiæ, utpote in longè sublimiori statu & gradu, quàm sit quæcunque dignitas terrena, positos, majori quoque rigore judicandos, quàm reliquum vulgus christianorum. Ita est, gradus iste eò terribilior, quò excelsior est ac emi-

eminentior. *Terribilis est locus iste*, dicebat olim S. Bern. ad quemdam pastorem ep. 238. lapsus ex loco tam sublimi, non potest non esse, nisi funestus, si pro eo, ut aliis præluceamus, & bono exemplo simus, iis in petram scandali, ob perversitatem morum nostrorum simus. Timeamus verba ista S. Petri, *tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei*. 1. Petr. 4. Id est, à prælatis, pastoribus, ab aliis ministris sacri altaris, á quibus exactam rationem exacturus est Deus, qua ratione gregem suum paverint. Audite igitur pastores & ministri Dei viventis! nolite vobismetipsis blādiri ob tot augustas & gloriosas qualitates, quibus vos condecoravit, & insignivit Dei Filius, per quas etiam modo prorsus singulari à communi plebe differtis. Verum est, eminentiam sacerdotii, ad quod sublimati estis, supremum omninò culmen esse, ad quod quis aspirare possit; *eorum omnium, quæ inter homines exoptantur, velut extrema meta*, ait Isidorus Palusiota l. 2. ep. 71. sed quid agetis; quando Christus JEsus ad judicandum venerit, & examinabit, utrum vita vestra sanctitati statûs vestri correspondenrit? contremuerunt ad hanc cogitationem & reflexionem sapientissimi & zelosissimi quique pastores; & neque ipse S. Paulus ab hoc terrore exemptus erat; protestatur enim,

enim, quòd, etsi nihil sibi conscius sit, minimè tamen se propterea justificatum putet; timet etiam, postquam ferè totum mũdum lucratus fuerat, ne à Domino & magistro suo reprobetur; *ne, cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar;* 1. Cor. 9. 27. Quam rationem ergo habuit apostolus ità sibi timendi? en, quid dicat; *qui autem judicat me, Dominus est,* 1. Cor. 4. 4. ah! si columnæ cæli contremuerunt, qualis noster esse debet timor, qui non nisi miseri peccatores, & monstris similes sumus? ait enim S. Ambr. de dign. sacerd. c. 9. *monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; dignitas prima, & vita ima; deifica professio, & illicita actio.* Ah! quot longè meliùs comparuissent in tremendo hoc judicio, si nunquam fuissent clerici, sacerdotes, parochi, beneficiati, aut ecclesiæ prælati; *esset sine dubio melius, salvari in humili gradu fidelis populi, quàm in cleri sublimitate & deterius vivere, & districtiùs judicari?* dicebat devotissimus S. Bern. l. 2. de consid. c. 7. igitur vel maximè causam timendi habemus non solùm ob excellentiam statûs nostri, sed insuper

PUNCTUM II. Ob singulares gratias, quas à Deo accepimus, de quibus ratio nobis reddenda erit. Principium hoc est S. scripturæ ab ipsomet Christo Domi-

no ſtabilitum; *cui multùm datum eſt, multùm quæretur ab eo; & cui commendaverunt multùm, plus petent ab eo.* Luc. 12. 48, Jam verò quas gratias non contulit Deus miniſtris ſuis? ſuper illos nimirum pretioſiſſima quæque dona ſua in abundantia effudit; dedit illis, quod ſibi chariſſimum eſt; concredidit illis myſteria ſua; commiſit eis diſpenſationem gratiarum ſuarum; depoſitarios eos conſtituit verbi divini; honore regiminis eccleſiæ ſuæ eos decoravit; poteſtatẽ eis contulit remittendi vel ligandi peccata; denique diſpenſationem ſanctiſſimi corporis & ſanguinis ſui, meritorum ſuorum, & omnium ſuarum ſpiritualium divitiarũ conceſſit; an non grandia & prorſus inſignia ſunt hæc beneficia & gratiæ? ſed ſcitote miniſtri Dei viventis, ait S. Greg. hom. 9. in evang. hanc ipſam ſingularem diſcretionem à populo, in diſtributione gratiarũ, novum eſſe, & majus fundamentum timẽdi; *cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum;* qui verò minora acceperunt, minus etiam habent, quod timeant; ſi verò tantâ abundantia gratiarum abuſi eſtis, timendum ſanè, ne vobis in die judicii ratio, & reſponſio deſutura ſit; *tanto ergo humilior quiſque debet eſſe ex munere, quanto ſe obligatiorem eſſe conſpicit, in reddenda ratione.* Mẽſurabit enim Deus tunc omnia, ſed

sed juxta pondus sanctuarii, omnesque actiones, ac functiones nostras examinabit. Quomodo breviarium recitasti? quomodo Missam legisti? quomodo sanctissima sacramenta recepisti, & ipse administrasti? qualiter usus es potestate tibi commissâ, dimittendi, vel retinendi peccata? ah quàm timendum jure nobis est, ne post tantum abusum gratiarum, & miserationum divinarum nobis idipsum dicatur, quod Balthasar rex audivit; *appensus es in staterâ, & inventus es minùs habens*. Daniel. 5. Nimìs levem te invenio, neque pondus illud habes, quale habere deberes in statera justitiæ meæ. Ah quot clericis jure hoc ipsum exprobrari poterit, quód tot favores à Deo acceperit, utpote vocati ad fidem christianam, tot infidelibûs in infidelìtate sua relictîs; quòd vocati ad statum clericalem, in quo tot media excellentissima habuerint, ut sanctî evadere potuissent; quòd educatî fortè in aliquo seminario, ubi optimè instructi fuêre, quo spiritu seu intentione SS. Ordines suscipere, & beneficia aggredi debuissent; & tamen minimè ejusmodi instructionibus conformem vitam vixerint; quòd minimè tantis gratiis correspondentem gratiarum actionē exhibuerint; quòd în spiritu non servierint Deo; quòd fructū non attulerint, nec cum usura talenta sua

applicaverint &c. *Inventus es minùs habens.* An non hæc & ſimiles cauſæ ſufficiant ad incutiendum nobis terrorem, ſi vel ſolùm cogitando hoc nobiſcum expendamus de omnibus iſtis, ſeveram nobis reddendam eſſe rationem, veniamus nunc ad obligationes ſtatûs noſtri, à quibus vel maximè timor noſter augeri debet.

PUNCTUM III. Obligationes clericorum quaſi in infinitum ſe extendunt. Sunt magiſtri, ſacerdotes, duces, paſtores, medici, mediatores &c. Omnes iſtæ qualitates novas, ac particulares ipſis imponunt obligationes; ùt magiſtri & duces debent non ſolùm ipſi eſſe ſapientes, & ſufficienter inſtructi in lege Domini, ſed inſuper etiam docere, & inſtruere curæ ſuæ commiſſos, & ducere eos, per vias ſecuras ad ſalutem; ùt medici animarum debent vulneribus, & plagis ſpiritualibus animarū convenientia, & propria adhibere remedia; ùt paſtores debent invigilare gregi ſuo; reducere oves errantes; ſuos corrigere & admonere; ùt mediatores debent offerre Deo ſacrificia, & preces continuas pro ſalute populi. Jam propriam conſcientiam inſpiciamus; quinam ſunt illi inter eccleſiæ miniſtros, qui ſeriò ſe applicant ad ſatisfaciendum hiſce obligationibus ſuis? quinam ſunt, qui talibus perfectè, & ùt opor-

porteret, respondeant? ubi inveniemus sacerdotes, qui continuò & sine intermissione laborant, tum ut ipsi sancti evadant, tum út alii salvi fiant? ô quàm meritò dicere potuit S. Bern. in quodam concilio Rhemis habito ad congregatos ibi prælatos ecclesiæ? *si reddenda est ratio de his quæ quisque gessit in corpore suo; heu quid fiet de his, quæ quisque gessit in corpore Christi, quòd est ecclesia!* alius verò Pater ità habet; *si diligẽter attenditis, fratres charissimi, omnes sacerdotes Domini non solùm Episcopos, sed etiam presbyteros, & ministros ecclesiarum, in grandi periculo esse cognoscitis; ipsis enim contestatur Spiritus S, dicens:* Is. 58. 1. *clama, necesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui Jacob peccata eorum; & iterum, si non annuntiaveris iniquo iniquitatem suam, sanguinem ejus de manu tua requiram,* Ezech. 3. 18. *de ipsis etiam apostolus dicit; obedite præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant tanquam rationem reddituri de animabus vestris, si prò se, fratres charissimi, unusquisque vix poterit in die judicii rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, à quibus sunt omnium animæ requirendæ? & ideo considerantes periculum nostrum orate pro nobis, ut commissis nobis gregibus ita spiritualia pascua studeamus jugiter providere, ut pro eis rationem*

bonam reddere mereamur; inter opera S. Aug. Tom. 5. append. ferm. 287. olim. 7. ex 50. homil. Canonizat nos quafi mundus, quia putant nos multùm boni facere, & præftare; facerdos ifte; ajunt, cantat aut recitat quotidie horas canonicas; quotidie Miffam legit; concionatur; confeffiones audit; homo fanctus eft; verùm fi alicui ex iftiusmodi obligationibus non fatisfaciamus; fi totum illud non perfecerimus, quod Deus à nobis exigit; fi vacuos nos inveniat in exercitio functionum noftrarum, quā timendum eft, ne idipfum etiam nobis dicat, quod cuidam epifcopo; *nomen habes, quod vivas; & mortuus es*. Apoc. 3. Confidera parumper exemplum virginum fatuarum, quod totiès in evangelio legis; fpōfus eas ad nuptias admittere recufans, nullum iis vitium objicit; habebant lampades fuas accenfas, ùt virgines prudentes; habebant veram fidem per has lampades fignificatam; non erant abfolutè omnibus bonis operibus deftitutæ, quia omnes parum olei habuêre, quod erat figura bonorum operum prout S. Chryfoft. hom. 79. in Math. advertit, & tamen repulfam paffæ funt. Quare. *habebant quidem*, ait hic ipfe S. P. *oleum, fed non copiofum, ideoque torquentur*. Bone Deus! quàm terribilia funt judicia tua; ah! prælatura; ah! facerdotium!

um! ah! ministerium ecclesiasticum! qualem terrorem nobis incutere debetis! siquidem omissio aliqua vel negligentia obligationum nostrarum aliquem in tantum damnationis periculum conjicit? ô si justi, & quidem non falsò, seu apparenter justi, & tales, qui pro justis reputabantur, tales tamen non fuêre, sed justi, qui tales effectivè fuêre, vix salvabuntur, *impius & peccator ubi parebunt?* 1. Petr. 4. 18. Pro praeparatione ad Missam; examina vias tuas, seu modum tuum vivendi, magnâ curâ & solicitudine, ut in adventu hujus supremi judicis, nil in te inveniat, quod prius non sit discussum, adeoque nil timere habeas, reddendam fortè à te rationem, quae non sit approbata! dicebant hinc S. Bern. serm. 55. in cant. *volo vultui irae Dei praesentari judicatus; non judicandus.* Dic intra temetipsum, quod respondere potero judici me interroganti, qualiter pervenerim ad hunc statum ecclesiasticum, vel ad hanc parochiam? qualiter functiones meas peregerim? qualiter usus sim redditibus meis ecclesiasticis? qualiter impenderim talenta mea, & gratias à Deo acceptas? *super custodiam meam stabo; & contemplabor, ut videam, quid dicetur mihi, & quid respondeam ad arguentem me.* Habac. 2. Si his cautelis utaris, minimè timendus tibi erit secundus

adventus Filius Dei, imò potiùs à contrario, cum omni fiducia eum exſpectabis; ardenter illum deſiderabis, eùmque videbis cum gaudio; *bonam cauſam habeamus, ut futurum judicium non timeamus.* S. Aug. ſerm. 265. n. 2.



ADDITIO
MEDITATIONUM.
Pro feſtis quibuſdam hoc tempore occurentibus.

VIII. Septembris.

DE NATIVITATE B. V. MARIÆ.

Beatam me dicent omnes generationes. Luc. 1.

De devotione erga B. V. Mariam.

1. Quàm obligati ſint clerici ad hanc devotionem.
2. In quo hæc conſiſtat?

PUNCTUM I. POſtquam Deum laudaveris, & gratias illi egeris pro inæſtimabili iſto dono, in hac die nativitatis B, V. Matris noſtræ, advocatæ noſtræ, mediatricis noſtræ, nobis conceſſo; uno verbo illius, *de qua natus eſt JEſus, qui vocatur Chriſtus.* Math. 1. 16. firmiter tene, devotionem te habere debere erga ſanctiſſimam ac Beatiſſimam Dei Matrem; ſiquidem devotio iſta inſeparabilis eſt à devotione erga Chriſtum, de

qua

qua toties in hoc toto opere egimus; æquum igitur eſt, ut meditationem aliquam tribuamus huic materiæ, ad inſpirandam clericis hanc ipſam devotionem. Ex rationibus, quæ nobis devotionem aliquam prorſus ſingularem erga Beatiſſimam Virginem perſuadere debent. ſolummodo tres ſelegi magis convincentes. Prima eſt, arctum illud vinculum, quod Maria habet cum JEſu Chriſto Deo, ac Salvatore noſtro, à quo electa fuit, ut eſſet Mater ſua; maxima ex omnibus prærogativa & qualitas, quam nobis imaginari poſſimus, ob quam beata dicetur in omnia futura ſæcula ab omnibus gentibus. Tanta prærogativa! quæ tot elogia meretur, ut eccleſia, quæ aliàs tam cautè procedit in laudandis aliis ſanctis, fateatur, ſe minimè reperire, per quod ſatis exprimere valeat laudes incomparabilis hujus Virginis, quæ tam felix fuit, ut caſtis ſuis viſceribus cõprehenderet, quem cœli & terra capere non valent; *quibus te laudibus efferam neſcio, quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Tam excelſa dignitas! ut per hanc venerabilis in ſempiternum reddatur angelis & hominibus; ſine dubio ergo hæc excitare debent pietatem & devotionem in clericis, eóſque ad hoc inducere, ut protectioni illius ſe committant.

Ad-

Advocatam habere vis, ait S. Bern. ferm. in nat. B. Mariæ ad Mariam recurre &c. Exaudiet utique Matrem Filius, & exaudiet filium Pater; *hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est, hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potéstne filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri filius potest?* altera ratio est, quòd sit Mater peccatorum, asylum & refugiũ nostrum. Qualem fundum teneritudinis, & charitatis non inveniemus in Matre Dei, qui incarnatus non fuit ob alium finem, nisi ut peccatores salvos faceret. Data fuit nobis, ut esset Mater nostra, quasi nova Eva; ajunt SS. PP. sed cùm ista infinita differentia, quod Eva fuerit principium mortis; Maria vero principium vitæ; Evæ viscera crudelia, & parricidalia fuêre; Mariæ vero plena misericordiæ; *quis dubitet*, ait S. Bern. hom. super missus, *in effectum charitatis transiisse viscera Mariæ, in quibus ipsa, quæ est, à Deo, charitas novem mensibus requievit?* an non insuper addere nos possumus, quòd etsi charitas, & teneritudo Mariæ pro peccatoribus non nisi participatio aliqua sit charitatis Cgristi JEsu erga nos, Maria nihilominus ipsi etiam comunicaverit speciem quandam misericordiæ, quã prius non habuerat, imò cujus fuerat incapax, ut verbum divinum, ut veritas æter-

ter-

terna, ut ſapientia increata; nam ùt Deus cognoſcit quidem miſerias; poteſt iis mederi, ſed ſentire eas non poteſt in ſemetipſo, ſeu ſenſibiliter iis tangi, & moveri, ùt homo autem vivaciter eas ſentit; eſt enim pontifex miſericordiſſimus, qui nobis ex intimo corde compatitur. Jam verô hanc ſenſibilitatem à Maria accepit; à Maria habet corpus hoc ſuum pro noſtra redemptione immolatum; ſanguinem hunc ſuum in ara crucis effuſum, ad ultimam uſque guttam, qui longè melius & utilius clamat quàm ſanguis Abel; oculos iſtos ſacratiſſimos, qui tot lacrymas fuderunt ob duritiã peccatorum; hoc os venerandum, thronũ dulcedinis & manſuetudinis; manus has, quas abſque ulla defatigatione, quã Moyſes ſenſit, toties in cælum levavit, ad flectendam divinam juſtitiam in favorem noſtri; quæque horribilibus clavis infami patibulo infixæ fuerunt, quemadmodum etiam pedes iſtos, qui tã laborioſè excurrerunt ad quærendas & reducendas oves deperditas domûs Iſraël. Ah! ſi Maria omnia hæc chariſſimo Filio ſuo repræſentare poteſt, quem acceſſum habebit ad illum? accedamus igitur cum fiducia ad thronũ miſericordiæ illius; recurramus ad tam bonam Matrem, tam teneram, tam compaſſivam, cujus interceſſio adeò potens eſt

apud

apud Deum. Tertia ratio clericis propria, præsertim sacerdotibus, est illa, admirabilis relatio & similitudo inter sanctissimas functiones nostras, & officium Matris divinæ; qui talis est dignitas sacerdotum, ut in susceptione SS. Ordinum, & impressione characteris sacerdotalis, simul etiam acceperint potestatem consecrandi, & producendi in altari illũmet ipsum JEsũ Christum, qui de Virgine natus est; habent illum quotidie in manibus suis, quem ipsa in castissimis visceribus suis portavit, distribuunt ipsummet JEsum populo in & per S. com̃unionẽ, quem Maria dedit mundo, ut esset pretium redemptionis nostræ. O stupendam potestatem sacerdotum! expẽde paulisper tecum hanc relationem, & admirabilem hanc similitudinem; & desume, ac judica exinde, an non magìs obligati sint sacerdotes præ communi plebe fidelium, ut devoti sint erga Beatissimam Virginem? verùm, ut in puncto tanti momenti non decipiaris;

PUNCTUM II. Considera, in quo cõsistat hæc devotio erga sanctissimam Virginem Mariam? consistit in *veneratione, invocatione, & imitatione*; si quis tria hæc benè observaverit, sine dubio verã erga Beatissimam Virginem devotionem acquiret. Venerari debemus sanctissimam Virginem,

nem, plusquàm ullum alium sanctum; quia nullus unquam fuit sanctus, neque erit, qui arctiori & intimiori vinculo unitus fuerit Christo, quàm ipsius felicissima Mater; proinde debemus illam considerare, & revereri ùt reginam angelorum, & sanctorũ; ùt principale instrumentum omnipotẽtiæ divinæ, in grandi opere redemptionis humanæ; ùt primarium prædestinatum post JEsum Christum, Filium suum, caput & exemplar omnium electorum. Verùm illã ità honorando, cultu quodam prorsus particulari, ac superiori, quàm sit ille, qui aliis sanctis exhibetur, caveamus, ne unquã illum comparemus, sive in cathedra, sive aliunde, honori, ac cultui supremo, & absoluto, qui soli Deo debetur. Infinita distantia est inter Deum & creaturas; hinc sæpius monere debent concionatores populum, ut in & ad Deum referat honorem illum, quem Beatissimæ Virgini deferunt, & exhibent. Id, quod ipsamet proprio suo exemplo ostendit, ùt S. Bern. advertit, ex occasione verborum sanctæ Elisabeth; *unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Luc. 1. Super quæ verba itá habet Bern. serm. in nat. B. Mariæ n. 12. *Magna quidem præconia, sed & devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magìs universa refundit, cujus in se benefi-*

cia

cia laudabantur; tu, inquit, magnificas Matrē Domini, ſed magnificat anima mea Dominum. Altera obligatio noſtra erga Beatiſſimam Virginem eſt, invocare illam in omnibus neceſſitatibus noſtris. Illa eſt Mater clericorum; debent hi recurrere ad illam, in omnibus difficultatibus à miniſterio ipſorū inſeparabilibus; præter iſtas cōmunes neceſſitates habent etiam ſuas particulares indigentias. Tentationes diaboli, mundi, & carnis, quibus nos magìs quàm reliqui fideles expoſiti ſumus, urgent nos ad inſtanter petendum ab eâ ſuffragiū & auxiliū. *O quiſquis intelligis te in hujus ſæculi profluvio, magìs inter procellas & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne avertas oculos à fulgore hujus ſyderis,* pergit S. Bern. ſuper Miſſus eſt hom. 2. *in periculis, in anguſtiis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca.* Quia inimici noſtri prorſus formidandi perſequuntur nos, de noſtra infirmitate, & modica reſolutione noſtra cōfiſi, hinc ad Mariam recurrendum, quæ illos toties debellavit, & vicit; roganda à nobis eſt, ut conterat draconis caput, qui in nos inſurgit, & devorare nos paratꝰ eſt. *ecce enim invadit me,* Tob. 6. quia ſumus in extrema indigentia, ideò ad Mariam confugiamus, quæ & ſcit indigentiā noſtrā & nos efficaciter juvare poteſt; denique quia

fine

quia ſine lumine ſumus, ac in tenebris cõſtituti, oremus,ut nos illuminet, ſitque dux noſtra, pharus noſtra, ſtella noſtra, in tot periculoſis rupibus ac ſcopulis periculoſiſſimis maris hujus mundi. Verùm ut non abutamur hâc noſtrâ erga illam fiduciâ; tertium, quod nos facere oportet eſt, ut illam imitemur. Non ſufficit ſolummodò recitare quotidie ſanctiſſimum illius Roſariũ, vel alias ejuſmodi preces perſolvere; oportet inſuper nobis ipſis pro regula noſtra ſproponere virtutes illas, quas ipſa exercuit; fidem ipſius, obedientiam, puritatem, modeſtiam, humilitatem, & ſimiles; quia in Maria inveniemus omnes in gradu eminenti, ùt S. Bern. in aſſumpt. ſerm. 4. ait; *cæteras quoque virtutes ſingulares prorſus invenies in Maria, quæ videbantur eſſe communes*; capitale hoc punctum eſt, interim tamen id ipſum eſt, in quo ordinariè delinquimus, & deficimus, & quæ ſumma malorum eſt, dantur nonnulli clerici, qui pro eo, ut peccatores ad pœnitentiam inducant, ſalutẽ illis promittunt, quæcunque demum peccata comiſerint, modò certæ cuidam confraternitati ſe inſcribi faciant, & veſtem illius portent. Imò audent ad cõfirmationem hujus falſæ opinionis ſuſpectas etiam hiſtorias, ne dicam, fabulas citare, à quibus hæretici ſcandalizantur, &

ſuper hoc ingemiſcunt illi, qui amorē pro eccleſia, & zelum aliquē pro ſalute animarum habent. Noli hoc ſolò contentus eſſe, ut ipſemet evites talem abuſum, ſed conare etiam illum populo diſſuadere; prædica devotionem, erga ſanctiſſimam Virginē, ſed devotionem, quamdā ſincerā, & ſolidā, quæ te ad illius imitationem adducet; devotionem talē, quæ non ſimpliciter in quibuſdam exterioribus conſiſtat, ſed reformationem morum, conjunctā habeat, & obſervantiā, mandatorum, & legis divinæ inducat. Factâ hâc reſolutione pro præparatione ad Miſſam conjice oculos tuos in ſanctitatē Mariæ; erubeſce, quòd tam imperfectus ſis adhuc poſt tot Miſſas & S. cōmuniones, conſiderando, per quot, & quas virtutes præparaverit, & dignam ſe reddiderit Beatiſſima Virgo, ad eum concipiendum, quem tu toties S. in altari produxiſti, & recepiſti, ſit itaque vita illius tam perfecta impoſterum exemplar, vitæ tuæ. Invenies ibi, quidquid neceſſariū eſt, ut bonus eccleſiaſticus evadas. *Talis enim fuit Maria, ut ejus unius vita omnium ſit diſciplina*, Ambr. de Virg. l. 2.

****

XXI. Septembris.

DE S. MATHÆO.

Vidit hominem ſedentem in telonio, Mathæ-

thæum nomine, & ait illi: ſequere me; & ſurgens ſecutus eſt eum. Math. 9. 9.

1. Vocatio S. Mathæi.
2. Quàm fideliter huic ſuæ vocationi reſponderit.

PUNCTUM I. ADoremus Chriſtum JEſum Dominū noſtrum, & gratias illi agamus, ob electionē hujus publicani ab æterno, & in tempore, ut eum cooptaret in ordinem apoſtolorū. Quotieſcunque feſtum aliquod apoſtolorū celebramus, admirari debemus effectus divinæ bonitatis in vocatione illorum; habemus autē ſpecialē cauſam id faciendi ob electionem S. Mathæi, ubi modo quodam eminentiori gratia Dei emicuit. Vidit JEſus publicanū hunc telonio ſuo aſſidentem; vocat eum ad ſequelam ſuam; Mathæus, ne momentū quidē temporis perdere volens, quin negotiis ſuis providere voluiſſet, ſtatim ſurgit, & hunc divinum magiſtrum ſequitur; relinquit non rete aliquod, vel naviculam, ùt cæteri apoſtoli, ſed divitias non contemnendas; ſacrificat totum, quod ulterius lucrari potuiſſet, ut ſequeretur Filium hominis, qui non habet, ubi caput ſuum reclinet, qui ex elemoſynis vivebat, nec aliud ſuis ſequacibus promittebat, niſi cruces, adverſitates, & perſecutiones. O vocationem prorſus extraordinariā! ô ſubitaneam mutationem! verum

eſt, publicanum hunc habere potuiſſe notitiam de miraculis & doctrina Salvatoris, & fortè etiam audiiſſe ipſum prædicantē; ſcio etiam, Quid S. Hieron. dicat; *quòd fulgor & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie reluceat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Sed tamen fateri oportet, converſionem adeò ſtupendam non niſi effectum eſſe potuiſſe gratiæ omnipotentis Salvatoris, qui conjectis miſericordiæ ſuæ oculis in hunc publicanū, eum lucratus eſt, ac efficaciter ad ſui ſequelam permovit. O JEſu! quàm potens & efficax eſt obtutus tuus! reſcice, quæſo etiam in me, ut tibi inhæream, ac per omnia te ſequar. *Aſpice in me, & miſerere mei,* Pſ. 118. Verum eſt, vocationem S. Mathæi initium fuiſſe felicitatis ipſius; ſed fidelitas illius in reſpondendo huic vocationi, conſummatio hujus felicitatis fuit; ſi neglixiſſet gratiam vocantis ſe Domini, fortaſſis hic nunquam amplius rediiſſet, & alius coronam ejus accepiſſet. Hanc te oportet facere reflexionē in iſto primo puncto. Vocavit te Deus ad ſtatum clericalē, & à corruptione hujus mundi te avocavit; ſi non fuiſti publicanus quidam, fortaſſis vitam duxiſti in mundo non minus inordinatam, dum tibi locum in eccleſia conceſſit; quam igitur cauſam habes gratias agēdi,

di, huic tam grandi misericordiæ Dei! *qui de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat*, 1. Reg. 2. Quia verò non sufficit gratum te ostendere, hìnc debes instar S. Mathæi huic gratiæ vocationis tuæ etiam fideliter cooperari; in hunc effectum

PUNCTUM II. Vide, quomodo hic S. Apostolus absque dilatione, absque regressu, & pro semper Christo se tradat. 1mo. sequitur Salvatorem *absque dilatione*, non disputat, nullam facit objectionē, prout ille fecit, qui permitti sibi petiit, ut patri suo defuncto priùs justa persolvere posset, Math. 8. 21. Neque ùt ille, qui Christum de medio interrogans, quomodo vitā æternam consequi posset, & accepto responso, quòd, si perfectus esse vellet, omnia, quæ possideret, relinquere deberet, ac pauperibus distribuere, tristis abiit, quia erat habēs multas possessiones, Math. 19. 22. Longè aliter sentiebat S. Mathæus; considerabat nempe seipsum ùt ægrotum, quem magnus medicus visitat; ùt mancipium, cui vincula dissolvuntur; in continenti igitur omnia, quæ in mundo habebat, reliquit; aliis cessit bona sua, & prætensiones in futurum, ut deinceps non nisi Christi JEsu esset. Anne & tu quoque jà te Christo dedisti? ah! longo jam tem-

pore gloriaris, ministrum te esse Christi JEsu, & fortè, ne semel quidem adhuc vitiosos habitus, & inclinationes tuas abjecisti, ut eum sequi & imitari posses? si dixisti, te ad eum pertinere, semper hoc factū fuit ægrè, & cum reservatione. O quàm longè abes à dispositione sancti hujus! dedit se Christo non solùm absque dilatione, sed insuper etiam. 2do. *Absque regressu.* Dum semel manum suam ad aratrum misit, nunquam ampliùs retrò aspexit; quam primúm cognovit Filium Dei, eum fideliter secutus est, in itineribus, in paupertate, in tolerantia, quin unquam reversus sit ad suum officium, quod dereliquit. Reversi sunt alii apostoli, ad piscationem, post resurrectionē JEsu Christi à mortuis, quia innocens erat occupatio; sed quia absolutè loquendo professio hæc, cui S. Mathæus addictus fuerat, exerceri quidem poterat, absque injustitia ulla, nihilominus, quia vix possibile erat, quin plures intervenirent injustitiæ, æternum fecit ab illa divortium. Anne similiter & nos fecimus circa ea, quæ nos ab ejus servitio impedire possent? plurimi clerici non nisi victimæ coactæ sunt, quas ad altare vi trahi oportet, qui brevi iterum resumunt principia & spiritū hujus sæculi. Ah! quantis gratiis opus erat, ut Deus nos exinde avelleret, *de lacu*

mi-

miseriæ, & de luto fæcis? Ps. 39. & tamen audemus iterum nos infigere eidem luto? ah! quàm corruptum est cor illud, quod postquam gustavit JEsum Christum, Spiritu illius repletum fuit, gratiâque illius ac justitiâ decoratum, nauseam statim sentit, & ad ollas Ægypti revertitur, ut creaturâ aliquâ fruatur, phãtasmata sectetur, vel potiùs stercora amplectatur! *qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora,* Thren. 4. 5. Sed redeamus ad S. Mathæum, consecravit se Christo *absque dilatione, & absque regressu. Ac pro semper,* toto vitæ suæ tempore deditus erat servitio magistri ac Domini sui. Amor quo in eum ferebatur, inspirabat ipsi zelum adeò ardentem, ut intra Judæam se continere non valuerit; majori campo, & magìs extenso opus erat. Ad intima Æthiopiæ penetravit, id est, juxta expressionem ipsiusmet Salvatoris, usque ad extremum terræ, ibìque manifestavit, & notam fecit sapientiam veri Salomonis; accessit clima aliquod calidissimis radiis solaribus infestum, ut illuminaret populum sedentem in umbra mortis, illorùmque oculis ostenderet verum lumen solis justitiæ; exturbavit dæmonem à possessione sua, qui gentem illam mille brutalibus superstitionibus vinctam tenebat. O quot cruces, quot contradictiones, quot

pericula expertus fuit in missione adeò difficili! sed hoc ipsum fuit, quod zelum ipsius auxit, & animavit. Lauda Deũ, quòd adeò benedixerit laboribus apostoli hujus; roga illum pro gratia, ut pariter ambulare valeas per vias justitiæ, & perfectionis, quas gloriosissimus hic evangelista nobis annuntiavit, & notas fecit. *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem*, Hebr. 13. 7. Tribue, quæso, mihi Domine, ut lectio sanctarum istarum virtutum continuum nutrimentum, & cibus meus sit, transeántque à corde ad manus meas, mediante fideli executione eorum, quæ facienda cognovero; *levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi*, Ps. 118. ut per omnes actiones meas, & tantum amorem, qui nil exhorrescat, & desiderium meum tibi demonstrem, quòd imitari velim vitam apostolorum tuorum, & sequi exemplum, quod nobis reliquerunt. Pro Missa, memor esto convivii, quod S. Mathæus Christo Domino fecit, ut gratitudinem suam, gaudiùmque ostenderet ex eo conceptum, quòd ad sequelã illius vocatus fuerit. Potes illud considerare, ut imaginem cœnæ eucharisticæ, quæ omnem dulcedinem gratiarum in se continet, quas Dominus noster JEsus Christus

ſtus iis conferre ſolet, qui ſe abſque ulla reſervatione ſervitio ipſius mancipant; *faciet Dominus convivium pinguium; convivium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatæ.* Iſ. 25. 6.

XXIX. Septembris.

DE S. MICHAELE, & SS. ANGELIS CUSTODIBUS.

Nonne omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus, in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis. Hebr. 1. 14.

DE DEVOTIONE ERGA SS. ANGELOS CUSTODES.

1. Obligatio noſtra erga illos.
2. Quam illis gratitudinem debeamus.

PUNCTUM I. ADoremus Dei providentiam in aſſignatione SS. Angelorum pro noſtra cuſtodia, ut neceſſitatibus noſtris invigilent. Qualis honor pro nobis? qualis exceſſus divini in nos amoris, quòd curam commiſerit ſpiritibus adeò ſublimibus, támque unitis ſibi in æterna beatitudine, non ſolùm populorum, vel regnorum, ſed etiam cujuſque hominis in particulari? gratias agamus divinæ bonitati pro hoc beneficio inæſtimabili, & benè intelligere, ac comprehendere ſtudeamus, quantis nos beneficiis ſibi obſtringant hi beatiſſimi ſpiritus. 1mo. ſunt

custodes nostri, & duces; semper lateri nostro assistunt, ut à peccatis nos costodiant in tot periculis, quæ tota vitâ nostrâ nos circumdant; *angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, Ps. 90. 11. Qualis consolatio pro nobis, quòd sciamus, angelum Domini semper nobiscum esse, sive dormiamus, sive vigilemus, sive laboremus, sive quiescamus. *Angelus meus vobiscum est*, Baruch. 6. Nobiscum est in vita; nobiscum est in hora mortis, & optat, ut & nos cum ipso simus per totam æternitatē. Quod autem vel maximè æstimare debemus, hoc est, esse angelos istos tam fideles, atque securos, ut perfectè omnino sciant viam, quæ ad cœlum ducit, utpote ipsimet aliquando viatores; docentque nos per suā humilitatem, submissionem, zelum, & activitatem, obedire Dei mandatis, quodque aliter beati esse nequeamus, nisi constanter Deo adhærendo; *attendunt nos peregrinos* ait S. August. in Ps. 62. n. 6. *& miserantur nos, & jussu Domini auxiliantur nobis, ut ad illam patriam communem aliquando redeamus, & ibi cum illis fonte dominico veritatis, & æternitatis aliquando saturemur*. 2do, sunt *amici* nostri, sed amici verè charitativi, qui nos hortantur, monent, & ob defectus nostros nos reprehendunt. Mille modis diversificant has suas exhortationes, & re-

reprehensiones, ut sic eas efficaces reddant, nostræque dispositioni proportionatas. Expectant tempus, & momenta favorabiliora, quo cor nostrum penetrare valeant veritates, quibus anteá rebelles eramus. O quoties, dum limites temperantiæ excessimus, ad cor nostrum nobis locutus est bonus angelus; potésne adeò tui oblivisci, ut brevem ac brutalem voluptatē saluti tuæ præferres? quoties dum irâ & vindictâ corrupti fuimus, castas illas delicias nobis repræsentavit, quibus anima gaudet, quæ in pace vivit? quoties si imprudenter in malam quamdam societatem pervenimus, admonuit nos, ut citò citiùs pedem referamus, ne torrente mali exempli abrepti, eo usque deveniamus, ut unà cum malis sociis pereamus? *surge, ne & tu pariter pereas in scelere civitatis*, Gen. 19. 15. Hæc sunt verba, quæ dixerunt angeli ad Loth; & quia ille differebat exire Sodomâ, violenter eum exinde eduxerunt. *Dissimulante illo, apprehenderunt manum ejus.* An non id ipsum boni angeli etiam quoad nos fecerunt, obtinendo nobis à Deo precibus suis illas efficaces, & victoriosas gratias, sine quibus pericula nobis imminentia non evasissemus? 3tio. sunt *protectores* nostri apud Deum; offerunt illi preces nostras, & modicum illud boni, quod facimꝰ,

ut

ut nobis veniam & misericordiam, quâ indigemus, ab eodem obtineant. Pleni zelo & solicitudine, pro salute nostra aliud magìs non optant, quàm ut nos socios habeant beatitudinis suæ, & ut vacuæ agelorū apostatarum sedes, qui non servaverunt suum principatum, à nobis impleantur. Sine intermissione supplicant divinæ bonitati, ad concedendum nobis gratias suas, quo ad beatitudinem æternam pertingere valeamus; defendunt nos assultu & impugnatione dæmonum, qui nobis eam eripere laborant. O quis enarret omnia servitia, quæ nobis hi sancti angeli præstant, & obligationem reciprocam, quâ iis obstricti sumus? certò de hoc persuasi simus; & discamus exinde pariter, in quanta æstimatione nobis esse debeat anima nostra, *magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum!* Hier. in Math. c. 18. & pro

PUNCTUM II. Tot nobis exhibitis & exhibendis beneficiis, debitam ac proportionatā eis gratitudinem exhibere studeamus. Explicat hoc ipsum S. Bern. super ista verba Ps. 90. *Angelis suis Deus mandavit &c.* serm. 11. & 12. in Ps. 90. *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? reverentiam pro præsentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Reverentiam pro præsentia.* Quid? an non eundem

dem reſpectū & reverentiā pro angelo habeamus, qualē iis exhibuimꝰ, qui in juvētute noſtra magiſtri noſtri, & præceptores fuêre? nihil in eorum conſpectu auſi fuiſſemus patraré, non dico, quid peccaminoſū, ſed nec minimā actionē, contra decentiā & modeſtiā. An non igitur certò de hoc perſuaſi, in quocunque demum loco ſimus, angelum noſtrū nobiſcū eſſe, idipſū etiam à nobis ipſis obtineamus? an non præſentia ipſius inſtar frœni nobis eſſe debet, ut intra limites perfectæ ac exactæ alicujus modeſtiæ nos contineamus? anne in tantum noſtri ipſorum obliviſcemur, ut in conſpectu principis curiæ cœleſtis, qui inceſſanter throno Dei aſſiſtit, id agere præſumamus, quod corā hominibꝰ non auderemꝰ? *in quovis diverſorio, in quovis angulo, angelo tuo reverentiam habe; tu ne audeàs illo præſēte, quod vidente me non auderes?* ibid. 2do. amici noſtri ſunt nobis addictiſſimi; petunt igitur à nobis *devotionem pro benevolentia.* Omnibus neceſſitatibus noſtris invigilant, & obligationū noſtrarum nos admonent; audire eos debemus, ipſorum monitis obedire, & fructum trahere ex omni illo bono, quod nobis conferunt. Interim tamen, ubi eſt reverentia, & ſubmiſſio noſtra erga illos? pro eo, ut aurem præbeamus inſpirationibus S. Angeli noſtri, quoties e-

un-

undem contriſtavimus per inobedientias noſtras, & affectũ peccaminoſum erga res viles & indignas chriſtiano vel clerico? pacem quamprimùm ineamus cum adverſario hoc noſtro, & charitativo cenſore vitiorum noſtrorum, quamdiu adhuc in via cum illo ſumus, ne nos judici tradat; ne teſtem contra nos agat, ne nobis in præſentia judicis exprobret, ſurdos nos fuiſſe ad omnia illius conſilia, ac omnem illius correctionem ſpreviſſe. Revereamur igitur illud, & vocem illius audiamus; *obſerva eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes, quia non dimittet, cùm peccaveris, & eſt nomen meum in illo, ait Dominus; quod ſi audiris vocem ejus, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te.* Exod. 23. 21. 3tiò boni angeli, protectores noſtri ſunt; protectio iſta *fiduciam* à nobis exigit *pro cuſtodia.* Poſſumúſne dubitare, quin omninò potentes apud Deum ſint, ſiquidem ſemper fideles illi permanſerunt; eíque amore invariabili adhærent, & non niſi unus ſpiritus cum illo ſunt. Igitur magnam erga illos fiduciã concipiamus in omnibus occurrentiis & mutationibus variis vitæ noſtræ; aſſiſtentiam illorum imploremus ut nos à laqueis diaboli ſecuros reddant, & contra tentationes & aſſultus leonis hujus rugi-

en-

entis defendant, qui aliud non quærit, nec intendit, nisi ut devoret nos. Tutelaris Angele, custos fidelissime, amice generose, protector potentissime, qui curã mei suscepisti, durante hâc vitâ meâ, & tot signa tuæ in me benevolentiæ mihi dedisti; fac me ea omnia semper, & ubique cognoscere, & agnoscere, quæ Deus meus à me ad propriam sanctificationem meam requirit; impetra mihi gratiam, ut ea opere ipso compleam. Conserva me in periculis, quibus ratione inimicorum meorum expositus sum, quibusque ratione propriæ ac naturalis corruptionis meæ continuo subjaceo. Illumina tenebras meas; dissipa omnes sathanæ illusiones; dirige gressus meos, ut Dei voluntatem & consilia de me exequendo, ad eandem tecum beatitudinem feliciter tandem pervenire merear. Percipiemus hodie pignus, & prægustum quemdam hujus inestimabilis beatitudinis in S. communione, si ad eam accedamus, prout oportet. Satagamus igitur comedere hunc panē angelorum novâ cum puritate; conjungamus non his beatissimis spiritibus, qui altare circumstant, ac incessanter divinum Salvatorem nostrum benedicunt, & laudant, quousque tandem cum ipsis eundē possidere valeamus in cœlis sine velamine &

ob-

obfcuritate, *In confpectu angelorum pfallam tibi; adorabo ad templum fanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Pfal. 137.

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

IV, Octobris.

DE S. FRANCISCO ASSISINATE, PATRIARCHA FRATRUM MINORUM,

Chrifto confixus fum cruci. Galat. 2.

1. S. Francifcus crucifixus erat cum Chrifto, ob virtutes, in quibus eum imitatus eft.
2. Vita chriftiani, maximè verò miniftri ecclefiæ, debet effe continua quadam crucifixio.

PUNCTUM I. EN! fanctum aliquem, quem fufcitavit Deus in fæculo duodecimo, ut effet perfectá Imago Filii fui crucifixi. Tria intervenerunt in crucifixione JEfu Chrifti; fpoliaverunt eum veftibus fuis; *exuerunt*; contumeliosè illum tractarunt; *illuferunt*; foderunt manus & pedes illius, & cruci affixerunt; *crucifixerunt*. Eundem effectum in S. Francifco habuêre, & caufarunt virtutes evangelicæ. Paupertas illum *fpoliavit*; pœnitentia *humiliavit*; & charitas illum *crucifixit* cum Chrifto JEfu.

Provi-

Providentia divina, quæ eum deſtinavit ad hoc, ut veſtigiis inſiſteret Salvatoris, qui amore noſtri pauper & egenus factus eſt, quique copiam ſui, ſeu imaginem, huic divino originali aliquatenus ſimilem nobis exhibere voluit, permiſit, ut inſtar ipſius naſceretur in quodam ſtabulo. Parentes illius, qui conſilium DEI ſuper illo neſcierunt, mercaturæ eum applicârunt; ſed ad aliud genus, cōmercii prorſus divini vocatum ſe ſentiebat Franciſcus per quod bona cœleſtia requirantur, per contemptum nimirum bonorum terreſtrium; omnia ſua uſque ad veſtes etiam proprias Patri ſuo reliquit, ut JEſum in perfecta quâdam nuditate ſequeretur. Non fuit de numero illorum pauperum, qui nullam prorſus incōmoditatem paupertatis ſentire, & tolerare volunt; probatus & purificatus nempe fuit *in camino paupertatis.* Senſit nimirum, vel potius guttatim, ac longo tempore abſorbuit rigorem, & incōmoda paupertate inſeparabilia; famem, ſitim, nuditatem, frigus exceſſivum, calorem inſupportabilem, lectum, ſeu potiùs ſtratum duriſſimum &c. Nonniſi Deum ſolùm quærebat, in ſuis indigentiis, ineoque omnia ſe habere putavit, conformiter ſententiæ illius præclariſſimæ, quàm continuò in ore ſuo verſabat; *DEus meus, & omnia.* Per-

fectus hic pauper talis fuit in omnibus, & quoad omnia; pauper in sua nativitate:mũdum hunc primò aspexit in stabulo; pauper in vita, seu modo vivendi, dum omnibus, quæ in futurum habere poterat, generaliter renuntiavit; pauper in vestitu; quem omninò exuit, quô domi utebatur, & non nisi saccô, & ciliciô se vestivit, pauper in habitatione, non nisi domum, vel tugurium cōmodatum inhabitans, sepulchro, quàm cellulæ cuidam similius, pauper unô verbô, in omnibus, ad imitationem JEsu Christi, cujus excellentem imaginem nobis proponit Chrysost. dum de eo ita loquitur; *nascitur in præsepio, famet in deserto, pauperibus stipatur, nudus in cruce moritur.* Magnum exemplar hoc est omnium prædestinatorum, quod fideliter in seipso expressit Franciscus. Nascitur in hunc mundum in quodam paupere stabulo; vivit in jejuniis, & continua quadam necessitate & indigentia; nonnisi consortium pauperum amat; moritur in lectulo ex asseribus in cōpacto, quasi in cruce quadam durissima. En primum lineamentum conformitatis illius cum JEsu crucifixo! Veniamus ad 2dum nempe pœnitentiam illius, quæ eum omni generi illusionum & irrisionum apud mundanos exposuit, quemadmodum JEsus à Judæis ludibrio fuit habitus. Vix funda-

menta

menta jecerat pauperrimi ordinis sui adeò humilis, austeri, pœnitentis, & principiis hujus sæculi tam repugnantia, pro eo, ut plausum & laudẽ à mundo retulisset, ipse cũ discipulis & prĩis sociis pro stulto habebatur; sed in hoc vel maximè gloriabantur, & gaudebant dicentes; *nos stulti propter Christum.* Fabula erant, dicereque cũ Apostolo poterãt, *tanquam purgamenta hujus mundi facti sumus, omnium peripsema usque adhuc.* 1. Cor. 4. 13. Pretiosæ sane scopæ, quas Deus in sinu suo non est dedignatus recondere! adeò enim statim multiplicavit eos, ut Franciscus coactus fuerit in diversis locis novas erigere colonias; hanc etiã consolationẽ habuit, ut in quodã generali capitulo quinque millia suorum congregata viderit, felicissimus sanè ex omnibus Patriarchis. Quãquã vel maximè à pœnitentia abhorreat mundus, impedire tamen non potest, quin reperiat Franciscus semper novos sui sequaces, qui studeant evadere imitatores pauperis humilis & pœnitentis Christi, ad exemplum sui sancti Patriarchæ, qui eidem adeò conformis fuit non solùm in paupertate & pœnitentia, sed etiã in charitate, quâ eidẽ crucifixus erat cruci. Vix mũdo renuntiârat Franciscus, ut se totũ Christo JEsu daret, quin statim summũ in eo desideriũ exarserit, seipsum crucifigendi, ut adeò

mille modos invenerit, seipsũ affligendi, & cruciandi, nunc volvendo seipsum inter spinas; nunc nudũ se quasi in nive sepeliendo; nunc corpus suũ diris flagellis macerãdo, & tã crudeliter tractando, ut obligatũ se crediderit adveniente hora mortis, veniã ab eo petendi; quando secum expendebat JEsũ Christũ in cruce pendentẽ, vulneribûs & plagîs coopertũ, vix se resolvere poterat ad ampliùs vivendũ sine vulnere, cũ S. Bern. *cùm te videam vulneratum, nolo vivere sine vulnere.* Hinc in eo ortũ habuit nobilis illa ambitio prædicandi evangeliũ in Africa, & mortẽ indagandi inter infideles, quã inter christianos invenire non poterat. Quia verò reperire id non poterat, quod tã ardenter desiderabat, añe fortè carere quoque debuit gloriâ istâ, ut cũ Christo crucifixus esset? nequaquã; quod manus hominũ efficere non potuêre, solus amor certè ingeniosus effecit. Reversus sanctus hic vir in Italiã, ut liberius in horrido deserto deplorare, & plangere posset passionẽ Salvatoris sui, hoc suo cõpassivo amore promeruit, ut inter ardentissimos charitatis affectus & ferventissimã meditationẽ reciperet sacra Christi JEsu stigmata in suo corpore, & sic gloriosissima, & fidelissima imago illius efficeretur. O stupendũ, & usque ad illud tempus inauditũ miraculũ! habuit

Franci-

Franciſcus non ſolùm gloriā iſtā & honorē, patiendi pro Chriſto, & prout ipſe paſſus fuit, ſed etiā, ut ab ipſo JEſu pateretur, & ſacra illius ſtigmata per manus illius impreſſa reciperet. *Charitate vulneratus ego ſum.* Gratias Deo agamus, quòd Eccleſiæ ſuæ hunc illuſtriſſimū charitatis martyrem dederit, &

PUNCTUM II. Hanc inſuper reflexionem faciamus, vitam chriſtiani, maximè autem Clericorum continuam eſſe debere crucifixionem; id, quod nos docet S. Paulus, Galat. 5. 24. *qui autem ſunt Chriſti carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* En! quale debeat eſſe noſtrū exercitium, quamdiu hic vivimus ſuper terram; hinc dixit S. Aug. ſerm. 32. de SS. *tota vita chriſtiani hominis, ſi ſecundùm Evangelium vivat, crux eſt, & martyrium.* Credisne hanc veritatem? ut autem ad praxin deveniamus, nota hanc crucifixionem ſecum importare 1mo generoſam abrenuntiationem bonorum hujus mundi, quod indicant verba iſta Salvatoris, Luc. 14. 33. *qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et ſi ſcire velis, quasnam conditiones hæc interior renuntiatio exigat? en illas tribus verbis! debent bona hæc acquiri non ſolùm abſque injuſtitia, ſed etiam abſque aviditate; de-

bent possideri absque superbia, & abusu; & denique paratum esse oportet, relinquere illa absque murmuratione & dolore, vel per elemosynas, vel aliter disponente Dei providentia. O quàm rarum est inveniře tales christianos, imò etiam inter Clericos, qui taliter comparati sint? *quàm rarus est*, ait S. Ambr. in Ps. 118. *qui possit dicere, portio mea Domine! quàm rarus est, qui nihil cum sæculo habeat commune!* oportet sæpius ac frequentius crucifigere passiones suas, ut quis eò perveniat. 2dò hæc crucifixio petit continuam mortificationẽ inordinatarum voluptatum, hoc est, non solùm renuntiare debemus operibus carnis intemperantiæ, impudicitiæ &c; sed etiam omni illi, quod nos ad tales excessus perducere posset; non sufficit, ut non simus jurati inimici crucis JEsu Christi; sed debemus insuper signa seu stigmata Dei nostri, amore nostri crucifixi, portare, adeò ut quasi impressa sint corpori nostro per continuam solicitudinem & applicationẽ, reprimend sensus, & inclinationes nostras inordinatas. *Semper mortificationem JEsu in corpore nostro circumferentes*, 2. Cor. 4, 3tiò hæc crucifixio trahit post se amorem ardentem, & gratitudine plenum erga JEsum crucifixum, & passionem illius. Verus christianus non potest seriò meditari

tari Chriſtum JEſum crucifixum, quin animæ ſuæ illum imprimat; quin manus ſuas expanſas conſideret ad ſe amplectendum; cor ſeu latus apertum ad ſe amandũ. Totum corpus ad ſe redimendum expoſitum; & conſequenter, quin id fiat, quod S. Aug. ait; *totus tibi figatur in corde, qui totus pro te fuit fixus in cruce.* Examina modò, an talis cum JEſu crucifixus homo ſis? éſne hic pauper evangelicus, cujus cor omninò abſtractum eſt à vanis honoribus, & perituris bonis hujus mundi? ſi tibi ſurripiuntur, quid dicis? quid cogitas? an non ipſa cutis tua tibi quaſi detrahitur? *ùt cutis à carne diſtrahitur, non ùt veſtis deponitur.* Aug. in Pſ. Quinam eſt amor tuus pro JEſu? & quidem crucifixo? cogitáſne frequenter de illo? imitariſne illum? portáſne ſtigmata illius in corpore tuo per continuam mortificationem? éſne affixus obligationibus ſtatûs tui, tanquam crucis tuæ, à qua tota via tua nunquam deſcendere debes? annon è contrario ex numero ſenſualium, & voluptuoſorum hominum illorum es, qui de alio non cogitant, quàm quomodo ingraſſanter & voluptariè ac deliciosè vivant? ah! quàm longè adhuc abes à monte Calvariæ, & à cruce JEſu Chriſti? humilia te, & ſtude quamprimùm propriæ tuæ reformationi! Pro

communione, vel Missa, memor esto, opus esse carne mortificata, ut quis se carne agni immaculati nutriat, & valdè puram esse oportere animam, quæ divina mysteria celebrare velit; id quod Angelus quidam S. Francisco intimavit figura vasculi cujusdam crystallini lucidissimi, ac purissimâ aquâ pleni. Hinc statim se resolvit ad permanendum in statu Diaconatûs, indignum se judicans, qui ùt sacerdos adorandam hanc victimam immolet, quam nos quotidie offerimus. Imitemur illum saltem in aliquo quoad hanc profundam illius humilitatem! hæc erit optima dispositio, quam ad altare afferre possimus; & post lectam Missam vel peractam communionem, eandem virtutem exerceamus, dicendo cum Jacob, ex intimo corde, agnoscendo miserias nostras, & magnitudinem miserationum divinarum; *Domine, minor sum cunctis miserationibus tuis*, Gen. 32

XV. OCTOBRIS.

DE S. THERESIA.

Inveni, quem diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ. Cant. 3.

1. Invenit Theresia JEsum in iis, quæ passa est.
2. Possedit illum in oratione seu contemplatione.
3. Introduxit illum in ordinem, quem reformavit.

PUNCTUM I. PRimum, quod in S. Theresia notandum

est, desiderium illud est, quod à tenera ætate habuit; sacrificandi nimirum vitam suam pro Christo JEsu. Animi generositate pari Martyribus, eò etiam connittebatur, ut zelum illorum imitaretur, quò etiam coronari cum ipsis parì coronâ mereretur in cælis. *Quid*, dicebat, *semper, semper, semper.* vita S. Theres. c. 1. Non attenta debilitate ætatis suæ, delicato temperamento suo, nec fragilitate sui sexûs, séptimo statim ætatis suæ anno, barbaram inter Mauros manū indagabat, à qua prōptè & maturè Christo JEsu imolaretur. O animum omninò heroicum! sed quàm difficile est, virtutem adhuc teneram, ac primùm natam, resistere omnibus laqueis, quos mundus ei parat! non debemus dissimulare etiam hoc; Theresia experta est id, ut ut ab ea discerent reliqui juvenes, & adolescentiæ. Quamvis à sua nobili familia, aliud non audierit, quàm lectiones devotionis, & pietatis, sensit tamen se brevi, exemplo quodam domestico, affectam valdè lectione comœdiarum, & fabulosorum figmentorum; & quia etiam sæpius conversabatur cum aliqua omninò vana, & mundana consanguinea, quæ non nisi principiis sæcularibus plena erat. Adeò refriguit in ea omnis sensus pietatis, quo Deus eam prævenit, ut sine gratia extraordi-

naria seu speciali, planè abrepta fuisset torrente illo, qui tot animas in infernum secum trahere consuevit. Si libros ejusmodi profanos eò periculosiores esse dicerem, quò magìs ex industria venenum suum occultare student, mihi fortè non crederes & opinionem hanc meam nimìs rigidam esse diceres, quamvis opinio sit omnium sanctorum; sed crede hoc Theresiæ; quidnam eam eò deduxerit, ut duobus solummodò digitis, à præcipito, & interitu absuerit. ibid, c. 2. Agnoscens igitur, aerem hujus sæculi, fatalem esse innocentiæ suæ, eidem renuntiare statuit. Deus, ut eam ad se revocaret, per acerbas & continuas infirmitates illam afflixit, ubi ab hominibus derelicta, non nisi de Deo cogitare cœpit. Huc nempe redacta, has duas extremitates experta est; *aut pati, aut mori.* Videns enim mortem se evadere non posse, nisi patiendo; nec passionem evitare, nisi moriendo, intellexit perbenè dilectum suum sibi planè talem esse, qualem sponsa in Canticis descripsit; *fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi.* O quàm luculenter experta est, partem aliquam agoniæ Christi JEsu, à Patre suo derelicti! ô quàm sæpe, & quàm longo tempore invenit se positam in terra deserta, invia, & inaquosa! anima illius similis montibus illis Gelboë, maledictione à Deo percussis! nec guttulam ali-

cujus pluviæ, vel roris recepit. Non nisi justum, ac severum erga se experta fuit Deum. Blanditiæ illius vertebantur in repulsam; ad quod genus martyrii comprehendendum, necesse est, ut quis amet ipsemet. Septemdecim ipsos annos transegit in hac atroci probatione, quin constantia illius mota, & fiducia illius diminuta fuisset; imò à contrario, nunquam majori fortitudine & generositate prædita fuerat; in miserabili enim statu isto, & laboriosissimo conservabat seipsam, fide sua omninò grandi, in spem contra spem credidit, & terribilem manum istam, quæ ipsam in furore suo conterere velle videbatur, amorosissimè exosculabatur. Nunquam immodicè inhærebat, & affixa erat blanditiis, & favoribus sponsi sui, quemadmodum animæ illæ omninò sensuales, quæ omnem statim devotionem, & pietatem deserunt, si non gustu, & suavitatibus abundent, neque uno solo die de propriis expensis servire volunt. Theresia unicè JEsum, & hunc crucifixum vult; præfert absque hæsitatione fel, clavos, spinas ipsius, omni dulcedini, gaudiis, & consolationibus spiritualibus; magísque æstimat derelictionē Calvariæ, quàm raptus & extases Thaboris. Quia verò adeò in iis, quæ passa est Theresia, Christum JEsum invenit, videamus

deamus nunc, quomodo illum etiam possederit, seu tenuerit, in contemplatione.

PUNCTUM II. Theresia similis sponsæ in Canticis, quæ sponsum suum prius non invenit, nisi relictis post se vigilibus, seu militibus, civitatis custodibus, à quibus malè fuit habita, omni conatu, etiam à se abjicere studuit vanas ideas hujus sæculi, ut sic dilecto suo pro semper uniri posset, per orationem ferventissimam, & quasi continuam. Qualis fuit hæc ipsius oratio? talis, qualem peccator, ût ego sum, haud explicare valeo, quamque ipsa hæc sancta non nisi magno labore, & difficillimè exprimere poterat. Dicam solummodò id, quod ex lectione vitæ illius didici; fuit oratio illius continua, & perpetua quædam *recollectio*; quidquid ei objiciebatur, novas ipsi reflexiones suppeditabat, omnésque actiones suas in continua Dei præsentia peragebat; fuit hæc oratio quædam *quietis* id est, quiescendo, in Deo sibi præsente, quem ex toto corde amabat, & adorabat, fuit oratio *unionis*, considerando mysterium Incarnationis Filii Dei, & diversos status illos, in quos amor nostri illum redegit; voluit nempe seipsum illi unire, & deinceps non vivere, nisi ipsi; & pro ipso; fuit oratio *extasîs & raptûs*, ubi elevata supra carnem, & sensus suos, De-

um

um quærebat, tanquam principium omnis boni; amplectebatur illum tanquam originem omnis veritatis, & defixa erat in cōtemplatione perfectionum illius, bonitatis, potentiæ, majestatis, & gloriæ &c. Erat oratio tam fervida, ut impulsam se in illa, & per illam senserit, ad emittendum hoc ardentissimum votū faciendi deinceps semper id, quod perfectius esset. Denique fuit oratio *lacrymarum & gemituun*, quibus amarè deflebat perditionem & interitum tot animarum, & horrendam depopulationem, & damna, in Gallia, & Germania, ab hæresi tunc grassante, causata. O quātò dolore afficiebatur, quando sibi ipsi tantum numerum Ecclesiarum repræsentabat, quas hæretici destruxerunt,& sic Christum JEsum quasi ex sua propria domo expulerunt, ut ipsius modô loquendi utar, quique videbantur nolle illi concedere ullum locum, ubi caput reclinaret; anne similiter movent nos mala Ecclesiæ? qualis est nostra oratio? ubi sunt gemitus?ubi lacrymæ coram Deo profusæ, pro conversione hæreticorum, & peccatorum? ah! quàm longè absumus à zelo & perfectione S. Theresiæ. Non contenta erat illa Christum pro seipsa possidere; curam ac solicitudinem in se suscepit, ut eum in totum Ordinem suum per reformationem introduceret,

ret, & fic ad litterā adimplevit id; *inveni, quē diligit anima mea; tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ.*

PUNCTUM III. S. Therefia, quæ aliud non optabat, nifi converfionem peccatorum, reductionem hæreticorum, & fchifmaticorum ad gremium Ecclefiæ, deftructionem regni fathanæ, incrementum regni Chrifti JEfu, neque aliter fe ipfam, ob abfentiam illius confolari potuit, nifi falute plurimorum; magno ardore & fervore, in reformatione Carmelitici Ordinis amplexa eft occafionem, quam Deus illi fubminiftravit, præclarè exercendi zelum fuum; omnibus omninò laboribus, à tanto negotio infeparabilibus fefe expofuit; & non obftantibus tot adverfitatibus & obftaculis ex omni parte, huic tam laudabili intentioni fuæ occurrentibus, eò rem perduxit, ut fine alio fundo, nifi folius providentiæ divinæ, triginta duo monafteria fundaverit, in quibus fine intermiffione ad id tendebatur, quòd in vita interiori & perfecta fublime erat, & excellens. Vidit Hifpania cum admiratione imaginem quamdam aurei fæculi, & primitivæ illius Ecclefiæ Jerofolimitanæ; & Alexandrinæ, vel potius Ecclefiæ cœleftis, & vita fanctorum Angelorum. Quale, quantúmque gaudium, & exceffus jubilationis, videre

tot

tot peccatores, ultrò pœnitentiam amplexos? tot justos, qui ad apicem & supremū culmen perfectionis se sublimârunt? hæc fuit gloria hujus sanctæ, quòd Ecclesias has fundavit, & plantaverit per sudorem suum, labores, persecutiones absque numero, per famem, sitim, vigilias, necessitates, indigentias, ac varias temporum injurias. Verùm omnia hæc illi dulcia & grata videbantur, modò lucrari posset Christo JEsu animas, eásque à corruptione hujus sæculi avocare. Culpabilem & infidelem suo sponso, futuram se existimâsset, si minori zelo & solicitudine, saluti animarum incubuisset, quas eidem diabolus incessanter eripere allaborat. Aspiciebat monasteria sua haud aliter, quàm ut propugnacula, & munimenta inexpugnabilia, & tanquam sacra asyla, ubi omnia in tuto essent contra insidias, & arma diabolica. Dici potest, eam optâsse æquè, ac S. Paulum, anathema esse pro salute peccatorum, & quod mihi magis mirandū videtur, vixque credibile videri posset, si non ipsamet hoc testaretur; concessit illi Deus aliquādo, tales dolores pati, ut similes fermè fuerint doloribus inferni, ut animam cujusdam sanè miserabilis sacerdotis è cœno turpissimorum scelerum revocaret, & extraheret, de cujus salute planè desperatum

erat, nisi incomparabilis Theresiæ charitas ei subvenisset. En! quid sit amare, non solùm cogitatione, vel verbis tantùm, sed effectivè, & in veritate! sic probatur amor! hoc est amorem suum Christo JEsu demonstrare. O qualis confusio pro nobis, qui tam tepidi & frigidi sumus in procurando lucro illius, & commodo! mereturne charitas nostra nomen hoc, quod instar arundinis, instar modicæ scintillulæ est, & cuicunque etiam levi contradictioni, & oppositioni cedit? potuit Theresia, sanctâ quâdam audaciâ provocare, quidquid terribile, & horrendum in mundo esse videbatur an potens foret eam separandi à charitate Christi JEsu; nos verò, si supra debilitatē nostrā nos ipsos reflectere velimus, & cōsiderare languorem nostrum, nostras inclinationes corruptas & perversas, amorem vitæ præsentis, passiones nostras immortificatas lapsus nostros frequentes &c. an è contrario justam causam habemus, centies de die exclamandi; *quid est, quod nos separare possit à charitate Christi*? humiliemus itaque nos in consideratione imperfectionum nostrarum; & pro communione, vel Missa, instanter rogemus Salvatorem nostrum, ut remedium iis afferre dignetur. O Domine, ah! *vide humilitatem meam, & eripe me*, Ps. 118. Erige me

à lapsu!

à lapſu! fac, ut impoſterum fidelius correſpondeam, & cooperer tuæ divinæ gratiæ; & docilior ſim ad obediendum ſanctæ legi tuæ. Reduc ad te hoc cor meum, quod non niſi pro te, & ad te creatum fuit! ne permittas, obſecro, ut creaturis inordinatè inhæreat; fac, ut extra te non niſi inquietudinem, & amaritudinem experiatur. Da mihi, Domine Deus meus, ut aliqua ratione participare valeam de virtutibus S. Thereſiæ; da mihi, quæſo, donum orationis ſpiritum zeli, charitatis, humilitatis, & pœnitentiæ, quô plena fuit Thereſia. O ſi anima noſtra his omnibus virtutibus ornata foret, certè dicere poſſemus, nos fecîſſe id, quod potuimus, ad dignè recipiendum inter nos Chriſtum JEſum, dilectum animæ noſtræ ſponſum; *dilectus meus deſcendit in hortum ſuum.* Cant. 6. 1.

XVIII. OCTOBRIS.
DE S. LUCA EVANGELISTA.

Similitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum. Ezech. 1. 5.

DE QUALITATIBUS VIRI EVANGELICI, IN QUATUOR ISTIS ANIMALIBUS PRÆFIGURATIS.

1. Cur ſancti Evangeliſtæ præfigurati fuerint per hæc myſterioſa animalia.
2. Quomodo S. Lucas huic ſignificationi ſatisfecerit.

3. Quid nos facere oporteat, ut eum imitemur.

PUNCTUM I. DUm Ecclesia in festo Evangelistarum visionem mysteriosam Prophetæ Ezechielis proponit, conabimur in præsenti meditatione, eruere sensum illum spiritualem, quem huic mysterio tribuit. Considerat ista quatuor animalia, ùt figuras quatuor Evangelistarum. Facies *hominis*, ait S. Hieron. in Ezech. c. 1. repræsentat S. Matthæum, qui suum Evangelium orditur à genealogîa Christi Domini secundùm humanitatem; per faciem *leonis*, intelligitur Marcus, cujus Evangelium incipitur à prædicatione S. Joannis in deserto, & per vocem clamantis: *pænitentiam agite*, quæ instar rugitus leonis est. Evangelium Lucæ figuratur per faciem *bovis*, quia, quemadmodum animal istud pro sacrificio destinatum erat, sic Evangelista hic sumit initium à sacerdotio Zachariæ. Denique facies *aquilæ*, S. Joannem demonstrat, qui ùt aquila usque ad cælum se sublimavit, describendo æternam Filii Dei generationem. Facies *hominis*, & facies *leonis*, quæ temporalem nativitatem Christi, & prædicationem præcursoris ipsius præfigurabant, erant à dextris; facies verò *bovis* sinistris, quia ùt idem S. Doctor ait, sacerdotium, & victimæ veteris legis aboleri debebant,

bebant, & locum dari spirituali sacerdotio illius, ad quem dictum fuit: *tu es sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Facies *aquilæ* desuper ipsorum quatuor erat, quia æterna verbi divini generatio longè sublimior est illius generatione temporali; & prophetia præcursoris ipsius, & sacerdotio veteris legis, dum S. Joannes nobis declarat, qualiter ab æterno Pater in Filio, & Filius in Patre suo æterno sit. Omnes tamen hæ facies animalium istorum adeò conjunctæ erant, ut non nisi unum solum Evangelium, propriè loquēdo, componunt, quod Christum nobis diversimodè, ac in diversis statibus repræsentat. Facies, & alæ horum mysteriosorum animaliū elevabantur in sublime; quia totum, quod Evangelistæ nobis dicunt, ad cœlum tendit, & aliud nobis non prædicāt, nisi quod gloriam & Majestatem Dei nobis commendat; *alæ illorum junctæ erant unius ad alteram;* ad denotandam admirabilem unionem, & conformitatem inter illos, eoquòd omnes eandem prorsus veritatem nobis manifestent; & ubique illum prædicent, quò Spiritus Dei eos implebat; ita ut nil eos retrò agere potuit, sed semper ante faciem suam ambulabant, id est, versus res æternas, & cœlestes; *unumquodque eorum coram facie sua ambulabat;*

ubi erat impetus spiritus, illuc gradiebantur, nec revertebantur, cùm ambularent. Habent non solùm alas, quibus elevabantur ad contemplandas sublimissimas veritates; sed etiam manus ad implendam voluntatem divini sui magistri; & pedes ad eum sequendum, dicitur de iis, *pedes eorum; pedes recti*; quia actiones virorum evangelicorum aliis pro regula servire debent. En sensum, quem PP. his verbis Ezechielis tribuūt. Hieron. in Ezech. idē procem. in Matth. Greg. M. in Ezech. c. 1. Bern. serm. ad Præl. c. 9. &c.

PUNCTUM II. Videamus, quomodo S. Lucas huic significationi satisfecerit. Habuit hunc honorem, ut manifestare potuerit, & notum facere Christum JEsum, omni possibili modo, per suas prædicationes, per sua scripta, per suas actiones, & passiones. O quàm fiducialiter partē laborum suorum huic fideli coadjutori suo comittere potuit magnus Apostolus, S. Paulus! plerique alii discipuli illum deseruêre; S. verò Lucas continuò ei adhæsit, eúmque comitatus fuit usque ad carceres, & martyrium; *Lucas est mecum solus*, 2. Tim. 4. 11. O fidelitatem omninò probatam, & testatissimam, O animū planè heroicum, qui aliud non timuit, quàm ne vocationi suæ infidelis existeret; & hinc

secu-

secutus est ubique S. Paulū, ut simul cū illo Evangelium JEsu Christi anuntiaret,& publicaret, *væ enim mihi est, si non evangelizavero; necessitas enim mihi incumbit*, 1. Cor. 9. Minimè exanimatus fuerat S. Lucas, sequendo, seu currendo post illum,quē S. Chrysostomus, appellat operarium alatum, & quasi gigantem, ob velocitatem cursûs sui; percurrerunt ambo vastum illud spatium, non solùm á Jerusalem usque in Illyricum, sed extenderunt insuper dominationem, & regnum Filii Dei in infinitis aliis territoriis Romanorum, qui tunc domini ferè totius orbis erant. Dici potest absque præjudicio, seu diminutione gloriæ, doctori gentium debitæ, S. Lucā, eoquòd pluribus annis post eum adhuc vixerit, siquidem octogesimo quarto ætatis suæ anno mortuus,tempus adhuc habuisse, etiam aliis populis, in umbra mortis sedentibus, annuntiandi Evangelium,& serviendi Deo, pro instrumento ad complendam & implendam magnificam hanc prophetiam; *quibus non fuit annuntiatus, videbunt lumen illius, & qui de eo nil audierunt, audient verbum illius.* Habuit vir iste Apostolicus non solùm honorem manifestandi JEsum Christum per suas ferventissimas prædicationes; sed notum etiam illum fecit, relinquendo nobis pretiosum

thesaurum Evangelii sui, quod continet in se nativitatem, vitam, mortem, resurrectionem, & ascensionem Salvatoris; felicior in hoc cæteris Apostolis, qui non nisi simpliciter prædicârunt gentibus Christum, invenit nimirùm secretum hoc, annuntiādi Evangelium omni tempore, in omni loco, & quidem usque ad consumationem sœculi. Reliquit insuper nobis fidelem relationem, seu historiam primorum annorum aurei Ecclesiæ sæculi, ubi Christi sanguis, adhuc quasi fumans, novos baptizatos excitavit, & animavit ad profundendum suum proprium sanguinem, pro gloria nominis ejus. Denique magnus hìc sanctus plus & efficacius prædicavit per suas actiones, quàm per verba. Si bonus fuit thesaurarius, qui optimè noverat dispensare verbum veritatis, longè adhuc melius id ipsum opere executus fuit; indispensabili nexu inter se cohærebāt apud illum verba & facta illius; unô verbô perfectus erat S. Pauli imitator, quemadmodum Paulus ipsius JEsu Christi; portavit quemadmodum ille stigmata JEsu Christi in corpore suo; quam laudem ei tribuit ecclesia, super quod nos meritò reflectere, & benè ad id attendere deberemus. Et quia nobis pro exemplari servire debet;

PUNCTUM III. Considera, quòd nos face-

facere oporteat, ut gloriosum hunc Evangelistam imitemur? Primum est, ut serio te applices in omni occasione, & omni modo, quo potes, annuntiandi, & notum faciendi Christum JEsū. *Opus fac Evangelistæ.* Addisce in hunc finem, doctrinam, & veritates fidei nostræ in S. scriptura contentas, vel per traditionem acceptas, antequam alios instruere velis; id quod nobis insinuat S. Lucas in principio Evangelii sui, quando ait, scripsisse se illud juxta ea, quæ ab Apostolis audivit, & didicit; *sicut* tradiderunt nobis, qui ab initio viderunt, & ministri fuerunt *sermonis*. Luc. 1. v. 2. 2dum est, ut frequenter meditemur mysteria, quæ Dei Filius pro nostra salute operatus fuit, quæ S. Lucas valdè distinctè, & enucleatè nobis declarat, ut talia credamus, fide non superficiali, ùt pluribus contingit, sed vivâ; ut pleni amore & gratitudine erga divinū hunc Redemptorem nostrum cum fructu illa prædicare, & aliis etiam sensum quēdam devotionis inspirare valeamus. 3tiū, quemadmodum perfectissima est inter Evangelistas concordia, qui nobis easdem omninò veritates annuntiant, itá oportet etiam magnam esse inter ministros Ecclesiæ unionem, qui in procuranda salute animarum laborant; inter Parochos & Re-

ligiosos; inter missionarios & prædicatores, iuter confessarios, & magistros spirituales, ita ut unanimiter ad spiritualem profectum populi sui intenti laborent. 4tũ denique debet prædicatio verbi divini vitæ nostræ sanctitate muniri, ut ad imitationem S. Lucæ vita nostra laboriosa sit, & pœnitens; obligationibúsque ministerii nostri, juxta pulcherrimum nobis ab ipso datum exemplum, fideliter satis facere studeamus; quia dum semel crucē Christii amplexus fuit, adeò constanter eam portavit, ut nunquam amplius à mortificatione cessaverit; *si crucis mortificationem jugiter in suo corpore portavit.* Benè expende hoc verbum *jugiter.* Oportet christianum, multò magis autem Clericum quotidie ad exemplum JEsu crucem suam portare; *jugiter*, id est, non debet ullum corruptæ naturæ nostræ concedi interstitiũ, sed continuò mortificare passiones nostras, pœnitentiæ agendæ non prius, nisi in morte, finem imponere. O bone Deus! concede nobis hanc gratiam, quam per intercessionem hujus beatissimi Evangelistæ à te petimus pro omnibus christianis, maximè autem pro omnibus Ecclesiæ tuæ ministris. Pro communione vel Missa, oporteret esse aliquem Lucam, seu amatorem mortificationis, ut anima nostra hoc cœ-

lesti

lesti manna reficeretur; *sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea*; saltem bonam voluntatem illius habeamus; & postquam Christus JEsus ad nos venit in hoc sanctissimo Sacramento, rogemus ipsum, ut imprimere nobis dignetur alias qualitates, quas Apostolus à viro evangelico seu apostolico requirit, *tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto.* 2. Tim. 4.

XXVIII. OCTOBRIS.
DE SS. SIMONE ET JUDA APOSTOLIS.

Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit. Joan. 15. 17.

DE CHARITATE VIRO APOSTOLICO NECESSARIA.

Debet esse 1. Proprii lucri minimè amans. 2. Generosa. Et 3. Patiens.

PUNCTUM I. ADoro æternum illum ac infinitum Christi JEsu amorem pro Ecclesia sua; non contentus, se pro illa in mortem tradidisse, voluit etiam post se relinquere viros, qui vitam suam, passionem suam & labores continuare possent super terram; qui essent vicarii charitatis suæ, & zeli ardentissimi pro salute animarum. Elegit in hunc finem

apostolos, & successores illorum, in ministerium ecclesiasticum, quibus dedit eandem potestatem, quam à Patre suo accepit cum abundantia gratiarum, quae magnitudini hujus muneris & officii essent proportionatae. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Joan. 29. c. 21. Ut quis utiliter laborare valeat pro animarum salute, charitatem habeat, necesse est, sed quamnam illam? talem, quae imo omninò non quaerat comodum, vel lucrum proprium; talem, qualis erat Apostolorum charitas. Vide, quid fecerint, postquam divinus Magister eos misit ad praedicandum Evangelium in toto mundo, & ut homines in infidelitate, & paganismo sepultos, ad lucem veritatis reducerent? quali promptitudine reliquerunt totum id, quod in mundo charissimum habebant? quanto fervore renuntiârunt omnibus, quae in futurum acquirere potuissent; purè, ut animas lucrari possent? nulla fuit amicitia, nullum vinculum, nulla affectio carnis & sanguinis à quibus zelus ipsorum impediri, vel retardari potuisset, ab hoc glorioso animarum lucro. Talis etiam esse debet activitas boni sacerdotis, ac fidelis ministri Evangelii. Si se occasio aliqua favorabilis offerat reducendi quamdam animam ad Deum, tunc coecus & insensibilis sit oportet.

tet, ad quodcunque proprium interesse; nullum commodum proprium respicere debet; paratus debet esse ad relinquenda omnia, ut opus tanti momenti ad felicem finem perducat. Ad hoc nempe se obligavit à tempore, quo illi collatum est sacerdotium, seu cura animarum, nullum amplius lucrum comparare debet lucro illius, si peccatorem aliquem ad frugem reducere possit. Ministerium suum, & obligationem suam non agnoscit, qui aliudquid intendit, aut quærit; *si officium presbyteri vis exercere*, ait S. Hier. Epist. 13. *aliorum salutem fac lucrum animæ tuæ.* Habésne similem charitatem? potésne cum Apostolo dicere, te aliud non quærere, nisi gloriam Dei, & salutem animarum? *non quærimus vestra, sed vos.* 2. Cor. 12. v. 14. Omnes Clerici deberent juxta S. Hier. quamprimum in ordinem Clericorum cooptantur, similes esse Eliæ, & omnia à se abjicere, à quibus impediri possent, ne se unicé Dei servitio & conversioni animarum applicent. *Elias, ad cælorum regna festinans, non potuit ire cum pallio, sed mundi in mundo vestimenta dimittit.* Epist. 34. Esne ita dispositus? si ita? gratias Deo age; &

PUNCTUM II. Nota alteram qualitatem, quam charitas, qualem à nobis exigit

git Christus, habere debet, esse, ut sit generosa; *si mundus vos odit, scitote, quia me priorem vobis odio habuit.* Si ducere vis vitam apostolicam, & laborare, prout oportet, pro salute animarum, multa tibi toleranda erunt in mundo; habebis obstacula non pauca, & difficultates non modicas superandas; quas non nisi fervor charitatis superare poterit. Hinc est, quòd Christus Dominus, constituendo S. Petrum caput visibile Ecclesiæ, & vicarium suum tribus vicibus se informaverit de charitate ipsius. *Dicit ei tertiò; Simon amas me? pasce oves meas.* Joan. 21. v. 17. Benè ad hoc attende, ait S. Aug. ibid. *interrogatur amor; & imperatur labor.* Debebat nēpe priùs certus esse de amore, antequam laborem ei imponeret. Si multùm amas, multùm laborabis; si parùm amas, parùm laborabis. Facilè est, ostendere zelum quemdam in reducendis ad Deum peccatoribus, si zelus hic laudetur, & ab hominibus gloriam consequatur, vel ab optimatibus hujus sæculi defendatur; & prorius amor sui ipsius majorem in hoc labore partem habet, quàm desiderium gloriæ divinæ. Si verò zelo nostro contradicatur, vel impugnetur; si persecutio propterea sustinenda sit, quin tamen remittat, aut refrigescat, tunc verè generosus est, &

talis

talis, qualem Deus à ministris suis exspectat; quia non vult fervorem illorum similem esse illi, quem quidam de tribu Ephraim ostendebant, quamdiu à prælio longè adhuc aberant, quo instante deinde fugerunt; *fili Ephraim intendentes arcum, conversi sunt in die belli.* Ps. 77. v,9. Non vult Deus, zelum nostrum transitorium esse, sed firmum & constantem, qui eò magis animetur, & inflammetur, quò majorem resistentiam experitur; qui opus & negotium inceptum, ad finem usque perdidit. Vult charitatem nostram similem esse charitati S. Pauli, qui etiam gravissimas persecutiones quasi ridebat; cœlum & terram, mortem & vitam, mundum & infernum, præsentia & futura. unô verbô omnia provocabat, an capacia forent. separandi ipsū *à charitate Christi?* Rom. 8. v. 35. Habesne hanc ardentē charitatem? ah tantum abest, ut te cuicunque periculo exponas ad lucrandas animas, vel à lapsu eas præservādas, ut potiùs forte unus sis ex illis ignavis, & timidis pastoribus, qui ad solum conspectum lupi venientes fugam arripiunt; oves suas crudelissimis inimicis in prædam cedunt, si vel minimum periculum adsit; qui minimo obveniente obstaculo animo cadunt? excita in te novum fervorem! non sufficit, ut commodum vel lucrum tuum

solum-

solummodo non quæras, aut generosum animum habeas;

PUNCTUM III. Oportet, ut charitas tua etiam patiens sit, & constans in omni genere malorum vel persecutionum; *non est servus major domino suo*, ait Christus in evangelio hodierno; *si me persecuti sunt, & vos persequentur?* & Apostolus nos monet, si fideles nos ministros exhibere velimus, commendabiles nos reddere debeamus, in omnibus & per omnia. *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis.* 2. Cor. 6. Neque calumniæ, neque laudes; neque bona, neque sinistra de nobis opinio, neque diversæ occupationes ministerii nostri, neque minæ, neque querelæ, neque injuriæ, neque violentiæ, patientiam nostram frangere debent, vel facere, ne curam habeamus infirmorum, quorum & sanitas corporis, & salus animæ nobis incumbit, aliter se gerere debent ministri novæ legis, quàm veteris; hi enim post exantlatos gravissimos labores, & ærumnosas probationes, ordinariè iterum liberati ab iis fuêre; nos verò alium finem exspectare non debemus, nisi ipsam mortem. *Sufferentiam Job audistis* ait S. Paulus, *& finem Domini vidistis.* Vidistis, quanta cum pa-

tientia,

tientia, quantâ constantiâ probationem suæ virtutis sustinuerit, tandem tamen ab omni afflictiòne, adhuc in ista vita, liber evasit, utpote, quem Deus non solùm in integrum restituit, sed omnia duplicia dedit, vide autem nunc etiam Christum JEsum, exemplar omnium virorum verè apostolicorum! passio ipsius, quæ uná cum vita illius incepit, alium finem non habuit, nisi mortem illius; semper crucem suam portavit; in eáque permansit, nec descendere voluit, quamvis Judæi ei promiserint, se in eum credituros, non nisi enim in altera vita remunerationem laborũ suorum & probrosæ mortis recepit. En! ministri Domini! magnum illud exemplar, juxta quod regulare debeatis patientiam vestram in laboribus, & adversitatibus, vestro ministerio annexis! finem in hoc mundo minimè exspectare debetis; imò potiùs nova vobis exspectanda erunt, quæ patientiam vestram exerceant, dum curam & solicitudinem in vos suscipitis, ut peccatores ad Deum reducatis. Non est necesse, ut ignem vel ferrum experiamini, sufficientes occasiones occurrent vobis, ut esse possitis martyres charitatis etiam in ipsa pace Ecclesiæ, *sine ferro martyr esse poteris, si patientiam in animo veraciter custodieris.* S. Bern. Pro præparatione ad Missam, pe-

te à Christo JEsu per intercessionem SS. Apostolorum charitatem hanc, quæ omnes prædictas qualitates habeat. O JEsu! in æternum sis benedictus, quòd Ecclesiæ tuæ dederis sanctos Apostolos, & innumerabilem multitudinem operariorum evangelicorum, qui vestigiis tuis insistendo, adeo constanter laborârunt, ad conservandum & augendum decorem domûs tuæ. Perge; obsecro, mittere plures adhuc tales operarios in vineam tuam, nobisque etiam hanc gratiam fac, ut nos quoque ex numero illorum simus; accende in cordibus nostris ignem hunc amoris qui eos adeò feliciter consumpsit, in laboribus illorum, pro salute animarum; da nobis amorem lucri proprii minimè studiosum; amorem generosum, qui non solùm omnia sua sacrificet, sed generosè quamcunque laborem in se suscipiat; amorem patientem, qui omnia sustineat, si de tua gloria propaganda agatur, & peccatores ad tuam gratiam revocandi sint. Pro gratiarum actione, perge in præfata oratione, & supplicatione; & certus esto, à nullo magis coronam boni sacerdotis, seu pastoris augeri, quàm per lucrum animarum; *tot coronas sibi multiplicat, quot Deo animas lucri facit.* Petrus Blesf. de vita Cleric.

PRI-

PRIMA NOVEMBRIS.

DE FESTO SANCTORUM OMNIUM.

Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, stantes ante thronum. Apoc. 7. v. 9.

1. Idea, quam nobis formare possumus de beatitudine Sanctorum.
2. Media perveniendi ad hanc beatitudinem.

PUNCTUM I. MAgna hæc multitudo, de quā in hodierna epistola loquitur S. Joannes, denotat, juxta sacros interpretes, innumerabilem multitudinem prædestinatorū, quos Deus gloriæ suæ participes fecit. O si concipere aliquo modo possemus, quanta sit hæc Sanctorum beatitudo, utiqe majori ardore dignos nos illâ reddere studeremus, sed non potest homo explicare illam; *non licet homini loqui*, ait S. Paulus 1. Cor. 2. v. 9. *oculus non vidit, auris non audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Post hāc sententiam Apostoli, fateri debemus, totum id, quod de hac beatitudine dicere possumus, nihil esse, in comparatione illius, quod reipsa beatitudo hæc in se continet; nihilominus ad formandam quamdam ideam de illa mutuare possumus à S. Augustino id, quod in aliqua sua epistola ait nempe, mansio ista beatorum, civitas quæ-

dam est, *cujus rex veritas, cujus lex charitas, cujus modus æternitas.* Epist. 138. ad Marcell. edit. nov. Inhæreamus his tribus verbis, quæ pro meditatione aliqua sufficiunt. *Nil est, quod fortius desiderat anima, quàm veritatem* Verùm, ah! quàm imperfecta est possessio veritatis, quamdiu adhuc in hoc mundo sumus! major hominum pars tam modicam de illa cognitionem habet, ut potiùs suam beatitudinem reponat in divitiis hujus terræ, in voluptatibus sensuum, vel in hujus mundi honoribus, quæ omnia tamen tam parùm reddere hominem felicem possunt, ut non nisi falsam felicitatem, & veram miseriam causent; *falsa felicitas, vera miseria, tantò magis flenda, quanto minus fletur.* Ait hic S. P. in Ps. 85. Illi ipsi etiam, qui nihilum omnium rerum terrenarum vident, & agnoscunt, quos Deus lumine fidei illustrat, non vident aliter veritatem, nisi quasi in umbra, & nube, quæ frequenter nobis eandem subtrahit, & tegit, quamdiu hoc mortali corpore circumdati sumus. *Nunc videmus per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*, ait S. Paulus 1. Cor. 13. tunc ordo naturæ, & gratiæ nil ampliùs obscurum, seu incognitum nobis habebit; non erit amplius cognitio confusa, & abstracta, sed visio clara & intuiti-

va attributorum, & perfectionum divinarum, pulchritudinis infinitæ hujus ſupremæ naturæ, quæ eſt ſummum bonum noſtrum. Portabit nempe veritas ipſa faculam ad oſtendenda nobis illa adoranda ſecreta, quibus ipſemet Deus, per totam integram æternitatem ſeriò occupabitur, in quorum conſideratione magnus Apoſtolus exclamavit; *O altitudo divitiarum, ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* unô verbô, hæc divina veritas intimè nos pervadet, & penetrabit; erit nutrimẽtum & cibus noſter, potus noſter, theſaurus noſter, imò generaliter omne bonum noſtrum. O bone Deus! quando erit hoc, ut exire poſſimus de loco iſto tenebrarum & mendacii? quando pertingemus ad beatitudinem noſtram, quam in hoc regno veritatis expectamus, augebit, hoc eſt, quòd lege charitatis gubernetur. *Cujus lex charitas.* Pax eſt vita cœli; in inferno non eſt niſi diſſenſio, nullus ordo, vel unio; dæmones & reprobi, ſeu damnati totidem quaſi furiæ ſunt, in ſe invicem furentes; quilibet damnatus inimicus eſt ſocii ſuæ pœnæ; omnes odit, & pariter omnibus odio eſt. Super terram pariter nonniſi diſſenſio, & nulla unio eſt; eo quòd cupiditas in plerisque hominum cordibus regnet;

non nisi justi, & veri servi Dei illius Spiritu aguntur, qui est spiritus charitatis; sed hæc ipsa etiam unio valde defectuosa & imperfecta est, parúmque requiritur & sufficit, ut quantocius dissolvatur. O quàm longè abest pax nostra ab ista pace ineffabili, quæ regnat inter habitatores cœlestis Jerusalem! non solùm enim uniti sunt invicem interius & exterius, sed cor cujuslibet civis hujus superioris civitatis, cuilibet illorũ apertũ est, & patet omnibus; nulla est diversitas opinionum, desideriorum, & intentionum; sed perfecta est conformitas; quamvis inæqualiter donis Dei gaudeant secundùm proportionem nimirùm meritorum suorum, incapaces nihilominus erunt vel minimæ etiam invidiæ; *non erit aliqua invidia imparis charitatis*, ait S. Aug. tract. 37. in Joan. *quoniam regnabit in omnibus unitas charitatis*. Quòd si gaudium de hoc, quod quis amet, & vicissim se tenere amari videat ab amicis Dei, tam perfectum est, quis exprimat illud gaudium, quòd quis videat se infinitè amari à Deo suo? quod sit objectum infinitæ illius complacentiæ? & locum tam honoratum in corde Dei occupet? planè jure merito hic exclamare possumus; *nimis honorificati sunt amici tui Deus*. Ps. 138. O si sancti, qui-
bus

bus ſe in hac vita vel parùm tantùm communicat, quaſi extra ſe rapi ſe, experti ſunt, & præ exceſſu gaudii animo defecerunt, quale jubilum & exceſſus gaudii erit, in ipſis beatis? ſiquidem gaudia ſpiritualia, quæ in hac vita jam guſtârunt, hæ ſanctæ animæ non niſi levis quidam prægustus ſunt gaudii cœleſtis, & ſcintillæ aliquæ, grandis illius amoris incendii, quo ardebunt in cælo & guttæ aliquot hujus torrentis voluptatis, quo tunc potandi ſunt! denique quod cõplementũ, & apex beatitudinis ipſorum erit, hoc eſt, quod futura ſit æterna & nequaquam menſuram ullam à tempore accipiet. *Cujus modus æternitas.* Parum eſt felicem eſſe tantùm aliquo tempore; verùm in felicẽ eſſe, pro ſemper; æternum frui Deo; vivere ipſamet vitâ Dei, conſũmatio & apex beatitudinis eſt. Judicemus ſeu deſumamus hoc à contrario. An non certum eſt hanc eſſe pœnam reproborum graviſſimam, & maximè afflictivam, quod ſupplicium, illorum nullum finem habebit; hæc cogitatio eos dejicit in deſolationem, & in incomprehenſibilem deſperationem; cuilibet malo, quod patiuntur, totum pondus æternitatis adjungunt: præveniunt in cogitatione ſua, & uniunt pro tempore præſenti, jam illud, quod durante tota æternitate tormentorum patien-

 tur.

tur. Idem jam dicamus etiam de felici æternitate, tota nobis ſimul & ſemel dabitur; quodlibet inſtans, quaſi integra quædam æternitas gaudii eſt. Sciunt beati, quod nulli ampliùs viciſſitudini ſubjecti ſint, quales nos hîc experimur, & quòd unicus dies æternitatis futurus ſit, poſt quē nulla ſecutura ſit nox; vel potiùs, quòd Agnus Dei futurus ſit pro eis lumen indeficiens in æternum; *in æternum exultabunt, & habitabis in eis.* Pſ. 5. 12. O felicem æternitatem, quanta bona in ſinu tuo recondita habes? ô Domine! *beati, qui habitant in domo tua Domine; in ſæcula ſæculorum laudabunt te.* Pſ. 83. 5. Sed quid facto opus, ut ad eam perveniamus.

PUNCTUM II. Media, quæ apprehēdere debemus, ut participes fiamus beatitudinis Sanctorum ſunt, ut veſtigiis ipſorum inſiſtamus, eosque imitemur. Aliud nil ſupereſt; éſtque hoc ipſum, quod Dominus noſter in evangelio ſuo nos docet, ubi legimus, paupertatem, contemptum mundi, crucem, lacrymas, & patientiam viam regiam ad cœlum eſſe. Inter Sanctos, ait S. Paulus, *alii ludibria, & verbera experti, inſuper & vincula & carceres; lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egeni, anguſtiati; afflicti;*

quibus

quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes; in montibus & ſpeluncis; & in cavernis terræ, Et tu putas, pervenire aliquem poſſe, ad illorum beatitudinem, vivendo delicatè, voluptuosè, & cum hoc mundo gaudendo? qualis apparentia! lege vitas Sanctorum, & in ſpecie, tot ſanctorū ſacerdotum & paſtorum; qui in eodem tecum ſtatu & vocatione vixerunt, vide, quouſque in perfectione evangelica pervenerint? fuêre ex iis aliqui adeò charitativi, & rerum iſtarum temporalium contēptores, ut nil illis in morte reliquum fuerit, eoquòd omnia in vita expenderint, quemadmodum S. Aug. de quo ſcriptum eſt; *teſtamentum nullum fecit, quia, unde faceret, pauper Chriſti non habuit.* Poſſid. in vita S. Aug. c. 30. Fuêre alii tam humiles, tam manſueti, tam miſericordes, ut univerſæ tribulationum aquæ charitatem illorum minimè extinguere potuerint. Alii tam fervidi, & zeloſiſſimi, pro ſalute animarum exſtitêre, ut ferè ignorârint, quid ſit, quietem capere, tranſigendo diem in inſtructione aliorum, in audiendis confeſſionibus & aliis ejusmodi operibus charitatis, noctem verò in gemitibus & oratione pro converſione & ſalute peccatorum. Denique alii, poſtquam Chriſto JEſu ſudorem & laborem ſuum conſecrârunt; deni-

que sanguine suo Ecclesiam irrigârunt, emerúntque bona cœlestia, per infinita quasi mala, & supplicia, quæ tolerârunt, prout SS. Martyres fecerunt, quorum per annum festa agimus, & vitam illorum toties legimus. Conjice oculos tuos in nubem hanc testium, qui æquè fragiles, ac circũdati infirmitatibus, ùt nos erant, & nihilominus ope divinæ gratiæ gloriosè triumphârunt, & obstacula omnia vicerunt. Ecclesia tibi omnes istos hodie proponit, ùt totidem intercessores & advocatos tuos apud Deum; utere illis, & eorum supplicationibus adjuvari roga, ô sancti Dei omnes honoro & revereor vos; benedico communem nostrum magistrum & gratias eidem ago, propter immensam gloriam, quâ labores vestros coronavit; fiat hoc, ut sentiam effectum protectionis vestræ! vos estis in portu securitatis; miseremini nostri, qui adhuc in medio mari hujus mũdi, inter mille periculosissimos scopulos jactamur; impetrate nobis gratiam, ut peccatum plusquàm mortem ipsam odiamus, illaque, quæ jam commisimus, per veram pœnitentiam aboleamus, ut sic vestræ gloriæ participes fieri mereamur, Amen. Pro Missa, roga JEsum authorem & consummatorem beatitudinis Sanctorum, ut inspiret tibi ardens desiderium perveniendi

ad sanctitatem, útque in dies magis ac magis, ad hoc consequendum labores. Quod ipsum est juxta S. Bern. ad quod nos animare debet hodierna solemnitas; *planè, quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum; vultis scire, quantum interest nostra? ego in me fateor, ex hac recordatione, sentio desiderium vehemens inflammari, & desiderium triplex.* S. Bern. in Festo SS. omnium serm. 5.

II. NOVEMBRIS.
PRO COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

Miseremini, miseremini mei, saltem vos amici mei, quia manus Domini tetigit me. Job. 19. 21.

1. Gravissimæ pœnæ, quas animæ in purgatorio sustinent.
2. Media, eas consolandi, & evitandi pœnas purgatorii.

PUNCTUM I. DEscendamus in spiritu in hunc horribilem carcerem, in quo justitia divina animas has detinet, quousque integrè à peccatorum suorum reliquiis purificatæ sint. Consideremus mala illa extrema, quæ ibi tolerant. Agnoscit hæc Ecclesia, dum pro iis orando, in augustissimo Missæ sacrificio, pro iis petit locum *refrigerii, lucis, & pacis; ipsis Domine & omnibus in Christo quie-*

scentibus, *locum refrigerii*, *lucis & pacis*, *ut indulgeas*, *deprecamur*. Can. Miss. *Si refrigerio* indigent, igitur in flammis detinentur; si *lumine* opus habent & *pace*, in tenebris, & perturbatione sunt. *Refrigerium* istud denotat pœnam sensûs: *lux* & *pax*, quibus carent, indicant præsentiam Dei, quâ carent. O quis comprehendere valeat duplex hoc genus pœnarum prorsus excessivarum! nil habemus hic supra terram, quod ad activitatem ignis accedat, neque quis sibi ullum crudelius supplicium imaginari potest, & tamen ignis noster nihil est in comparatione illius, quem in purgatorio patiuntur, qui juxta opinionẽ plurium theologorum idem est cum igne infernali; in supplem. S. Thom. q. 100. a. 2. nulla alia differentia est, nisi quoad durationem; in inferno sciunt damnati reprobationem suam esse æternam, neque unquam finiendas pœnas, quas patiuntur; sed animæ purgatorii securæ sunt de sua æterna salute; salvæ erunt, sed non nisi per ignem; *gravior tamen erit ille ignis*, ait S. Aug. in Ps. 37. n. 5. *quàm quidquid potest pati in hac vita*. Verùm non nisi dimidium hoc est, vel potiùs pars minima eorum quæ in purgatorio tolerantur; nam eheu! est iste locus ille, ubi non videtur Deus! & quis exprimere valeat statum illius animæ,

nimæ, quæ illius fruitione privata eſt;quæ libera ab omni materia ſeu corpore ad illum tendit, tanquam ad finem ſuum, tanquam ad centrum & ſummum bonum ſuum & quidem tanto ardore, tanta rapiditate, & impetuoſitate tendit, ut in hoc mortali corpore adhuc detenti, minimè id comprehendere valeamus. O quàm doloroſa eſt, miſeræ huic animæ hæc violentia! quàm ſenſibilis privatio! quàm crudelis ſeparatio iſta! non poſſumus id melius judicare, aut deſumere, niſi ex magnitudine ipſius Dei, qui cùm ſit bonum infinitum, per ſuam privationem pœnam pariter infinitam cauſat. Juſtum eſſe, & aliquanto tempore Deo ſuo ſe privatum videre, agnoſcere ſeparationem iſtam propriâ culpâ occidiſſe, quale, quantúmque ſupplicium, pro miſeris animabus in purgatorio! ne dubita, eas in hoc ſtatu continuò auxilium noſtrum implorarare, continuò ſuſpirare, imò inceſſanter gemitus ſuos miſerabiles verſus terram, eoquòd versùs cœlum, utpote æreum pro ipſis, emittere eis permiſſum non ſit, *miſeremini mei*; clamant ad nos, *quia manus Domini tetigit me.* Anne ergo inſenſibiles ſumus ad hos illarum planctus? quid? claudemus ergo viſcera noſtra patri, matri amicis, qui in ultima hac neceſſitate conſtituti ſunt. Si eos audire recuſamus, aliud

liud exſpectare non poſſumus, niſi etiam nos aliquãdo tanto tempore exſpectaturos auxilium, quanto illos exſpectare paſſi ſumus. Hinc

PUNCTUM II. Conſidera media, quæ pro illorum ſalute, ſeu ſolatio, arripere debeamus, ut pœnas, quas patiuntur, tandẽ evadere valeant. Primum eſt, ut habeamus magnam compaſſionem pro his purgatorii animabus; fortaſſe ibi habemus; conſanguineos, amicos, & perſonas nobis chariſſimas olim, an non grandis hæc eſt ingratitudo, nullam nos habere illorum memoriam, niſi præcisè quamdiu ſonat fortè campana funebris, ita, ut poſt ſepulturam illorum, eorum amplius non recordemur? memor eſto, quòd, quia *ſancta hæc & ſalubris eſt cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*, prout ſcriptura loquitur, 2. Machab. 12. 46. nunquam eorum non memor eſſe debeas, in precibus, ſacrificiis & bonis operibus tuis. Oportet pro iis orare, non feſtinanter aut cum præcipitatione, quemadmodum plures faciunt, ſi perſolvendum ſit officium defunctorum, vel alia illis ſervitia exhibenda; ſed cum devotione & attentione, & modo tali, qui Deo placeat, & quo nos ipſi vellemus, ut pro nobis fieret, ſi in eorum ſtatu eſſemus, nullum diem elabi permit-

permittendo, quin ſaltem unum *De profundis* pro iis perſolvamus. 2dum, quod nos facere convenit, quoad nos ipſos, ſeu pro noſtra utilitate, ut pœnas purgatorii ipſimet evitare valeamus & facere, ſeu agere veram & ſinceram pœnitentiam de noſtris peccatis, & vitare etiam venialia, in quantum poſſumus, ſiquidem pœnæ purgatorii non niſi in defectum ſatisfactionum noſtrarum infliguntur & ut nos à levibus culpis noſtris purificent, quæ non niſi valde ordinariæ ſunt, in hac vita. Item offerre Deo in expiationem peccatorum noſtrorum: afflictiones noſtras, morbos & alia adverſa, quæ nobis patienda occurrunt, ſæpiùs cum quodam Dei ſervo ita ad Deum precando; *hic ure, hic ſeca, modò parcas, in æternum parcas*; vel cum S. Aug. *ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui jam emendatorio igne opus non ſit.* O longè melius eſt, in hoc mundo purificari, quàm incidere in manus Dei viventis & vindicantis. Tempus hoc, tempus eſt miſericordiæ, & meritorum una hora patientiæ, in malis noſtris; una victoria de paſſionibus noſtris reportata, quandoque plura peccata venialia delere & plura debita exſolvere poteſt, quàm menſis, imò fortè annus integer inter purgatorii flammas, malè igitur ratiocinatur,

natur, qui pœnitentiam usque ad illud tẽpus & locum differt; summa animarum istarum pœnitudo erit, quòd in hac vita fructus dignos pœnitentiæ non egerint, quòdque modò beatitudinem suam æternam ideò retardari cernant. Sapiamus nos illorum damno, & omnem occasionem, ad nostram utilitatem trahamus, quã Deus nobis immittit ad satisfaciendum justitiæ ipsius. Hanc resolutionem ad finem hujus meditationis cape, eritque hæc optima præparatio ad Missam. Id ipsum etiam sentiamus cum tota Ecclesia, quæ pro miseris istis animabus precatur; & offeramus pro iis Deo victimam propitiationis. Domine JEsu, extende infinita merita passionis & mortis tuæ, usque in purgatorium, ad has miseras animas! *pie JEsu Domine, dona eis requiem. Amen.*

IV. NOVEMBRIS.

DE S. CAROLO BORROMÆO, CARDINALI, ET ARCHI-EPISCOPO MEDIOLANENSI.

Suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui juxta cor meum, & animam meam faciet, 2. Reg. 2.

S. CAROLUS FUIT VERE FIDELIS SACERDOS.

1. Erga DEum, ob zelum quem pro illius gloria habuit.
2. Erga populum suum, ob magnitudinem charitatis suæ.

3. Erga

3. Erga seipsum, ob rigorem pœnitentiæ.

PUNCTUM I. GRatias Deo agamus pro inæstimabili isto dono, Ecclesiæ suæ collato, in persona hujus magni, sancti Caroli, Pontificis sanè secundum cor Dei, sacerdotis fidelis & alterius Samuelis, quem Ecclesiæ suæ in summa & maxima ipsius necessitate dedit. Ad intelligendam & comprehendendam hujus doni magnitudinem alio opus haud est, quàm ut in memoriam revocemus, quales excessus tunc inter Clericos, & per quamdã inevitabilem consequentiam, inter christianos regnaverint, quia impleta videbatur in infelici illo sæculo hæc prophetia; *& erit sicut populus, sic sacerdos*. Isai. 24. 2. In tantum excrevit corruptio hæc in Diœcesi Mediolanensi, ut sacerdotes, & pastores, qui lux mundi esse debebant, etiam prima elementa & principia religionis, & essentiales obligationes christianismi, ignoraverint. Maxima pars parochorum, haud obligatos se credebant, ut ipsi confiterentur, quia aliorum confessiones excipiebant; mores autem illorum adhuc magìs corrupti, & depravati erant, quàm turpis fuerit illorum ignorantia, & inscitia. Monachi & Virgines Deo sacræ, aliud præter habitum suum religiosum non habebant, sed excessibus suis dehonestabant

neſtabant ſanctitatem profeſſionis ſuæ, vel vitam omninò ſæcularem, & mundanam ducebant, unô verbô, erat deſolatio planè extrema, dum Deo placuit, dare Eccleſiæ ſuæ, alterum quemdam Ambroſium, in perſona S. Caroli, digniſſimi ſanè ſucceſſoris illius, qui zelo gloriæ illius omninò ardens, grandia illa mala, reparare ſcivit, quæ ignorantia & malitia in domum Dei ſeu Eccleſiam invexêre. Cardinalis factus & Nepos talis Pontificis, à quo tenerrimè amabatur, tam fidele & indefeſſum Eccleſiæ exhibuit ſervitium, quod unquã mortalium quiſpiam potuit, dum efficaciter laboravit, & procuravit, ut finis Concilio Trident. imponeretur. Mediolanum deinde accedens eradicare cepit ſpinas, & zizania, in campo & agro iſto, à divina providentia curæ ſuæ & ſolicitudini commiſſo. O quid fecit, in & pro tali Diœceſi, tunc temporis, adeò depravata! quot ſynodos, inſtructiones, viſitationes, ſcholarum erectiones, confraternitates, ſeminaria habuit, erexit & fundavit, ut Clerũ reformaret, diſciplinam regularem in monaſteria inveheret, & puritatem morum reſtitueret? quænam pertulit illuſtriſſimus hic paſtor in opere adeò glorioſo in ſe ſuſcepto? neque caro, neque ſanguis, neque voluptates, neque honores, neque perſe-
cutiones

cutiones gubernatorum violentorum, neque assasinatus Monachorum apostatarum, & desperatorum, neque calumniæ rebellium Clericorum, neque oscitantia brachii sæcularis, contra ipsum præoccupati, quidquam valebant infringere de zelo, aut de fidelitate ipsius, quam Deo debebat adimere. Erat nimirum ille *sacerdos magnus, qui in vita sua suffulsit domum, & in diebus suis corroboravit templum.* Gratias age Deo; quòd magnum hunc Pontificem, tam ardenti zelo, pro gloria sua dotaverit, & tuum interim cum illius zelo compara! ô qualis diversitas! longè valdè abes, ut tantùm sustineas, & toleres ex parte hominum, quantùm S. Carolus sustinuit; quænam potiùs est socordia, & ignavia tua? quoties ministerium tuum turpiter prodidisti; & illi defuisti? quoties, ut hominibus placeres, turpiter neglexisti cōmoda, & lucra Dei, & Ecclesiæ? humilia te ipsum & renova in te zelum procurandi Dei gloriam, in consideratione nempè S. Caroli, quem tibi Ecclesia ad imitandum hodie proponit. Non erat solum̄odo pastor, Deo suo fidelis, ob zelum, quem pro gloria illius habuit, sed insuper

PUNCTUM II. Curæ suæ cōmisso populo fidelis erat, ob magnitudinem & extensionem charitatis suæ. Pastor animarū

tripliciter paſcere debet ſuos, ait S. Bernard. Epiſt. 201. offerendo pro ipſis ferventes preces; paſcendo illos verbo veritatis, & exemplo ſuo bono eos ædificando. Fidelis his in omnibus, ſi unquam ullus, ſanctus fuit Carolus; quia omnes in ſinu ſuo portavit, ſic eos quotidie Deo comendavit, & ſancta quadam importunitate ab eo petiît, ut ipſemet eos regeret, illuminaret, ac fæcūdos in omni genere bonorum efficeret, tempus nimis breve, ipſi dies videbatur, ad orandum pro ſuis; etiam noctem, in oratione inſumebat ad exemplum ſui divini Magiſtri; horas integras ſomno detrahebat, ut miſericordiam divinam flecteret; hoc tempore coram ſuprema Dei majeſtate provolutus illud cum Joële ingeminabat; *parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem in prædam inimicorum tuorum.* Sed quale ſpectaculum, quàm gratum Angelis, & hominibus, videre ſanctū hunc Pontificem incedere per plateas publicas Mediolani, ùt publicè pœnitentem! nudis pedibus, ſacco veſtitum, fune cinctum, oculis lacrymantibus, cinere caput conſperſum, crucem in manibus ferentem, corde compunctum, intercedentem pro populo horribili peſte afflicto, in Diœceſi ſua tam crudeliter ſæviente! oppoſuit nempe tibi, Domine clypeum miniſterii ſui, & oratione ipſius ad cœlum uſque aſcenden-

te, & penetrante, tanquam incenso, suavissimi odoris cessavit durissima plaga ista, & Angelum exterminatorem cohibuit; alterius enim Aaronis instar, *stans inter mortuos, & viventes, pro populo deprecatus est, & plaga cessavit*, Num. 16. 48. Veniamus nunc ad instructiones, & doctrinam illius; quâ populo suo fregit panem verbi divini, sive per semetipsum, sive per suos vicarios evangelicos, quos in omnem partem ablegavit, *verbi Dei prædicationem, gravissimis licèt curis occupatus nunquam intermisit*, Ecclesia in ejus officio. Non erant discursus illius eloquentiâ humanâ persuasivi, sed adeò utiles, & penetrantes, ut gemitus & suspiria cordibus audientium extorserint; ad sonitum & fragorem vocis illius, error & superstitio aufugit; veritas in locum illius successit; usurarii contractus suos illicitos combusserunt, impudici infami suo comercio renuntiârunt; satis fuit dicere, vel semel etiam maximis peccatoribus, etsi etiam Ninivitis pejores, & dissolutiores fuissent, *pœnitentiam agite*! & hanc egerunt; satis erat dicere, quemadmodum Joan. Baptista Judæis; arbores infructuosæ, aut steriles! *facite fructus dignos pœnitentiæ*! & allati sunt. Id verò, quod tantã verbis ipsius tribuit efficaciã, exẽplũ virtutũ, & sanctitas vitæ ipsius

fuit. Cernebāt enim Epiſcopū,qui nō niſi labores & ſudoresEpiſcopatûs ſibi delegit, qui vitæ activæ paſtoralis ſolicitudinis jūgebat auſteritates Anachoretarum Thebaidis; qui charitatem minimè reſtrictam, & limitatam habebat; qui non leves pecuniæ ſum̄as in pauperes erogabat, ſed immenſam, & totius cujusdam principatûs; qui adeò lacte gregis ſui non fuerat impinguatus, ut potiùs ſeipſum exhauſerit, & ad extremam neceſſitatem redegerit, quò haberet, unde alios ſolaretur, & nutriret; qui minimè dedignabatur viſitare etiā pauperrimas parochias, qui catechizabat ipſemet pauperrimam ruſticorum plebem; unô verbô, talem paſtorem, cujus zelum nil effugere poterat. Ah! quoties videre erat ſanctum hunc Cardinalem, baculum in manibus ſuis tenentem, peregrinari per loca horrida, & præcipitiis plena? quoties manibus & pedibus reptabat, ut vel viliſſima tuguriola accedere poſſet, eoquòd alia via ei ad talia loca non pateret? quoties armare debuit pedes ferreis ſoleis,ſeu dentatis, ut montes aſcendere poſſet, quos vel ipſi veterani, & talibus aſſueti milites horruiſſent? ô zelum verè paſtoralem! ô charitatem prorſus heroicam, quam neque glacies, neque nives alpium extinguere potuêre? condemnabit illa aliquando tot negligentes & ſocordes & Clericos. Quid!

ministri Domini! licitum, aut permissum jam vobis sit, post tale exemplum, manibus complicatis consistere? exercere munus pastorale, qùin vel modicam etiam incommoditatem perferatis! anne illustriorî prosapiâ oriundi estis? anne delicatius, à teneris annis, nutriti, & educati? an plura obstacula reperitis, ac ille invenerit? quo jure & ratione prætenditis dispensare vos ipsos, à labore, à vestro ministerio omninò inseparabili? *nunquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis*, Num. 32. 6. Quiá verò laborando pro aliorum salute periculosum est, nequis sui ipsius obliviscatur;

PUNCTUM III. Notandum, S. Carolum non tantùm fuisse sacerdotem fidelem erga Deum, & populum suum, sed etiam erga seipsum; nunquam à labore acquirēdæ propriæ sanctitatis cessabat. Dātur quidam, qui servitio aliorum dediti, seipsos neglexêre, & periêre. Securum se ab hoc periculo reddidit, & servavit S. Carolus per continuam praxin virtutum christianarum, maximè verò pœnitentiæ, humilitatis, & patiētiæ. Bone Deus! qualis fuit S. Caroli pœnitentia! pœnitentia in cilicio & disciplinis; pœnitentia vigiliarum, & duræ cubationis; pœnitentia laborum, & defatigationîs, in continuis visitationibus suæ

Diœcesis; pœnitentia in cibo & potu, pœnitentia in vigiliis, & jejuniis. O qualia jejunia! jejunia erant tam austera, ut tandem ad finem vitæ suæ, ac ultimis diebus, ad solum panem & aquam, seipsum condemnaverit, & adstrinxerit, & neque talia sibi, absque debita mensura concessit, *panem arctum, & aquam brevem.* Humilitas illius haud minor fuit, quàm pœnitentia, quamvis tanta pro gloria Dei præstiterit; nil sibi attribuit; tanquã vilem terræ vermiculum se reputat, quem quis impunè pedibus calcare possit; ùt servum inutilem, vel potiùs malum, & negligentem, qui magnâ Domini sui indulgentiâ, & gratiâ indiget. Humilitas erat in vestitu; quamvis Archi-Episcopus, imò Cardinalis, nunquam serica veste uti voluit, sed panno simplici & communi. Humilitas in bibliotheca, & in reliqua suppellectili domûs; humilitas in conversatione; humilitas in omnibus vitæ suæ actionibus sed talis humilitas, quæ nil unquam vile, aut sordidum, vel imbecille admisit, nil unquam remisit de juribus divini sui Magistri, ut passionibus hominum indulgeret, humilitas, quæ semper invincibilis constantiæ, & patientiæ fuit. Patientiæ in persecutionibus, quas sustinuit; in temerario

ausu

ausu & aggressione, qua vitæ suæ insidiabantur; in frequentibus morbis, & in obstaculis, quæ sanctissimis ipsius intentionibus parabantur. O quale exemplum vitæ sanctæ habemus in sancto Carolo! ah, quàm benè nobis ob oculos ponit inanitatem & imperfectionem vitæ nostræ! magne Deus! qui hanc ardentem & lucentē faculam accendisti, ut tenebras nostras illuminaret, miserere nostri; fac, ut mediāte hoc tam præclaro lumine, & fulgore, fidelius deinceps in via perfectionis, ambulemus, & proficiamus. Suscita; ô Domine, in Ecclesia tua magnum numerum talium Prælatorum, & dignorum operariorum, qui spiritu S. Caroli pleni, populum tuum regant conformiter sanctis principiis, & salutaribus instructionibus, quas ille nobis reliquit; fac, obsecro, ut continuò ante oculos nostros nobis obversetur vita hujus S. ArchiEpiscopi, ut eum pro modulo, ac infirmitate nostra sequi & imitari aliquatenus valeamus. Pro Missa, pete instanter à Christo JEsu partem aliquam spiritûs, & zeli S. Caroli, & si confessarius es, roga illum, ut possis sequi in tribunali pœnitentiæ, regulas illas, quas ipse nobis reliquit; sic enim dignos reddes tuos pœnitentes, ut dignè ad S. comunionem accedere valeant, recipiésque suo tempore,

de manu ſupremi paſtoris promeritam tuæ fidelitatis remunerationem ; *& cum apparuerit princeps paſtorum, percipietis immarceſcibilem gloriæ coronam*, 1. Petr. 5.4.

DE S. MARTINO EPISCOPO TURONENSI.

Nemo lucernam accendit, & in abſcondito ponit, neque ſub modio ; ſed ſupra candelabrum, ut, qui ingrediuntur, lumen videant. Luc. 11. 33.

S. MARTINUS VERUM LUMEN ECCLESIÆ FUIT.

1. Ob ſuam abnegationem.
2. Et zelum pro ſalute animarum.

PUNCTUM I. ADoremus D. N. J. C. verum mundi lumē, qui miniſtris ſuis hoc com̄unicavit, ut populum ſuum doctrinā & ſanctitate vitæ ſuæ illuminaret, gratias pariter agamus Deo, quòd S. Martinum ex illa obſcuritate extraxerit, in qua ſe volebat abſcondere, ut ſupra candelabrum Eccleſiæ illum poneret, faceretque illum lucere in oculis omnium Clericorum in omnia futura ſæcula. Rogemus eum pro hac gratia, ut ex illius exemplo proficere valeamus. In nullo inferior fuit ſanctus hic Apoſtolis. Signa apoſtolatûs ſui exhibuit in omni genere paſſionum, laborum, patientiæ, miraculo-

raculorum, prodigiorum, & extraordinariorum effectuum divinæ potentiæ. Nos hic solummodò considerabimus, ipsius abnegationem, & contemptum omnium rerum terrenarum, quod vel maximè ad magnam nostri ædificationem serviat. Primum sacrificium, quod Deus ab iis exigit, quos ad ministerium apostolicum vocat, est, renuntiare omnibus rebus, ut ipsum sequantur; non limitat hánc imitationem tantùm, ad renuntiandum solummodo honoribus & divitiis hujus sæculi; sed vult illam eo usque progredi, ut quis seipsum etiam abneget, & sancto odio seipsum prosequatur. Et quidem; quomodo quis commoditatibus vitæ hujus inhæreat, & bonis hujus mundi immodicè affectus, honoribúsque & voluptatibus inhians, aliis efficaciter contemptum rerum visibilium & transitoriarum abnegationem sui ipsius, mortificationem sæcularium desideriorum, & amorem inspirabit? ô quàm fidelis fuit S. Martinus, in obediendo huic primo, ex consiliis evangelicis! alio haud opus est, ut de hoc persuasi simus, quàm ut recordaremur, quid fecerit jam, nondum adhuc per baptismū Christo JEsu incorporatus; petit quidam pauper, nudus penè, ac frigoris rigore ferè tabescens, ab eo eleèmosynā; Martinus, nil apud se habens, quo eum consolari pos-

ſet, pallium ſuum ſcidit, & cū paupere iſto diviſit. O admirabilem prorſus charitatem! quàm ingenioſa & prodiga eſt; haud miror, quòd eum Chriſtus JEſus per ſemetipſum laudare voluerit, & extollere; *Martinus adhuc catechumenus hac me veſte contexit*. Ulterius adhuc proceſſit hæc ipſius renuntiatio; vix dum liber erat à militiæ jugo, ſtatim generoſum hoc animi propoſitum cepit, ſerviendi deinceps Chriſto in omni perfectione evangelica. Ut verò à recta via in tam periculoſo negotio non deviaret, magno Hilario adhæſit, expertiſſimo nimirum magiſtro, in viis Domini. Sanctus hic Prælatus, agnito gratiæ theſauro, in hoc neophyto, illiusque amore captus, Eccleſiæ ſuæ eum addicere voluit, & in diaconū cōſecrare, verū Deus præbere nobis voluit exemplū profundæ humilitatis, hujus ſervi ſui, ac docere, quòd ſi honoribus hujus ſæculi renuntiavit, tales haud quærere dein debeat in ſanctuario, ſeu Eccleſia, hoc ei inſpiravit, ut hāc dignitatē recuſaret; proteſtatur igitur clamore, & lacrymis, ſe omninò indignum eſſe; totúmque, quod ab eo impetrari potuit, hoc erat, quòd voluerit eſſe ſimplex exorciſta, quæ functio omninò meritis ipſius minor eſſe videbatur. Qualis inſtructio pro nobis, qui fortè non niſi ad officia honoratiora in Eccleſia & dignitates aſpiramus! fuit S. Mar-

tinus non minùs etiam à patria sua alienus & si adhuc semel eò proficiscitur, minimè hoc fit, ut hæreditatem suam adiret, omne aurum & argentum in oculis ipsius aliud non erat, nisi pulvis, & lutum; non etiam ex motivo, ut parentibus suis oculos clauderet, didicit à Magistro suo divino, mortuis hoc relinquendum esse, ut sepeliant suos mortuos. Eò accedit, ex motivo charitatis, á qua urgebatur, ut eos à morte infidelitatis eriperet, oculosque illorum admirabili lumini evangelii aperiret. Estne hæc etiam nostra dispositio erga parenres nostros, vel consanguineos anne nullum alium affectum erga illos habemus, vel aliud lucrum non quærimus, nisi salutem ipsorum? contemptus æstimationis hominum erat in S. Martino adhuc magis mirandus. Factus Episcopus Turonensis contra suam voluntatem, mansit tamen semper idem; id est, eodem prorsus modo alienus à sæculi fastu. Vestis, supelex, mensa, omnia exteriora prædicabant in illo, paupertatem & humilitatem; quod verò maximè in eo stupendum, hoc est, quod splendor tam raræ virtutis, & ferè innumerabilium miraculorum, quæ patrarat, nunquam oculis ipsius caliginem aliquam effundere, & ad superbiam quãdam movere potuerint. Omnes auxiliũ

illius

illius inclamant; Imperatores illum reverentur ùt Angelum de cœlo; quidam tyrannus manſueſcit, & petitioni ipſius condeſcendit, & annuit; Imperatrix quædam felicem ſe exiſtimabat, quòd propriis manibus prandium ei parare, & menſæ ipſius ſervire poſſet; totus ferè mundus eum canonizat; ipſe verò ſolus ſeipſum non aliter reſpicit, niſi ùt peccatorem, omni cõtemptu dignum, ſéque ipſum inſtar pulveris & luti tractat, dum mori voluit in cilicio & cinere, magìs ex ſpiritu humilitatis, quàm pœnitentiæ. Væ mihi, dicebat ad diſcipulos ſuos, ſi aliud vobis exẽplum reliquero; ſed væ nobis, ſi ipſum non imitemur, & in noſtro modo agendi & vivendi ſimilem profundam humilitatem non exprimamus. Denique adeò propriæ vitæ ſuæ amans non erat, ut vel ipſi latrones, qui eum animo trucidandi in quoddam alpium tránſitu violenter aggreſſi ſunt, deſuper obſtupuerint. Quanta pati debuit, & quam̃ indigna, ab Arrianis? unicus ipſius dolor fuit, quòd plura non pateretur, neque dignus eſſet, pro divino magiſtro, ſanguinem ſuum profundere. An non igitur jure cum Apoſtolis dicere ad Chriſtum potuit; *ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te; quid ergo erit nobis?* Matth. 19. verùm an etiam nos ita loqui poſſumus?

mus? quid reliquimus pro Christo JEsu, ut illum sequeremur, ac Dominum cordis nostri faceremus? quid sacrificavimus nos gloriæ, & comodis, ac lucro ipsius? ubi est nostra renuntiatio sæculi? contemptus creaturarum, & nostri ipsius abnegatio? sique modò mori oporteret, anne pariter ad principem hujus mundi, cum isto paupere in spiritu, dicere possemus; *quid hic adstas cruenta bestia? nihil in me funestè reperies.* Veniamus nunc ad zelum, & charitatem ipsius, vel potiùs videamus ipsammet charitatem in ipsius persona quasi in solio Episcopali residentem.

PUNCTUM II. Neque nobilibus, neque sapientibus hujus sæculi concredit Deus suum sacerdotium, sed iis, qui zelum habent pro gloria ipsius, & comodis illius student; hinc, antequam Christus Petro regimen suæ Ecclesiæ conferret, neque ab eo petit, utrum debitâ scientiâ instructus sit, quamvis qualitas sit valdè necessaria; neque utrum sufficientes vires corporales habeat ad tolerandos gravissimos labores; sed unicè, utrum illum amaret, & quidem plùs cæteris. S. Martinus charitate hac insignitus erat in gradu prorsus eminenti; erat alter Paulus, cujus spiritus comovebatur, & cor præ dolore scindebatur, dum videderet errorem pro veritate regnare, & dæ-

monem,

monem, locum veri Dei occupare. Quid, & quanta non fecit ad radicitus extirpandum ab omnibus Gallis idololatriam? quot cursus, quot sudores, quot vigilias, quot noctes, in oratione & lacrymis, coram Deo fusis, trãsactas numeramus, ut eum flecteret ad aperiendos his cœcis oculos, eorũ, ut vanitatẽ idolorũ suorũ agnoscerent? quoties vitam suam periculo exposuit, & quasi prodegit, ut esset victima barbarorum! denique mansuetudo & patientia ipsius omnes quasi in agnos mutavit, & convertit, & taliter zelo illius benedixit Deus, ut maxima illorũ pars fidem amplexa sit. Nunquam fuit pastor tam fidelis in visitandis ovibus, & grege suo, & ad agnoscendum facies eorum, ad pascendos illos verbo vitæ, ad proscribenda scandala, ad impugnandum & expugnandum peccatum, etiam in ultimis suis recessibus, & angulis; nullus simul etiam tam exactus, nec tantæ patientiæ erga Clericos suos fuit, Vit. S. Martini c. 26. *Tantùm adversùs omnes injurias* patientiam assumpserat, ut, cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis Clericis læderetur, nec propter id, eos aut loco unquam amoverit, aut à sua, quantum in ipso fuit, charitate, *repulerit*; verba sunt Severi Sulpitii. Id, quod author iste refert de Britio, in suis dialogis, meretur sanè hic adnota-

adnotari. Hic rebellis Episcopo suo Clericus, talibus, tantísque injuriis affecit illum, quales, quantasque eidem impurus spiritus, à quo regebatur, inspirabat, neque unquam cessabat, patrem adeò venerabilem risui habere. Quilibet alius indignabatur huic temeritati hujus filii Belial; urgebant S. Episcopum, ut eum è Clero suo ejiceret, arguebant eum, nimis indiscretam esse hanc ipsius patientiam; sed ora omnium istorum conclusit sanctus, qui lolium istud ante tempus eradicari volebant, ista reponendo. *Si Christus passus est Judam, cur ego non patiar Britium*, Dial. 3. c. 20. Sicque accendit carbones ardentes super caput peccatoris istius; illiúsque oratio æquè fuit efficax, ac illa S. Stephani; quemadmodum enim hæc conversionem S. Pauli effecit, sic illa promeruit, ut Britius S. Martino in Episcopatu & sanctitate successerit, prout alius historicus hoc narrat, Greg. Turonen. hist. l. 11. Item l. 10. Verum complementum charitatis, & zeli ipsius est, quòd in mortuali lectulo positus in dilationem remunerationis suæ consenserit, quò ulterius pro salute fratrũ suorum laborare posset, *Domine!* dicebat ad discipulos suos de suo transitu proximè secuturo, nimium contristatos, *si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem,*

rem, fiat voluntas tua. O verba omni admiratione sæculorum etiam futurorum digna! *ô virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec vivere recusavit* Sanè pulcherrimum lumen vita S. Martini fuit! accedamus nunc ad hoc lumen, & videamus, quid nobis desit, ut id petamus à Deo per intercessionẽ sancti hujus. O Pontificem verè sanctum! ô pastorem Christo plenum, & semper eidem unitum! roga, quæso, Dominum pro nobis, ut partem aliquam zeli hujus ardẽtissimi, quo sémper animatus eras, nobis donet, ut de spiritu orationis, humilitatis, patientiæ, mansuetudinis, pœnitentiæ & paupertatis, in quo ad finem vitæ usque perseverâsti, aliquid participemus. Pro Missa, ante oculos nobis constituamus fervorem illum, quocum S. Martinus hæc sanctissima Mysteria offerebat, quem Ecclesia his verbis nobis indicat; *dum Sacramenta offerret beatus Martinus, globus igneus apparuit super caput ejus.* Verum est, nos ad tale devotionis & pietatis miraculum, haud contingere posse, sunt hi favores tales, quibus nos undequaque indigni sumus; sed quod nobis convenit, & faciet, ut res sanctas sanctè tractare mereamur, hoc est, ut imitemur vitam internam S. Martini, studium orationis; & perseverantiam in

illa.

la. Nulla hora, nec momentũ vitæ ipsius
ffluxit, quo non in opere quodã divino oc-
upatus, vel in spiritu cũ Deo conversatus
it, quidquid fecit, continua oratio fuit; *in-
ictum ab oratione spiritum non relaxabat.* I-
lẽ etiã nos facere possumus, ad hoc etiam
ios urgent sanctitas statûs nostri, & excel-
entia seu eminentia functionũ, quæ mini-
terio nostro añexæ sunt. *Nos sumus lapi-
les sanctuarii, qui apparere semper debemus
n conspectu Dei.* Greg. M. hom. 17. in Ev

PRO ANNIVERSARIO DEDICATIO-NIS ECCLESIÆ.

*Elegi & sanctificavi locum istum, ut sit no-
nen meum ibi, in sempiternum, & permaneant
oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* 2.
Paralip. 7.

Cur festum dedicationis Ecclesiæ institutum sit?
2. Quomodo celebrari debeat?

PUNCTUM I. ANniversaria dedicati-
onis festivitas ex plu-
ribus rationibus instituta est; en principa-
les tres, quæ pro nostra devotione sufficiãt!
factũ fuit hoc ad excitandã gratitudinem
nostrã erga Deũ, quòd habitare dignetur in
Ecclesiis nostris; ibi audire preces nostras
gratiis suis nos cumulare, & beneficiis af-
ficere; verbo suo nutrire, & sanctissimo cor-
pore velit, si gaudemus, postquã ædificatio-
nẽ aliquam cepimus, si eam ad finem feli-

citer perduximus, ſi judæi poſt reædificatos muros Jeruſalem, & reſtitutū templū, ſolennē dedicationē celebrârunt, quo affectu gaudii & gratitudinis, & nos celebrare debemus feliciſſimū diē illū, quo Deus benigniſſimè conceſſit, ut domus aliqua illi ædificaretur, quā ſuâ præſentiâ & gratiîs impleret? domus talis, quæ nobis ſit locus refugii, quò nos toties recipere poſſimus, quoties nobis placuerit, ut tutos nos reddamus contra violentiā, & aſſultus inimicorū noſtrorū, quemadmodū Moyſes & Aaron ad tabernaculū confugêre, dū populus eos lapidare volebat? quale comodū & utilitas pro nobis? gratias propterea agamus divinæ bonitati! ſtupendū certè! Deū ſupremæ Majeſtatis non dedignari habitare inter nos; igitur pleni admiratione & ſtupore exclamemus cum Salomone; *ergone credibile eſt, ut habitet Deus cum hominibus ſuper terram?* 2. Paralip. 6. v. 18. 2dò Feſtū hoc inſtitutū fuit, ut in memoriā nobis reducamus inſtitutionē & fundationē Eccleſiæ univerſalis, & religionis, ſeu fidei chriſtianæ, quæ non ſolùm ſucceſſit religioni judaicæ, ſed inſuper deſtruxit in toto mundo cultū idolorū, & loco illius induxit cultū veri Dei, erigendo in locis, ubi prius erant delubra dæmonū, vexillū crucis JEſu Chriſti. Hinc eſt, quòd Epiſcopus Eccleſiam conſecrans, plures cæremonias

bſervet, ad ad quas parùm nos attendimus, quāvis omninò myſteriis plenæ ſint. Primū, quod facit, eſt, quòd crucē ibi figat, tanquā grande vexillū triumphi JEſu Chriſti de mūdo idololatro. 2dū, quòd duodecim luminaria accendat, quæ crucē hanc illuſtrant, & duodecim Apoſtolos denotāt, qui per totū orbē lumē Evangelii portârūt, ac hominibus gloriā & virtutē crucis anuntiârunt. 3tiū, quòd tribus vicibus Eccleſiā circūeat, illā aquâ aſpergendo benedictâ, in memoriā añorū illorū, ubi Apoſtoli Confeſſores & Martyres abſque numero, ſanguine ſuo Eccleſiā irrigârunt, cujus tēpla non niſi tēpore regni Conſtantini fuêre conſtructa, & aperta. Renovemus hìc amorē & ſtudiū, ſeu affectū erga Eccleſiā; gloria illius nobis cordi ſit; & rogemus Deū, ut ſemper magìs ac magìs augeat numerū chriſtianorum & corda noſtra novô zelô inflammet pro decore, & ſanctitate domûs ſuæ; *Domine dilexi decorem domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Pſ. 25. 3tia ratio inſtitutionis hujus feſti eſt, ut recordemur, eſſe nos templa Dei viva, ubi Deus habitat per gratiā ſuā. *Neſcitis*, ait S. Paulus, 1. Cor. 3. v. 16. *quòd eſtis templum Dei, & quòd Spiritus illius habitat in vobis?* & paulò inferius; *templum Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.* Facta eſt hæc conſecratio, &

dedicatio tēpli iſtius, per Sacramentū baptiſmi; corpus & anima noſtra facta ſunt per illud ſanctuaria viventia & animata, in quibus poſſeſſionē ſuā cepit Spiritus S. neque permiſsū nobis eſt iis deinceps ad aliū profanū finē uti. Sed ah! quàm parùm nos hucuſque cognovimus ſanctitatē & comoda ex cōſecratione iſta nobis provenientia! quàm modicū reſpectū & reverentiā habuimus erga corpus & animā noſtrā! quàm jure timere debemus, ne in nos cadant minæ iſtæ terribiles, *ſi quis autem templum Dei violaverit, deſiperdet illum DEus.* ibid. En! qualis ſit intentio Eccleſiæ in & pro hac ſolēnitate! vide, ut huic intento te conformes! ut autē magis adhuc hoc præſtes;

PUNCTUM II. Vide, quid faciendū ſit, ut feſtū hoc condignè celebres? primū eſt, ut renoves in te illū reſpectū, quē Eccleſiis debes. Totū, quod ibi videmus, inſpirare nobis hāc reverentiā debet; fons baptiſmalis, ubi in vitā ſpiritualē fuimus regenerati; cathedra veritatis, ubi inſtruimur; tribunal pœnitentiæ, ubi à peccatis noſtris abſolvimur; altare ſacrificii, ubi offertur victima reconciliationis noſtræ; ſacra menſa, ubi pane vitæ nutrimur, uno verbo; omnia, quæ ibi cernūtur, etiā ipſi lapides oleo ſancto inuncti, tacitè nobis prædicant ſilentiū, modeſtiā, compunctionē & hortantur nos,

ut

ut ſolvamus calceamenta de pedibus noſtris, id eſt, ut exuamus inordinata, & peccaminoſa deſideria, eoquòd terra hæc, in quo ſtamus, terra ſancta ſit; *ſolve calceamentum de pedibus tuis locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Exod. 3. 5. Quē interim reſpectū habemus Eccleſiis noſtris? viſitamúsne illas frequenter? libentérne in illis oramus? habemúsne ſolicitudinē & curā, ut debitè exornentur? impedimúsne, quantū poſſumus, profanationes, & im̄odeſtias ibi com̄itti ſolitas? utinā non ipſimet aliis malo ibi exemplo eſſemus! faciamus hodie divinæ Majeſtati ſatis, pro irreverentiis noſtris, ibi hucuſque com̄iſſis. Ignoſce Domine, & condona nobis irreverentias noſtras, quas in tua ſancta præſentia com̄iſimus! ah! quàm potiori jure cū Jacob, Gen. 28. 10. exclamare poſſum; *verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.* Expelli de domo tua promerui, & audire hæc verba terroris plena; *foris canes & omnis, quæ amat, & facit mendacium.* Apoc. 25. 15. Fac, , ô bone DEus, ut ab hoc die reparē defectus meos com̄iſſos, per majorē deinceps reſpectū, & devotionē. *Introibo in domum tuam, & adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo,* Pſ. 5. 8. Non ſolùm introibo in templū ſanctū tuū cū timore reverentiali, ſed unicū gaudiū meū, in hac

valle

valle lacrymarũ erit, ſi coram S. altari tuo cor meũ effundere valeã. *Altaria tua Domine virtutum, Rex meus, & Deus meus.* Pſ. 83. 4. 2dũ, quod nos in hac feſtivitate facere oportet, eſt, ut vota noſtra in baptiſmo facta renovemus; ut nos de novo dedicemus, & conſecremus ſervitio divino, donatione perpetua, & irrevocabili; ut populũ exhortemur, ad idẽ faciendũ, in memoriã iis revocando hæc verca; *lapides vivi, domus ſpiritualis, ſacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo, per JEſum Chriſtum.* 1. Petr. 2. 5. Dignũ & juſtũ eſt, ô Domine, ut in ſpiritu ſacrificii intrẽ in Eccleſiã tuã, & ut renovẽ vota mea, pro ſalute mea emiſſa. Ratũ igitur habeo, ex toto corde meo, quòd me tibi ſacraverim, dũ Sacramentũ baptiſmi, ſeu adoptionis recepi. Abrenuntio mundo, & Sathanæ principi illius, & omnibus illius malis ſuggeſtionibus, ut ſic tibi Deo meo, ſoli inhæreã, & ſanctæ doctrinæ tuæ. Fac ô Domine, ut non niſi pro te, & tibi vivã, ut nõ niſi pro gloria tua laborem; ut non niſi ad cœlũ aſpirẽ; & vitæ meæ tempore in te abſconditus ſim. O JEſu! ô Domine; initiũ ſolummodò aliquod ſum creaturæ; perfice opus tuũ; fac, ut creſcat in me vita hæc ſupernaturalis, quã in baptiſmo recepi; perfice illã, ut peccato mortuus ſim. Novus

Adam!

Adam! forma in corde meo tuā divinā similitudinē, per infusionē continuā charitatis tuæ, quæ me tandē ad te perducat; *infunde cordibus nostris, tui amoris affectum, ut te in omnibus, & super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur.* Orat. Eccles. 3tiū medium benè celebrandi hoc festū est, petere à Deo gratiā pro structura admirabilis templi hujus, quod modò in terra, seu vita nostra extruitur, cujus tamen dedicatio, nonnisi in cœlo peragetur, quando Christus JEsus, ut S. Paulus ait, repræsentabit Deo Patri Ecclesiā suā, purā, & absque macula, ut deinceps semper ei unita maneat, & occupata per totā æternitatē, in consideratione & admiratione magnitudinis miserationum divinarū. Ad hāc cæłestē Jerusalē dirigere debes vota, & desideria tua, prout te invitat hymnus, qui in hac solēnitate decātatur. *Cœlestis urbis Jerusalem, beata pacis visio &c.* Expēde omnia verba hymni hujus benè, & roga Deū pro gratia, ut facere valeas supra terrā omnia; quæ ei placita sunt; ut uret, secet te, prout ipsi placet, modò pro æternitate tibi misericordiā suā reservet; certò de hoc persuasus, quod ingredi non valeas hāc civitatē sanctā, quæ pro rege suo Deū pacis habet, nisi pro hoc ædificio apteris ab architecto, per varias afflictiones,

ctiones, & contradictiones; *illuc introducitur omnis, qui ob Christi nomen hic in mundo premitur, tunsionibus, pressuris, expoliti lapides, suis cooptantur locis, per manus artificis disponuntur, permansuri sacris ædificiis.* O bone Deus! ah tunde me, quin clamorem meum, murmur meum, & querelas attendas, ut sic aliquando locum inveniam, & acquiram in templo tuo immortali, & dignus efficiar intrare in tabernaculum hoc admirabile, quod manibus hominum minimè exstructum est; *introibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.* Ps. 41. 5. Pro comunione vel Missa, habemus exemplum, quod Ecclesia hodie nobis proponit. Verùm est, quòd peccator fuerit, qui haud promeruit, cui Christus dixerit; *hodie in domo tua oportet me manere.* Sed adeò benè recepit Christum JEsum, ut sanctus dein evaserit, possumus etiam hoc cum S. Aug. addere, Christum jam prius in corde ipsius fuisse antequam domum illius intraverit *suscipitur Christus in domum; qui jam habitat in corde;* serm. aliàs 8. de V. apost. nunc 174. c. 4. Imitemur hanc perfectam conversionem viri istius, & desideriū ac effectum recipiendi Christum; corrigamus in hunc effectum omne illud, quod in vita nostra fuit inordinatum; studeamus deinde omni meliori modo benè communicare; sperare enim sic poterimus, Dei Filium etiam nobis idipsum dicturum, quod ad hunc publicanum dixit: Luc. 19. 9. *hodie salus huic domui facta est.*



IN-



INDEX.

MATERIARUM HUJUS PATRIS AUTUMNALIS.

DOMINICA DECIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

DE Christo JEsu. 1. *Est objectum promissionum divinarum, & finis legis* 2. *Omnia ad ipsum referre debemus*. pag. - 3.

FERIA SECUNDA.

De peccato originali. 1. *Status miserabilis. ad quem per peccatum Adami redacti sumus.* 2. *Superabundans bonitas JEsu Christi, qui ab illo nos deduxit.* - - - - 8.

FERIA TERTIA.

Clerici debent ad exemplum JEsu Christi. 1. *Prædicare ubique,* 2. *Et omnibus hominibus bene facere.* - - - - - 13

FERIA QUARTA.

De utilitate confessionis. 1. *Remittit peccata.* 2. *Restituit merita.* 3. *Procurat gaudium & quietem bonæ conscientiæ.* - 18

FERIA QUINTA.

De gratitudine. 1. *Recogitare debemus Dei beneficia.* 2. *Deo gratias pro illis agere.* 3. *Ex illis proficere.* - - - - - 23

FERIA SEXTA.

De ingratitudine. 1. *Obliviscimur beneficiorum Dei.* 2. *Ea nobis attribuimus.* 3.

illis abutimur. - - - - - - - 28

DIE SABBATHI.

Qualiter verè pœnitens post conversionem suam vivere debeat. 1. *Lucrum & utilitatem ex suis lapsibus trahit.* 12. *Illos reparat & resarcit per fervorem pœnitentiæ suæ.* - - . - - - - - - - - 34

DOMINICA DECIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

De castitate. 1. *Æstimatio, quam de illa habere debemus.* 2. *Et solicitudo seu cura illam conservandi.* - - - - - - - 40

FERIA SECUNDA.

De rebellione carnis contra spiritum. 1. *Qualis sit.* 2. *Quomodo nos in illa gerere debemus.* - - - - - - - - - - 46

FERIA TERTIA.

De passionibus. 1. *Excessus illarum.* 2. *Remedia contra hos excessus.* - - - 51

FERIA QUARTA.

De pluralitate beneficiorum. 1. *In quē finem fundata sint beneficia.* 2. *Utrum licitum sit plura possidere.* - - - - - 57

FERIA QUINTA.

De avaritia. 1. *Plures clerici huic vitio subjecti sunt.* 2. *Pauci se emendant.* - 63

FERIA SEXTA.

Quòd animum nostrum ab his terrenis abstrahere debeamus. 1. *Quàm hoc sit necessarium.* 2. *Et quàm rarum inter clericos.* 69

DIE SABBATHI.

De salute animæ. *1. Obligatio laborandi pro ea. 2. Quomodo laborandum sit.* 74

DOMINICA DECIMA QUINTA POST PENTECOSTEN.

De vana gloria. *1. Facile in illam labimur. 2. Media præservativa contra illam* 81

FERIA SECUNDA.

De altercatione & contentione. *1. Solicitudo talia evitandi. 2. Quibus mediis utendum.* - - - - - - - - - - - 84

FERIA TERTIA.

De correctione. *1. Quomodo fieri; 2. Quomodo admitti, seu accipi debeat.* - 91

FERIA QUARTA.

De obligatione supportandi aliorum defectus. 1. *In quo fundatur hæc obligatio. 2. Examen, utrum huic nostræ obligationi satisfaciamus.* - - - - - - - - 98

FERIA QUINTA.

Reciproca obligatio clericorum & sæcularium. *1. Clerici instruere debent populum. 2. Populus debet ipsis necessaria subministrare.* - - - - - - - - - - - - 104

FERIA SEXTA.

De cogitatione mortis. *1. Quid sit hora, seu momentum mortis? 2. Utilitas hujus cogitationis.* - - - - - - - - 109

DIE SABBATHI.

De sanctis desideriis mortis. *1. Optare*

debemus mortem, & non affligi ex ea. 2. Quomodo licitum ſit, eam ſibi optare. - - 116

DOMINICA DECIMA SEXTA POST PENTECOSTEN.

Tolerantia pro Eccleſia. *1. Glorioſum erat Paulo, pati pro eccleſia. 2. Noſtra gloria eſſe debet, ut illum in hoc imitemur.* - 122

FERIA SECUNDA.

De vita interna clerico neceſſaria. *1. Clerici debent eſſe homines interni & ſpirituales. Plurimi tamen vivunt vitam animalem & carnalem.* - - - - - - - - 129

FERIA TERTIA.

De vita fidei. *1. Quænam ſit vita fidei. 2. Quàm nobis ſit neceſſaria.* - - - - 135

FERIA QUARTA.

De charitate Chriſti erga homines. *Debent clerici in eo eſſe: 1. Ut eam comprehendant. 2. Et imitentur.* - - - - - - - 141

FERIA QUINTA.

De invidia. *1. Nihil odioſius. 2. Nihil tamen communius.* - - - - - - - 146

FERIA SEXTA.

De ſanctificatione feſtorum. *1. De modo illa ſanctificandi. 2. Media, quibus uti debeant clerici ad contribuendum aliquid ad hanc ſanctificationem.* - - - - - - - - 152

DIE SABBATHI.

De ambitione clericorum. *1. Quàm peccaminoſa ſit. 2. Media eam impugnandi & vincendi.* - - - - - - - - - 157

DOMINICA DECIMA SEPTIMA POST PENTECOSTEN.

De mediis respondendi vocationi nostræ. 1. *Applicare nos debemus ad illam benè cognoscendam.* 2. *In eaque fideliter perseverare.* - - - - - - - - - - 163

FERIA SECUNDA.

De patientia. 1. *In quo consistat hæc virtus.* 2. *Quales habere debeat qualitates.* 169

FERIA TERTIA.

De patientia clericis necessaria. 1. *Quantoperè nobis necessaria sit hæc virtus.* 2. *Motiva illam exercendi,* - - - - - 174

FERIA QUARTA.

De ecclesia. 1. *Quàm illi obligati simus.* 2. *Quàm gratos nos illi exhibere debeamus* 180

FERIA QUINTA.

De perfectionibus Dei. 1. *Idea, quam de iis formare possimus,* 2. *Quales illæ sint, de quibus S. Paulus hic loquitur.* - - 187

FERIA SEXTA.

De amore Dei. 1. *Obligatio nostra amandi Deum.* 2. *Modus, quo illum amare debemus.* - - - - - - - - - - 191

DIE SABBATHI.

De amore proximi. 1. *In quo sensu præceptum, de diligendo proximo, simile sit præcepto diligendi Deum.* 1. *Qualiter implendum sit.* - - - - - - - - - - - - 198

DOMINICA DECIMA OCTAVA POST PENTECOSTEN. De

De gratiarum actione. 1. *Quàm familiaris esse debeat clericis.* 2. *Qualiter exerceri debeat.* - - - - - - - - - - - 205

FERIA SECUNDA.

De studio. 1. *Obligatio clericorum quoad studia.* 2, *Modus studendi.* - - - 211

FERIA TERTIA.

De glorioso adventu Christi JEsu. 1. *Debent clerici sæpius de illo cogitare, & se illo occupare.* 2. *Et ad illum se præparare fideliter correspondendo gratiæ Dei, & satisfaciendo obligationibus suis.* - - - 217

FERIA QUARTA,

Clerici sunt advocati apud Deum. 1. *Pro talibus considerare se ipsos debent.* 2. *Quid hæc ipsorum cōditio ab ipsis requirat* 223

FERIA QUINTA.

De officio confessarii. 1. *Quàm difficile sit.* 2. *Regulæ, ut dignè quis illud obeat, & exequatur.* - - - - - - - - - . 228

FERIA SEXTA.

De calumnia. 1. *Calumniis sæpe expositi sunt boni clerici.* 2. *Qualiter se gerere debeant in his circumstantiis.* - - - - 234

DIE SABBATHI.

De tepore in servitio divino, 1. *Status animæ tepidæ.* 2. *Remedia contra hoc malū* 240

DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

De spiritu clericali. 1. *In quo consistat.* 2. *Quid facere debeamꝰ, ut in nobis renovetur* 245

FERIA SECUNDA,

De ſanctitate ſtatûs eccleſiaſtici. 1. *Rationes, ex quibus obligantur clerici, ut ſint ſancti. 2. In quo conſiſtat ſanctitas iſta.* - 251

FERIA TERTIA.

De mendacio. 1. *Quid ſit mendacium, & quomodo diſpliceat Deo? 2. Quàm abhorrere ab illo debeant clerici.* - - - - 255

FERIA QUARTA.

De ira. 1. *Datur ira laudabilis, quæ clericis convenit. 2. Datur alia peccaminoſa, quam evitare debent.* - - - - - - 258

FERIA QUINTA.

De veſte nuptiali. 1. *Quid ſit? 2. Pauci clerici illam habent.* - - - - - 260

FERIA SEXTA.

De inferno. *Damnatus eſt infelix: 1. Quia privatus omni bono. 2. Gravatus omni malo. 3. Æternum punitus.* - - - - 266

DIE SABBATHI.

De parvo numero electorum clericorũ. 1. *Pauci ex clericis ſalvabuntur. 2. Rationes, quas afferunt SS. DD.* - - - - 273

DOMINICA VIGESIMA POST PENTECOSTEN.

De prudentia. 1. *Qualis ſit, & quàm neceſſaria iis, qui pro ſalute animarum laborant. 2. Ubi in ſpecie exercenda ſit.* - - 279

FERIA SECUNDA.

Clerici ſemper occupati eſſe debent, ut

faciant. 1. *Quod Deo; 2. Quod proximo; 3. Quod sibi ipsis debent.* - - - - 285

FERIA TERTIA.

De præventione, seu præoccupatione. 1. *Quàm magna mala causet. 2. Media contra illam.* - - - - - - - - - 293

FERIA QUARTA.

De ebrietate. 1. *Quàm indignum sit clerico hoc vitium. 2. Quos excessus post se trahat* 299

FERIA QUINTA.

De recitatione Breviarii. 1. *Fieri debet cum reverentia. 2. Attentione. 3. Et devotione.* - - - - - - - - - - - 305

FERIA SEXTA.

De bono usu morborum. 1. *Oportet eos acceptare à Deo cum submissione. 2. Et dolores illorum perferre in spiritu pœnitentiæ* 312

DIE SABBATHI.

Obligatio patrisfamilias erga suos domesticos. 1. *Quoad temporalia. 2. Et spiritualia.* - - - - - - - - - - 318

DOMINICA VIGESIMA PRIMA POST PENTECOSTEN.

De pugna spirituali. 1. *Vita nostra continua est pugna. 2. Debemus proinde continuò invocare auxilium Dei.* - - - - 324

FERIA SECUNDA.

De inimicis nostris, contra quos pugnare debemus. 1. *Quinam sint. 2. Quem ordinem in hac pugna servare debeamus.* - 330

FE-

FERIA TERTIA.

De armis contra inimicos salutis nostræ necessariis; principalia sunt: 1. *Scutum fidei.* 2. *Et gladius verbi divini.* - - 337

FERIA QUARTA.

De peccato habituali. 1. *Effectus illius.* 2. *Remedia contra illud.* - - - - 342.

FERIA QUINTA.

De Processibus. 1. *Quantùm ab illis abhorrere debeant clerici.* 2. *Rationes quare evitari debeant.* - - - - - - - 348.

FERIA SEXTA.

Finis processibus imponendus. 1. *Præcipue pastores laborare debent, ut finis processibus imponatur.* 2. *Qualem modum seu regulas circa hoc observare debeant.* - - 352

DIE SABBATHI.

De odio & inimicitiis. 1. *Quamprimum iis resistere debemus.* 2. *Et causas seu occasiones rescindere.* - - - - - - - - 357

DOMINICA VIGESIMA SECUNDA POST PENTECOSTEN.

De perseverantia. 1. *Maximum est ex Dei donis.* 2. *Quid facere oporteat ad illud obtinendum.* - - - - - - - - - 366

FERIA SECUNDA.

De zelo S. Pauli pro salute Philippensium. 1. *Erat zelus ardens, prudens & gratuitus.* 2. *Zelus clericorum has easdem qualitates habere debet.* - - - - - - 371

FERIA TERTIA.

De Pharisæis & Christo. *1. Malitia Pharisæorum. 2. Prudentia Christi. 3. Confusio inimicorum suorum.* - - - - - - 378

FERIA QUARTA.

Qualitates viro apostolico necessariæ. *1. Debet esse sincerus. 2. Docere sanam doctrinam. 3. Et esse constans.* - - - 383

FERIA QUINTA.

De hypocrisi. *1. Quam odiosum Deo. 2. Et saluti perniciosum sit hoc crimen.* - 389

FERIA SEXTA.

De hypocritis. *1. Quantum noceant ecclesiæ hypocritæ clerici. 2. Obligatio vitandi illos.* - - - - - - - - - - - 395

DIE SABBATHI.

De clericis propriis lucris intentis. *Qui tales sunt:* 1. *Sunt ministri temerarii, qui contra voluntatem Domini sui agunt. 2. Ministri inutiles: qui inepti sunt ad functiones status sui. 3. Ministri scandalosi, qui ministerium suum inhonorant.* - - - - - - - 401

DOMINICA VIGESIMA TERTIA POST PENTECOSTEN.

De bono exemplo clericorum. *1. Debent instar S. Pauli aliis servire pro exemplari. 2. Media ad hoc necessaria.* - - 409

FERIA SECUNDA.

De conversatione cum bonis clericis. *1. Quàm necessarium sit frequenter conversari*

cum talibus. 2. Et quàm utile. - - 412

FERIA TERTIA.

Duæ fortes clericorum, qui inimici crucis Christi sunt. *1. Qui passionibus hominum blandiuntur & adulantur. 2. Et qui ipsi vitam mollem & delitiosam ducunt.* - - - 419

FERIA QUARTA.

De abnegatione amoris vitæ præsentis. *1. Debemus ab hac vita amorem nostrum abstrahere, & desiderare esse cum Christo. 2. Unde veniat, quod tam parùm cum illo uniri optemus.* - - - - - - - - - - 427

FERIA QUINTA.

De morte justorum. *1. Nil eos affligit de præterito. 2. Omnia in futurum consolantur.* - - - - - - - - - - 433

FERIA SEXTA.

De impudicitia. *1. Quàm contrarium sit hoc vitium sanctitati statûs nostri. 2. Qualem pœnitentiam agere debeat clericus, si post ordinationem suam in illud lapsus sit.* - 439

DIE SABBATHI.

De irrisionibus. *1. Quàm peccaminosæ sint. 2. Et quàm indignæ clericis.* - 445

DOMINICA VIGESIMA QUARTA POST PENTECOSTEN.

De oratione continua clericorum. *1. Nunquam cessare debent ab oratione pro populo. 2. Omnes illorum functiones sunt occasio renovandi preces suas.* - - - 451

FE-

FERIA SECUNDA.

Media proficiendi in perfectione. *1. Bene agnoſcere ſtatum & obligationes ſuas. 2. Sæpius ſe deſuper reflectere. 3. Venire ad ipſam praxin.* - - - - - - - 457

FERIA TERTIA.

De beneficio redemptionis. *Debet nos excitare 1. Ad gratitudinem erga Deum. 2. Et zelum noſtrum pro ſalute animarum.* 464

FERIA QUARTA.

De vita ſcandaloſa perverſorum clericorum. *1. Abominatio eſt coram Deo. 2. Et deſolatio quædam pro eccleſia.* - - - 469

FERIA QUINTA.

De fuga occaſionum. *1. Debemus illas fugere; 2. Quamprimum advertitur periculum. 3. Non debemus ſubſiſtere in iſta fuga, nec reverti.* - - - - - - - - 483

FERIA SEXTA.

Qualiter nos gerere debeamus in tempore ſcandali vel perſecutionis. *1. Humiliare nos debemus coram Deo. 2. Orare pro eccleſia. 3. Illius doctrinæ inhærere.* - 486

DIE SABBATHI.

De divino judicio. *Clerici illud præ aliis debent timere: 1. Propter excellentiam ſtatûs ſui. 2. Propter ſingulares & ſpeciales à Deo acceptas gratias. 3. Propter obligationes ſuas, quæ ipſis ratione ſtatûs ſui incumbunt* 488

ADDITIO MEDITATIONUM.

PRO FESTO NATIVITATIS B. V. MARIÆ.

De devotione erga B. V. Mariam. 1. *Quàm obligati sint clerici ad hanc devotionem.* 2. *In quo consistat?* - - - - - - 490

PRO FESTO S. MATHÆI.

1. *Vocatio S. Mathæi.* 2. *Quàm fideliter huic suæ vocationi responderit.* - - 499

PRO FESTO S. MICHAELIS & SS. ANGELIS CUSTODIBUS.

De devotione erga SS. Angelos Custodes. 1. *Obligatio nostra erga illos.* 2. *Quam illis gratitudinem debeamus.* - - - 505

PRO FESTO S. FRANCISCI ASSISINATIS, PATRIARCHÆ FRATRVM MINORUM.

1, *S. Franciscus crucifixus erat cum Christo, ob virtutes, in quibus eum imitatus est.* 2. *Vita christiani, maximè verò ministri ecclesiæ, debet esse continua quædam crucifixio.* - - - - - - - - - - 511

PRO FESTO S. THERESIÆ.

1. *Invenit Theresia JEsum in iis, quæ passa est.* 2. *Possedit illum in oratione seu contemplatione.* 3. *Introduxit illum in Ordinem, quem reformavit.* - - - - 526

PRO FESTO S. LUCÆ EVANGELISTÆ.

De qualitatibus viri evangelici, in qua-

tuor

tuor iſtis animalibus præfiguratis. *1. Cur ſancti evangeliſtæ præfigurati fuerint per hæc myſterioſa animalia. 2. Quomodo S. Lucas huic ſignificationi ſatisfecerit. 3. Quid nos facere oporteat, ut eum imitemur.* - - 535

PRO FESTO SS. SIMONIS & JUDÆ APOSTOLIS.

De charitate viro apoſtolico neceſſaria. *Debet eſſe: 1. Proprii lucri minimè amans. 2. Generoſa, & 3. Patiens.* - 553

PRO FESTO SANCTORUM OMNIUM.

1. Idea, quàm nobis formare poſſumus de beatitudine ſanctorùm. 2. Media perveniendi ad hanc beatitudinem. - - - - - 558

PRO COMMEMORATIONE OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

1. Graviſſimæ pœnæ, quas animæ in purgatorio ſuſtinent. 2. Media eas conſolandi & evitandi pœnas purgatorii - - 566

DE S. CAROLO BORROMÆO, CARDINALI & EPISCOPO MEDIOLANENSI.

S. Carolus fuit verè fidelis ſacerdos. *1. Erga Deum ob zelum, quem pro illius gloria habuit. 2. Erga populum ſuum, ob magnitudinem charitatis ſuæ. 3. Erga ſeipſum, ob rigorem pœnitentiæ.* - - - 569

DE S. MARTINO, EPISCOPO TURONENSI.

S. Martinus verum lumen eccleſiæ fuit.

it. 1. Ob suam abnegationem. 2. Et zelum pro salute animarum. - - - - - - 572

PRO ANNIVERSARIO DEDICATIONIS ECCLESIÆ.

1. Cur festum Dedicationis Ecclesiæ institutum sit. 2. Quomodo celebrari debeat. 578



